# JUS NATURÆ
# ET
# GENTIUM



COMMODA AUDITORIBUS METHODO

EXPLANATUM.

AUCTORE

THADDÆO WERENKO,

*IN UNIVERSITATE DILINGANA*
*SS. Can. & Jur. Nat. ac Gent. Professore*
*Publico & Ordinario.*



VENETIIS,
Apud NICCOLAUM PEZZANA.

CIϽ IϽ CC LXVII.
*SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.*

*Quod justum est, scribo, nec multum,*
*DROSSULE, curo,*
*Sive huic, sive illi displiceat, placeat.*

Sidronius Satyr. 1. in Drossul.

# CONSPECTUS OPERIS

Exhibens elenchum Quæstionum & materiarum.

## PARS I.

## DE JURE NATURÆ.

### SECTIO I.

*De Principiis constitutivis & indicativis J. N. hujusque effectu, statu, fine & obligationibus in genere.*

### CAPUT I.

De Principiis constitutivis Juris Naturæ.

#### ARTICULUS I.



#### ARTICULUS II.

*De Promulgatione Legis Nat.*

## ARTICULUS III.

*De divisione, & subjecto legis nat.*



## ARTICULUS IV.

*De proprietatibus Juris Nat.*



## ARTICULUS V.

*De Objecto seu materia legis Nat.*

## CAPUT II.

### De Principiis indicativis Legis Nat.

### ARTICULUS I.

*De fundamentali principio J. N.*



### ARTICULUS II.

*Examinantur principia alia.*



### ARTICULUS III.

*De Adminiculis dignoscendi J. N.*

CONSPECTUS.

CAPUT III.

De effectu Legis Naturalis.

ARTICULUS I.

*De generali effectu Legis Nat.*



ARTICULUS II.

*De effectu legis nat. irritantis.*



ARTICULUS III.

*De effectu ignorantiæ & erroris in J. N.*



AR-

## ARTICULUS IV.

*De effectu J. N. circa dolum, metum &c.*



## CAPUT IV.

De statu ac fine naturæ, legisque naturalis.

## ARTICULUS I.

*De statu humano in genere.*

## ARTICULUS II.

*De beatitudine & fine hominis nat.*



## SECTIO II.

*De Obligationibus & officiis ex Jure Nat. debitis DEO, nobis ipsis, & proximo.*

## CAPUT I.

De officiis hominis erga DEUM *theoreticis*.

## ARTICULUS I.

*De officio Religionis nat.* in genere.



## ARTICULUS II.

*De Religione nat.* in specie &c.



CA-

## CAPUT II.

De officiis hominis erga DEUM *practicis*.

### ARTICULUS I.

*De cultu naturali* in genere:



### ARTICULUS II.

*De officiis* in specie *exhibendis DEO*.



### ARTICULUS III.

*De analogia finis naturæ & Religionis nat. cum fine Christianæ Religionis.*



CA-

# CAPUT III.

## De officiis naturalibus hominis erga se ipsum.

### ARTICULUS I.

*De causa officiorum erga se ipsum.*



### ARTICULUS II.

*De Jure necessitatis in genere.*



### ARTICULUS III.

*De Jure necessitatis in specie.*

## ARTICULUS IV.

*De Jure tuendæ famæ, honoris &c.*



# CAPUT IV.

De officiis hominis erga proximum.

## ARTICULUS I.

*De causa exigente officia hæc.*



## ARTICULUS II.

*De officiis erga proximum* negativis perfectis.

## ARTICULUS III.

*De officiis* affirmativis perfectis.



## ARTICULUS IV.

*De officiis ex Justitia commutativa.*



## ARTICULUS V.

*De officiis erga proxim.* imperfectis.



PARS

OPERIS.

# PARS SECUNDA

## DE JURE GENTIUM.

### CAPUT I.

De exiſtentia & conſtitutivis Juris Gent.



### CAPUT II.

De origine dominii, & modis acquirendi originariis.



C A-

## CAPUT III.

### De modis acquirendi dominii derivativis.



## CAPUT IV.

### De Summa potestate, ejus origine, juribus; &c.



## CAPUT V.

### De Bello, & jure Belli inter Gentes.



An

## CAPUT VI.

De fœderibus & Pactis Gentium.



## CAPUT VII.

De Pace & Jure Pacis inter Gentes.



## CAPUT VIII.

De Legatis & Legationum Jure.



FINIS CONSPECTUS.

# NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Filippo Rosa Lanzi Inquisitor General del Santo Officio di Venezia, nel Libro intitolato *Jus Naturale & Gentium &c. Auctore Thaddæo VVerenko &c.* non v' esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza a Niccolò Pezzana, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat li 4. Febbraro 1766. M. V.

{ *Sebastian Zustinian Rifor.*

{ *Andrea Tron Kav. Rifor.*

{ *Girolamo Grimani Rifor.*


Registrato in Libro a Carte 305. al Num. 2036.

*Davidde Marchesini Segr.*

10. Gennaro 1766. M. V.

Registrato nel Magistr. Eccell. degli Esecutori contro la Bestemmia.

*Francesco Gadaldini Segr.*



# PARS PRIMA

# DE JURE NATURÆ.

## SECTIO PRIMA.

De Principiis constitutivis & indicativis Juris nat. hujusque effectu, statu, fine, & obligationibus in genere.

## CAPUT PRIMUM.

*De Principiis constitutivis Juris nat.*

## ARTICULUS PRIMUS.

*De essentia & origine Juris nat.*

### SUMMARIUM.

1. *Refertur opinio negans dari legem nat.*
2. & 3. *Ejus error refellitur: affirmativa demonstratur.*
4. *Epicuri sequaces iniqui sunt Judices circa legem nat.*
5. *Jus nat. originem trahit ab ipso DEO.*
6. *Prout in mente DEI existit est lex* æterna.
7. *Ethnicorum opinio de lege DEI* æterna.
8. *Lex* æterna *describitur: quæ sumitur late.*
9. & 10. *In sensu restricto sumpta habet vim legis proprie: quæ non dicitur æterna, vel divina: sed naturalis.*
11. & 12. *Jus nat. multifariam accipitur; sicut & nomen naturæ.*
13. *Proprie sumitur pro ipsa lege nat. Exigentia naturalis: instinctus naturæ, & lex naturæ sunt diversa.*

## §. I.

*An detur aliquod Jus nat. quod vim legis habeat?*

1. NOn deerant qui cum Cyrenaicis, Carneade aliisque Philosophis Aristippum & Epicurum secuti, quemadmodum solum Jus nat. improprie, scilicet pro instinctu naturæ sensitivæ brutis & hominibus communi sumptum admittebant; ita testibus *Laertio* & *Lactantio*, apud Boclerum in *not. ad H. Grot. Proleg. §. 5. de J. B. & P.* rotunde negabant olim dari ullum jus naturale legale, seu quod vim legis *necessario* præcipientis & prohibentis haberet, hoc solo persuasi argumento; *quod jura sibi homines utilitate sanxissent varia*, eaque mutent, & abrogent, prout ratio temporum & majoris utilitatis exigit, adeo ut, si circumstantiæ urgeant obligandi fidem suam in succurrendo alteri; illa sit publice obliganda, & auxilium promittendum; quod si dein majoris cujuscumque boni etiam privati spes affulgeat, citra læsionem ullius juris impune recedi, & sponte ac liberrime obærata fides propria auctoritate ad libitum infringi possit. Huic opinioni accinuisse legitur etiam Horatius:

*Non natura potest justo secernere iniquum;*
*- - - Utilitas justi prope mater & æqui est.*

Ex hoc autem corruptæ Jurisprudentiæ naturalis principio ortum traxit homine indigna paræmia: *Natura quodque animal ad suas utilitates ferri.*

2. Sed contrarium demonstrat *Primo*, communis hominum sensus, qui in investiganda naturali justitia præcipuum argumentum præbet, ut sensit Cicero de legib. l. 2. *Omni in re consensus Gentium lex quædam naturæ putanda est.* Et perhibet D. Aug. l. 2. de serm. Dom. *nullam animam esse, quæ ratio-*

*ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS? Quis enim legem nat. in cordibus hominum scribit, nisi DEUS?* *Secundo*: Dari legem nat. etiam ultra divinam revelationem convincimur testimonio conscientiæ nostræ, quæ solo lumine intellectus instructa discernit inter multa *per se* honesta & turpia, inter fugiendum malum, & prosequendum bonum, inter amorem & odium, non factura alias hoc discrimen, nisi esset regula & lex aliqua ipsi interne insinuata ac imponens obligationem tendendi ad suum finem per media sibi convenientia, scil. fugam mali & prosecutionem boni, exponente id ipsum Gentium Doctore ad Rom. c. 2. *Gentes, quæ legem* ( scriptam ) *non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes ipsi sibi lex sunt.* Dein subjungit; *ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium reddente illis conscientia ipsorum.*

3. Dein *tertio*: Rationalis creatura a DEO condita est libera, ut se ad bonum vel malum, prout voluerit, possit convertere: cum autem DEUS bonum omne diligat, omne malum oderit, necesse fuit, ut toti generi humano, quod ad manifestandas perfectiones suas divinas condidit, regulam daret aliquam *internam*, qua bonum quod DEO placet, a malo quod ei displicet, discernere posset, & ita ad bonum dirigatur, a malo autem avertatur, quod præstat lex naturæ. Alioquin improvide condidisset ad suas hominem perfectiones manifestandas, si quidem ei non providisset de mediis absolute necessariis, quale est, ut habeat certam regulam se interne dirigentem ad bonum, & avertentem a malo.

4. Neque Epicuri, ejusque sequacium erronea opinio vim ullam habet, cui ansam dedit mens brutis voluptatibus dedita, & inde nata cæcitas intellectus, qua decepti Epicurei *finem ultimum* hominis in fluxis hujus vitæ bonis statuebant, & quia hunc putabant homini esse communem cum ceteris animantibus, hinc erronee philosophabantur: *natura quodque animal ad suas tantum utilitates ferri*. Qui deposuissent crassam ignorantiam, si se reflexissent ad naturale officium hominis, quo nedum erga DEUM & se ipsum; sed etiam erga alios obstringitur, ut his quoque tanquam animal *civile*, seu sociale ex animo ac civiliter prodesse studeat. Quale officium ceteris animalibus, utpote obligationis moralis incapacibus, non est ab Auctore naturæ impositum, præterquam ut connato instinctu propriam cutem foveant, nihil de aliis solicita. Et quia nihilominus homi-

nes suam potius quam aliorum utilitatem sectantur, & legem cordi insitam suo tantum commodo metiuntur, non id provenit juris nat. defectu: sed pravæ voluntatis vitio, quod olim suis Contribulibus exprobravit Martialis *l.* I. *Epigr.* per ironiam canens: *Vulgus amicitias utilitate probat!* Et hoc ipsum ingemuerat exul *Ovid.* lib. trist.

*Donec eris felix multos numerabis amicos,*
*Tempora si fuerint nubila, solus eris.*
*Diligitur nemo, nisi cui fortuna secunda est.*

Inde etiam factum reor, quod sapientissimus Seneca *Epist.* 3. instruens discipulum suum Lucillum, dignam Philosopho præscripserit regulam, ne facile cujusvis promissionibus crederet, arcana sua cum illo communicaret, neve e stapete quemvis inter suos intimos amicos & fœderatos reputaret; *diu cogita, an tibi aliquis in amicitiam recipiendus sit*, ne scilicet nanciscaris amicum, qui suam ex te utilitatem quærat.

## §. II.

*Unde originem suam trahat jus naturale?*

5. Sicut omnis juris & jurisdictionis, ita & legis nat. prima origo est Creator summusque Legislator DEUS, qui eam cordibus humanis inscripsit, ut ipse per Prophetam *Jerem.* 31. ait *Dabo legem meam in visceribus eorum, & in corde eorum scribam eam.* Hanc scripturam solo naturæ lumine edoctus agnovit, post plures Ethnicos *Chrysippus* l. 3. de Diis, ita de origine juris hujus disserens: *Non potest inveniri principium aliud & origo justitiæ, quam ab Jove & communi natura, inde enim initium duci debet, ubi de bonis malisque disserendum est.* Verum cum hæc manifesta sint, indicasse sufficiat.

6. Inde tamen oriri potest quæstio, utrum lex nat. dicenda sit ÆTERNA, siquidem originem suam ab æterno principio trahit, & nulla temporis differentia assignari potest, quo v. g. blasphemia, & similes actus *intrinsece* mali non fuerint prohibiti: & actus naturalis justitiæ *ex se boni* non extiterint jure hoc *necessario* præcepti? Ac in contrarium militare videtur, quod lex nat. dicatur inscripta cordibus nostris, quæ cum ab æterno non extiterint: consequens est, neque legem nat. potuisse dari æternam; cui enim inscriberetur ab æterno? Sed his nihil obstantibus, cer-

certum est, legem nat. prout in *mente divina* existit, merito dici *æternam*, *per quam* ( ut ait Plato l. 10. de LL. ) *DEUS mundum gubernat*. Ratio hujus est, quia lex illa ita considerata prius quam promulgaretur, seu per dictamen rationis practicum, v. g. de non blasphemando, in tempore applicata fuisset creaturæ rationali, jam ab æterno existebat in mente divina tanquam veritas absolute necessaria, & immutabilis, cujus applicationem, seu promulgationem per dictamen conscientiæ practicum factam *non ab æterno*; sed certo nonnisi tempore fieri experimur.

7. Quod ut planius exponatur; inconcussam veritatem dicimus: præter legem naturalem & positivam, dari etiam *Æternam*. Hanc quippe nedum T. T. communiter: sed etiam ipsi Gentiles solo rationis ductu agnoverunt, e quibus Cicero *l.* 2. *de LL.* dicit, *Hanc video sapientissimorum fuisse sententiam; legem neque hominum ingeniis excogitatam, neque scitum aliquod esse populorum: sed ÆTERNUM quiddam, quod universum mundum regeret imperandi, prohibendique sapientia*. Neque assertio hæc multis demonstrationibus eget, cum per se notum sit, legem humanam mutabilem esse, ac errori obnoxiam: hæc igitur necessario supponit aliquam legem, tanquam normam omnis justitiæ, per quam stabiliatur, ut per conformitatem ad illa recte fiat: Atqui hæc alia esse nequit quam *æterna*, seu lex *per essentiam*, & *originaria*, a qua dein procedere possint omnes aliæ leges *participatæ*, seu *derivatæ*. Quo etiam facit, quod in DEO detur providentia: consequens est, debere in eo dari rationem practicam totius dispositionis, & gubernationis Universi; hæc vero ratio ut DEO coæterna sit necesse est, quia ei nil de novo advenire potest.

8. Quod si cum quibusdam temerariis Naturalistis respondeas, legem hanc DEI æternam esse neque quid, neque quantum, neque quale, cum ignoretur quid sit; eximunt tibi imprudens dubium Plato & Cicero hic immediate laudati, & clarius resolvit D. Aug. *l.* 1. *de lib. arb. c.* 6. ubi ad quæstionem, quid sit *lex æterna*? respondet, quod sit *summa ratio in DEO existens, cui semper obtemperandum est*. Hæc ipsa lex DEI bifariam accipi potest. *Primo* in *latiori* significatione, quatenus denotat rationem divinæ sapientiæ directivam omnium motuum, & creaturarum, etiam irrationalium in fines suos diversos. Sicut enim in quolibet artifice præexistit ratio eorum, quæ fiunt per artem, ita in quolibet Gubernatore opor-

ut præexistat ratio ordinis eorum, quæ agenda sunt per eos, qui suæ gubernationi subjacent. Cum igitur DEUS sit Gubernator sapientissimus omnium actuum & motionum, quæ in singulis creaturis inveniuntur, necesse est, ut in DEO ab æterno præexistat ratio directionis, sive ordinis illius, juxta quem in tempore creaturas dirigere decrevit. Et talis lex æterna *generalis* dicitur, quia est ratio gubernationis rerum *omnium* in Principe universitatis existens.

9. *Secundo*. Lex æterna sumitur in sensu *restricto*, quatenus denotat solas creaturas rationales, seu prout significat specialem rationem ejusdem divinæ sapientiæ actus liberos creaturæ rationalis efficaciter ordinantis ad finem ultimum. Ac sub hac ratione potissimum legem *æternam* consideramus, ubi de jure nat. vim legis habente differimus, utpote cum de tali nobis sermo sit, quatenus est radix & origo aliarum legum proprie dictarum, inter quas prima est lex nat. nobis practice insinuata. Ita igitur *restricte* spectata lex æterna non est aliud, quam *Actus divinæ mentis, quo DEUS concipit, atque judicat, quasdam regulas practicas necessarias, ac æternæ veritatis esse a creatura rationali observandas, cum voluntate ipsam obligandi*. Hujusmodi vero regulæ practicæ, *necessariæ*, æternæ veritatis, seu quod idem est, immutabiles, ac intrinsece tales, sunt hæ: *DEUM esse colendum: parentes honorandos: proximum diligendum*, aliæque similes naturaliter cognitæ. Et lex prædicta hoc modo accepta non solum dicitur *æterna* ex eo, quod existat ab æterno in mente divina; sed præsertim ideo, quia est de regulis practicis *necessariæ* & æternæ veritatis, seu invariabilibus.

10. Hunc in modum explicata Lex nat. quatenus in mente divina ab æterno immutabiliter ac necessario existit, est *æterna*, quatenus tamen homines actu obligat in conscientia, non est æterna formaliter secundum omnia, idest secundum promulgationem, sed tantum *secundum quid*, quatenus scilicet illud ipsum decretum divinæ sapientiæ, quod hominibus in tempore promulgatur, est æternum, facitque creaturam participare Legem DEI æternam. Quo tamen non obstante adhuc ratione suæ formæ, seu promulgationis, & applicationis in actu *secundo* conscientiis nostris factæ, non dicitur *divina: æterna*; sed simpliciter *Lex naturalis*, utpote per lumen naturæ intimata aliquid præcipiens, vel prohibens necessario, & simul transiens de æterna in temporalem. Quæ nisi ita transiisset, non habuisset vim legis pro-

proprie & in actu *secundo* talis, D. Thom. 1, 2. *quæst.* 91. *artic.* 2.

## §. III.

### *Quid nominis natura? quid jus naturale?*

11. DE jure nat. tractantibus quam utile sit claram habere notionem terminorum in quæstionibus proponendorum, expressit Ulpianus dicens; *Juri operam daturum prius nosse oportet, unde nomen juris descendat*, L. 1. ff. de J. & J. Aliunde etiam experimur, quod quam quisque artem profiteri velit, terminos artis ejusdem sibi ante omnia perspectos habeat, necesse sit. Cum igitur in studio Jurisprudentiæ naturalis sæpe admodum occurrant voces hæ, *natura; naturaliter: jus naturæ: lex naturalis*, &c. istæ quo melius intelligentur, eo facilius enodari poterunt dubia, quæ aliquam difficultatis speciem habere videntur. Et cum jam in comperto sit dari legem nat. ejusque originem a Lege DEI æterna derivari, sequitur, ut in notionem nominis, demum rei & substantiæ ejusdem legis nat. deveniamus.

Naturæ *nomen* multifariam accipitur. Sæpe enim pro DEO ipso tanquam causa prima usurpatur, dicente Seneca, l. 1. de benef. *Quid aliud est natura, quam DEUS? nihil natura sine DEO est, nec DEUS sine natura*. Aliquando pro causa secunda & DEO subjecta, sic Ovid. *metamorph. l.* 1.

*Hanc DEUS & melior litem natura diremit.*

12. Non raro sumitur pro rerum universitate, vel pro ordine illo, quem DEUS eidem præfixit. Quandoque etiam significat rei essentiam, imo quodlibet ens suo modo existens. Physicis natura est *principium motus & quietis*. Sed hæc sunt extra nostram considerationem, cui magis congruit, quod D. Aug. *l.* 3. *conf.* nomen *naturæ* accipiat pro mere naturali & ordinaria illa *DEI operatione, quæ mentibus nostris injedit, cujus ipse DEUS auctor est*, nempe pro inspirationibus, & dictaminibus internis pure naturalibus, abstrahentibus hominem ab actu *per se* turpi, & inducentibus ad actus *per se* bonos, & hæc acceptio nostro scopo maxime accommodata est.

Inde fit, ut etiam terminorum: *naturalis naturaliter* &c. certa idea haberi possit. Scilicet juxta D. Th. 1. 2. *q.* 10. *art.* 1. & 2. illud *dicitur naturale rei, quod convenit ei secundum*

*cundum suam substantiam, seu quod per se inest rei.* Cujus ratio est, quia semper principium in his, quæ a natura conveniunt rei est naturale, ut patet in intellectu nostro, cui principia cognoscendi sunt naturaliter nota, qualia sunt illa metaphysica, *omne est, vel non est* &c. quæ solis viribus naturæ, sine supernaturali auxilio percipi & haberi possunt.

13. Ad alterum autem quæsitum, *quid nominis jus naturale?* omissis innumeris & perplexis explicationibus, responsio in promptu est ex D. Th. juxta quem in 1. 2. q. 94. art. 2. Jus *naturæ* secundum triplicem inclinationem, quam habet homo ad bonum prosequendum, & malum fugiendum, sumitur trifariam. *Primo*, quatenus inest homini inclinatio ad physicam sui conservationem: & ita sumptum competit omnibus substantiis, etiam tantum vegetativis, ac inanimatis; Verum hoc casu non recte dicitur *jus naturale*: sed potius *exigentia naturalis*. *Secundo*, quatenus inest homini inclinatio ad aliqua *magis specialia secundum naturam sensitivam*, in qua communicat cum brutis: at nec id dicendum est proprie *jus naturale*: sed *instinctus naturæ sensitivæ*, qualem experimur, dum famem, sitim, frigus &c. patimur, quærimus enim his contraria remedia, quæ etiam inquirunt & bruta. Hoc sensu dixit gentilis Poeata Lucan. *l.* 1.

*Quod natura jubet, non est contemnere tutum.*

*Tertio* modo consideratur, prout inest homini inclinatio *ad bonum secundum naturam rationalem*, & unice ita spectatum bene appellatur, *Jus naturale: Legale: Lex naturæ*. Ita enim sumptum denotat normam & regulam aliquam humanarum actionum, juxta dictamen practicum rectę rationis formandarum. Quarum cum solus homo inter omnes creaturas sublunares capax sit, hinc neque jus naturale, quatenus id pro lege & morum in naturali justitia fundatorum regula sumitur, ulli alteri enti competere potest. Atque de ita spectato Jure nat. scilicet prout *vim legis proprie* talis habente, tam lucubratio præsens, quam tota Jurisprudentiæ naturalis disciplina procedet.

§. IV. *Quid*

## §. IV.

*Quid rei sit jus naturæ, quæ ejus recta definitio, quid Jurisprudentia naturalis?*

14. EX vasta & confusa multitudine definitionum ac descriptionum juris naturalis *legalis* præplacet illa, quæ jus hoc definit esse *Imperium, seu jussum divinæ voluntatis necessario præcipientis rectæ rationi convenientia, & prohibentis contraria, manifestatum per dictamen rationis nobis congenitum*. Dixi 1. *Imperium seu jussum*, non vero *ordinationem divinæ voluntatis*, ut plerique volunt. Tum quia de ratione omnis, atque adeo etiam naturalis legis est, ut *imperative* procedat, ita docente Modestino in l. 7. ff. de LL. *Legis virtus hæc est, imperare, vetare, permittere, punire*, alioqui etiam mera consilia vim legis obligantis haberent, cum hæc quoque sint *Ordinationes rationabiles*. Tum quia *imperium* seu jussus, jussio, prout denotat potestatem auctoritativam Legislatoris, sunt termini magis proprii omnis juris legalis. Hanc ob causam celebriores ICti legem positivam non aliter definiverunt, quam *Rationabile imperium, seu jussum in bonum commune publica authoritate sufficienter promulgatum*.

Neque alterius opinionis fuisse colligitur *Lactantius* l. 6. de vero cult. c. 8. legem naturalem describens his verbis; *Est vera ratio naturæ congruæ diffusa in omnes, constans, sempiterna, quæ vocet ad officium JUBENDO & VETANDO.* Imo etiam Cicero pro lege DEI æterna perorans similem emphasin adhibuit, ubi *L. 2. de L. L.* dixit, legem hujusmodi esse quid *neque hominum ingeniis excogitatum, neque scitum aliquod populorum: sed æternum quiddam, quod totum mundum regit IMPERANDI, PROHIBENDIQUE sapientia*. Hic ipse Oratorum Princeps *loc. cit.* legem DEI æternam prout manifestatam conscientiis hominum clarius definiens ait: *Est ratio summa insita in natura humana, quæ JUBET ea, quæ facienda sunt, PROHIBETQUE contraria*. Per hunc igitur terminum, *imperium*, seu *jussus*, denotatur genus proximum, seu convenientia Legis nat. cum omni alia, in qua definiendi methodo Ethnici solertissimi fuisse dignoscuntur.

15. Dixi 2. *Divinæ voluntatis*: non item *sapientiæ*, ut non

non paucis placuit. Lex enim divina, five *neceſſaria*, qualem diximus naturalem, ſive *libera*, qualis eſt poſitiva, licet eſſentialiter ſupponat & includat ſapientiam divinam, per quam univerſitas creaturarum gubernatur, nihilominus *vis obligativa*, quæ ad obediendum actu obſtringit creaturam rationalem, non ſapientiæ, ſed *voluntati divinę* immediate attribuitur, pariter ac omnia Decreta divina, ut innuimus hic *n.* 10. *&* 13. Hinc plerique licet non in omni rigore definiant, recte tamen deſcribunt legem nat. quod ſit *VOLUNTAS DEI* neceſſario obligantis, intimata nobis per lumen rationis, a DEO authore naturæ omnibus inſitum; non ita autem bene explicarent per ſapientiam DEI.

16. Dixi 3. *neceſſario præcipientis* &c. hac enim ratione differt Lex nat. a Lege divina poſitiva, quæ non neceſſario prohibet, vel præcipit illa objecta, quæ nec mala nec bona intrinſece ſunt: ſed ſolum bona dicuntur, quatenus a DEO libere præcepta: & mala prout ab eodem libere prohibita, ideoque poterant non prohiberi vel non præcipi. Secus fit in lege nat. & objectis, quæ hoc jure præcepta, vel prohibita novimus. Unde autem *neceſſaria* convenientia, vel diſconvenientia illa, ſeu turpitudo, aut bonitas moralis intrinſeca objecti dignoſci debeat? conſtabit ex dicendis *de principio indicativo* Juris naturæ. Hic & nunc autem ſufficiat oſtendiſſe, quod *principium conſtitutivum* Juris Nat. Legalis, ſit imperium divinæ voluntatis neceſſario præcipientis &c. ſeu quod idem eſt, *Voluntas divina neceſſario imperans nobis actionem aliquam, vel ejus omiſſionem, intimata per dictamen &c.*

Quamvis vero jus conceſſivum, & mere permiſſivum improprie dicatur jus nat., nihilominus in *certo ſenſu* etiam huic definitio allata competit, & quidem *indirecte*. Quatenus ſcilicet jus nat. obligat unumquemque ne alterum ſuo privilegio, ſeu conceſſione, & facultate honeſte utentem impediat. Hinc incedere v. g. per viam publicam mere permiſſum mihi eſt a jure nat. ſi quis tamen me ſine juſta cauſa ab inceſſu per eam prohibeat, violabit legem nat. Atque hunc in modum circa privilegia juris poſitivi dicimus, ea *vim legis* indirecte habere, quatenus ceteri obligantur privilegiatum non impedire in uſu ſui juris.

17. Expoſita definitione juris nat. facilius haberi poteſt notio Juriſprudentiæ nat. *in quo* hæc *conſiſtat*, & *differat* ab aliis Facultatibus? Nimirum ſicut juriſprudentia *in genere*

ſpe-

spectata recte a Justiniano Imp. definitur in §. 1. *Inst. de J. & Just.* esse *Divinarum humanarumque rerum notitia, justi atque injusti scientia*, ita hæc ipsa *in specie*, seu naturalis Jurisprudentia, recte definita est a Seldeno *de J. N. & G. in præfation.* quod sit *perfecta juris nat. peritia practice directiva actionum humanarum ad naturalem rectitudinem*. An vero consistat in actu, vel in habitu? disputent alii, quibus otium suppetit. Id certum est contra *Hobbesium* & alios infra castigandos, quod constitutiva jurisprudentiæ nat. *intrinseca* & proprie talia non sint illa tantum principia, quæ dirigunt officia *hominis ad hominem, ac Societatem*: Sed etiam ea, quæ dirigunt officia hominis *ad DEUM*, ut Auctorem naturæ, & *ad se ipsum*, in ordine ad felicitatem vitæ rationali propriam. Naturalis enim justitia *cuique quod suum est* jubet tribuendum: porro homo non minus Auctori naturæ, quam proximo & societati humanæ, sibique ipsi naturaliter debitor est certorum officiorum: sequitur igitur jus DEO quæsitum esse juxta ac homini ipsi ad certa officia exigenda: fatua itaque illa Jurisprudentia naturalis est, quæ omnia societati humanæ tribuenda docet, Auctorem autem naturæ & hominem intuitu officiorum sibi ipsi competentium a jure ea percipiendi excludit.

18. Jurisprudentia naturalis differt *primo* ab *Ethica*, quia hæc complectitur regulas utiles quidem; sed non absolute necessarias, & procurat honestatem actionum humanarum: verum præscindendo a justitia, ita ut sectetur rationem mere *honesti* & *decori* potius quam justi naturalis. Et licet dirigat etiam ad beatitudinem naturalem; nihilominus dirigit per media diversa ac non absolute necessaria. Secus Jurisprudentia nat. hæc enim hominem ad beatitudinem dirigit per regulas omnino *necessarias*, & sectatur in omnibus justitiam naturalem. *Secundo* jam vero a *Theologia morali* solum distat in eo, quod hæc ex motivo generali bonitatis & malitiæ versetur circa virtutes omnes quocunque jure naturali vel positivo præceptas, ac circa vitia utroque hoc jure prohibita, spectetque forum præcise *internum*, utpote pro fine habens felicitatem supernaturalem æternam, ad quam dirigit. Contra autem jurisprudentia nat. versatur quidem circa solam legem naturalem; sed tamen respicit forum etiam *externum*, dirigendo hominis officia externa non minus ac interna immediate ad finem mere naturalem.

Ex his autem liquet Grotii, Puffendorffii, Wolffii & simi-

similium Protestantium Naturalistarum male in veritate fundatam esse querelam, qua Catholicos morum Magistros cavillantur, quod jurisprudentiam naturalem cum morali Theologia *imperite* confuderint &c. Crisis hæc indigna juris nat. Interpretibus est; qui si non ignorassent moralem Theologiam versari non minus circa actus jure quovis positivo, quam & naturali præceptos vel prohibitos, non fuissent temerarie conquesti Catholicos Theologos tractare simul de obligationibus ex naturali & positivo jure oriri solitis: ita quippe illi versantur circa materiam sui fori, & garrulam ruditatem cavillantium Sciolorum rident.

## §. V.

*Utrum lex nat. consistat in dictamine rationis?*

19. PLerique *Senecam* & alios Philosophos imitati cum Hug. Grotio de *J. B. & P. l.* 1. *c.* 1. *n.* 10. respondent affirmative, qui idcirco definiunt Jus nat. legale esse *dictamen rationis congenitum, præcipiens ea quæ creaturæ rationali qua tali sunt consentanea, & prohibens contraria.* Communior tamen & vera opinio est docens; Dictamen rationis nostræ non esse formaliter ipsam legem nat. sed meram applicationem, seu promulgationem internam prædictæ legis, conditionemque necessariam ad id, ut hæc nos obliget in actu *secundo*, id est, prout sufficienter intellectui intimata per dictamen practicum, quid hic & nunc faciendum, vel omittendum sit.

Deducitur autem hæc sententia I.) ex eo. Quia lex nat. v. g. de non *blasphemando, furando* &c. prior est nostro dictamine. Antequam enim practicum haberemus judicium de non committenda blasphemia, furto &c. jam ab æterno in mente divina existebat prohibitio necessaria & immutabilis hujusmodi objectorum, utpote sua natura turpium, atque adeo jam dabatur lex nat. in actu *primo* & quo ad se, uti etiam ex mente Ciceronis & aliorum innuimus a *num.* 6.) Quod autem in actu *secundo* & quo ad nos nunc primum per practicum dictamen intelligamus eam existere, inde non sequitur legem ejusmodi esse ipsum dictamen. Nam cogitationes nostræ practicæ, judicia ac dictamina non dant esse, seu essentiam & existentiam objectis, de quibus practice judicamus: sed potius eam supponunt pro priori.

20. II. Ne-

20. II. Neque enim ideo *vere* est aliquid præceptum, vel prohibitum, quia a nobis cognoscitur ut tale: sed potius ideo, quia revera est; dicente Gentium Doctore Rom. 7. v. 7. *Concupiscentiam nesciebam, nisi lex diceret, non concupisces.* III.) Hac ratione etiam lex positiva divina & humana aliquid præcipiens vel prohibens e sensu *Grotii* & sequacium ejus non sine absurdo deberet esse ipsum *dictamen rectæ rationis*, quod nobis indicat faciendum aliquid, quia a jure v. g. Civili est præceptum: vel omittendum, quia ab eo est prohibitum: recta enim ratio nostra practice dictat & præcipit nobis non minus legem civilem, ac etiam naturalem servandam. Quod si *Grotiani* sequaces replicent, dictamen illud, quod nos admonet de observantia legis positivæ, esse meram applicationem, seu signum & promulgationem internam præcepti positivi; id ipsum, si consequenter loqui velint, dicere coguntur de dictamine conscientiæ nostræ intimante nobis obligationem naturalem.

21. IV.) Notum est, omnem legem constitui actu & auctoritate Superioris respectu inferiorum; adeoque & legem naturalem: porro dictamen rectæ rationis non constituitur actu & auctoritate Superioris, quia provenit a natura rationali, quæ se ipsa non est Superior & inferior: melius igitur dicendum est, hanc legem esse imperium Divinæ voluntatis necessario prohibentis &c. per dictamen rationis intimatum. Tanto magis, V.) quod lex nat. sit necessaria, immutabilis, æternæ veritatis, atque ideo indefectibilis regula justitiæ naturalis: Atqui dictamen rationis æque ac natura rationalis non est quid essentialiter necessarium: sed contingens & defectibile. Demum VI.) Nemo est, qui suam rationem rectam & dictamina vera non dicat, cum tamen sint erronea sæpe & falsa, hinc sequeretur legem nat. quæ æternæ veritatis est, posse esse in se ac formaliter errorem humani intellectus, ac proin obligare quatenus error est, quod absit. VII.) Huc facit, quod lex DEI æterna non sit dictamen rationis humanæ: igitur neque lex nat. cum lex DEI *æterna*, ac *naturalis* non sint duæ quædam leges: sed potius naturalis sit tantum legis æternæ transcriptio & promulgatio, ac proin solum *secundum quid* diversa &c. ut *num.* 10.)

22. Nec obstat I.) quod *Psalm.* 4. *v.* 6. dixerit David, *signatum est super nos lumen vultus tui Domine.* Quia vox *signatum* denotat id ac promulgatum, communicatum lumen DEI.

DEI. Et David *loc. cit.* non ait quod lumen illud fit proprie & *formaliter* lex: sed potius, quod pro objecto suo legem æternam habeat, eo fere modo, quod promulgatio & cognitio legis humanæ; quæ dum ostendit, quid ex præcepto legis v.g. civilis sit faciendum, non ideo lumen seu dictamen hoc fit lex civilis: sed hanc aliunde sancitam supponit nobisque applicat. Resp. 2. Juxta inferius hic *n.* 29. & 30. dicenda, *Lumen vultus* divini dupliciter *super nos signatum* esse intelligitur. *Primo:* Quatenus præditi sumus *potentia* cognoscendæ divinæ voluntatis, seu legis DEI æternæ nobis in tempore promulgandæ per interna dictamina. Et ita sumptum lumen hoc improprie dicitur lex & lumen, potius enim est ipsa capacitas animæ ad lumen recipiendum & legem cognoscendam. *Secundo*: Intelligitur pro dictamine interno transeunte, seu judicio rationis consistente in inspirationibus internis, & cogitationibus indicantibus nobis quid sequendum vel omittendum hic & nunc sit: quas cogitationes lumina vocamus, quæ etiam *formaliter* non sunt lex: sed signa legis. Sive igitur *lumen* illud *super nos signatum* quoad *potentiam* cognoscendæ legis æternæ animæ identificatam, sive quo ad dictamina seu lumina transeuntia, sive utroque modo intelligas; nondum sequitur vel animam nostram potentem DEI voluntatem cognoscere, esse *formaliter* ipsa legem naturæ, ut per se patet: vel dictamina seu *lumina* nostra transeuntia mereri nomen ejusdem legis naturalis *formaliter* & in se ipsis, cum per dictamina & lumina hæc pure ac præcise *signetur* tantum seu promulgetur nobis lex DEI æterna, seu voluntas ejus necessario prohibens vel præcipiens aliquid, prout etiam constabit ex mox danda responsione ad quartam objectionem. Et aliunde certum est *signum* seu *lumen* legis non esse legem.

II. ) Nec plus vult Apostolus, Rom. 2. dicens: *Gentes, quæ legem non habent - - ipsi sibi sunt lex - - ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis*: Inde enim sequitur potius, quod non ratio nostra, & ejus dictamen sit lex & legislator; sed DEUS ipse, qui *scribit legem in cordibus* necessario prohibendo vel præcipiendo. Ratio autem nostra est tantum quasi tabula quædam, in qua DEI digito scribitur lex nat. Homo quoque dicitur *ipse sibi esse lex*, quatenus per dictamen conscientiæ practicum agnoscit imperium DEI necessario vetantis aliquid. III. ) Similem interpretationem recipiunt alii textus, scilicet, quod loquantur dictamen ratio-

tionis esse legem naturalem *objective & virtualiter*, non vero *formaliter*, quatenus dictamen hoc habet pro objecto legem naturalem ut manifestatam homini per lumen rationis, ac provenientem ab imperio divinæ voluntatis. Eo fere modo, quo dicimus factum aliquod descriptum esse in libro, non quod ibi scriptum sit ipsum factum: sed quod scripti sint characteres, qui a nobis lecti ducunt nos in cognitionem facti, quod ibi narrantur. Inde vero patet, quod textus qui adferri solent, non loquantur in sensu *proprio*.

Minus urget IV.) quod lex nat. sit in homine, utpote creata, & non sit in DEO; ac quod non tabulis: sed cordibus sit impressa, non extra: sed intra hominem existat. Nam contra est, quod lex nat. origine sua & *formaliter* in se sumpta non sit in homine: sed solum sumpta *virtualiter, & signate*, seu pro virtute & signo, quatenus per dictamen ratio humana practice admonetur de existentia *originaria æterna* legis naturalis, seu imperii divini a se distincti ac in tempore per practicum dictamen promulgati. Quod ipsum fit in dictamine circa obligationes provenientes ex quibuscunque legibus etiam humanis. Formaliter autem & in se, prout abstracta a promulgatione actuali lex nat. est ipsa lex æterna, id est ipsa voluntas divina necessario obligans in actu *primo*, estque dein in hominem solum *per immensitatem* divinam, *non* vero *identice* cum dictamine humano actu promulgante intrinsecam bonitatem, vel malitiam objecti.

23. Nihil quoque facit ad rem V.) quod recta ratio dictet homini, quid agendum vel omittendum sit. Non enim quilibet legis dictator est legislator ejusdem, aut lex ipsa: alioqui multi Præcones, & Apparitores gauderent hac prærogativa: sed solum ille, qui dictat legem *propria auctoritate* est legislator, & ab eo auctoritative dictatum præceptum est lex, minime vero is etiam legislator est, qui dictata promulgat, sicut nec ipsa legis promulgatio est lex.

Urgeri quidem posset: lex nat. prout est actu applicata homini per dictamen practicum ac ultimum, est *regula proxima* justitiæ naturalis: igitur saltem ut est *actu applicata* formaliter consistit in ipso dictamine, hinc dictamen hoc erit lex nat. & quidem proxima. Quia secundum Clem. Alexandrin. *l.* 1. *Strom.* Lex est *opinio bona & regula justorum & injustorum*; dictamen autem practicum esse opinionem nemo dubitarit; pariter ac esse regulam & legem,

voce

voce tantum differre. Verum hæc nullius consecutionis sunt. Quia dictamen illud utpote judicium practicum *personæ privatæ* nequit habere vim legis generalis: sed habet tantum *vim regulæ proximæ* respective ad subjectum, in quo hoc dictamen reperitur, quod supponitur in omni lege etiam humana, quoties eam observandam, vel non observandam judicamus; quin tamen judicium hoc recte lex proprie talis dicatur.

Quo facit, quod *regula* idem hic denotet ac *norma*, quæ cum per se nihil præcipiat, neque adeo necessitatem obligationis moralis adferat; sed tantum generatim significet id, cui aliquid conformari debeat, vim legis non obtinet. Prout etiam non stringet illatio, si dixeris, quod juxta dicenda *a n.33.* ) lex nat. prout est promulgata per dictamen rectæ rationis, lex vera esse dicatur. Quia talis dicitur non a dictamine *particularis personæ*: sed a voluntate DEI, omni creaturæ rationali & capaci generaliter ac necessario prohibente turpia, ac præcipiente *ex se* bona. Hinc quamvis *abusive* Jus nat. sumatur etiam pro conscientia præcipiente recta, & prava prohibente, hæc tamen pressius loquendo omnino differunt. Quia lex dicit *regulam generaliter constitutam* circa agenda: conscientia vero dicit *dictamen practicum in particulari* quid hic & nunc agendum sit. Unde conscientia latius patet, quam jus nat. Suar. *de L.L. lib.* 2. *c.* 5. *n.* 15.

24. Nec aliter intelligenda sunt verba Justiniani §. 1. *Inst. de J. N. G. & C.* dicentis jus nat. esse id, *quod naturalis ratio inter homines constituit*; nempe ratio constituit *applicative, promulgative*, ac *virtualiter*: non item *formaliter*, & in se. Verbo: imperium divinæ voluntatis necessario prohibentis vel præcipientis aliquid naturæ rationali ab æterno est lex nat. *originaria*, dictamen autem rationis admonens in tempore de observantia ejus est eadem lex tantum *participata*, seu communicata homini per innatam rationem, tanquam per præconem & ministrum.

Dicitur tamen lex hæc naturalis potiusquam divina, quia per eam DEUS naturam rationalem dirigit per solum dictamen naturale necessario prohibendo intrinsece mala &c. Sicut etiam leges humanæ licet originem suam trahant a lege DEI æterna, tamen neque dicuntur divinæ, neque naturales, quia a DEO solum tanquam a causa generali procedunt, hominem autem non dirigunt per *solum* dicta-

men

men naturale: sed immediate per voluntatem liberam legislatoris humani externe manifestatam, unde etiam dicuntur humanæ.

## §. VI.

### *An Lex naturalis recte statuatur in ipsa natura rationali?*

25. Quidquid *Grotius* cum aliis pro affirmativa putaverit, certa est negativa opinio propter sequentia momenta. I. ) Natura creata defectioni subjecta nequit esse *prima regula* justitiæ naturalis immutabilis, ac indefectibilis. II. ) Lex hæc nat. juxta Apostolum *loc. cit.* est *inscripta cordibus* nostris: igitur ipsum cor, seu natura rationalis non potest esse sibi ipsi lex, sed potius subjectum legis naturalis inscriptæ. III. ) Etsi natura rationalis sit *radix*, seu *fundamentum*, & mensura naturalis justitiæ, imo & omnis honestatis præceptæ, tamen ipsa non ideo est lex, siquidem fundamentum & mensura legis diversum quid sint ab ipsa lege. Sic indigentia pauperis est fundamentum legis de danda eleemosyna, non tamen est lex. IV. ) Sequeretur absurdum, quod scilicet DEUS non minus proprie haberet suam legem naturalem, quæ ipsum liget, ac homo eam habet, continet enim in se naturam, cui ratione infinitæ suæ rectitudinis disconveniens est omne peccatum, & datur in eo judicium mentis indicans mentiri esse malum, servare promissa esse omnino rectum & necessarium; si igitur hoc satis est ad rationem legis, etiam in DEO erit vera lex naturalis, qua ille teneatur; quod absit.

26. In contrarium opponi solet, quod aliquæ actiones intrinsecam malitiam habeant, neque quo ad hanc pendeant ab intrinseca prohibitione, judicio, & voluntate DEI: igitur necesse est, ut radix hujus malitiæ sit ipsa natura rationalis, consequenter ipsa erit etiam lex naturalis, dicente Cicerone, l. 2. de LL. *Lex naturæ nil aliud est, nisi recta & a Numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, prohibens contraria.* Verum facilis est responsio; quia illarum actionum intrinseca malitia independenter a divina voluntate datur tantum *radicaliter* & *exigitive*, quatenus in se ipsis inconvenientiam ad lumen rationis habent, non autem etiam *formaliter*, cum malitia formalis cujuscumque actus a repugnantia ad legem Superioris ab intellectu sufficienter apprehensam desumatur. Cum ergo DEUS legem nat. scri-

Merit in cordibus nostris: si eam probe per dictamen practicum apprehensam non observemus, malitia formalis non observantiæ hujus non aliter dabitur, quam supposita necessario prohibente voluntate divina, qua scilicet legem in cordibus nostris scripsit, cui deinde repugnat nostra actio, vel ejus deliberata omissio.

Et ratio est, quia lex nat. in ratione legis proprie dictæ pendet a voluntate DEI prohibente ea, quæ intrinsece mala sunt. Quæ voluntas est DEO necessaria ex hypothesi quod creet naturam rationalem, cum includatur in voluntate illam constituendi in esse talis naturæ, eique immittendi dictamina rectę rationis, uti patet ex D. Aug. *l. 2. de peccat. merit. c. 16.* dicente, *quomodo non vitatur per DEI justitiam, si peccatum est?* consequens autem est, ut prædicta bonitas vel malitia *formalis* non detur in objecto: sed solum fundamentalis, per ordinem ad naturam rationalem, non ut legem: sed ut terminum convenientiæ.

Alii respondent, quod ante Decretum DEI liberum dentur actiones malæ *physice*, non item *moraliter*. Id autem Decretum DEI liberum in hoc casu ita exponitur, quod scilicet DEUS hominem libere condiderit, ejusque cordi inscripserit legem illam abæternam, necessariam, & immutabilem, quam a rationali natura vocamus naturalem. Potuit quippe eum non condere, consequenter nec hanc inscripsisset.

27. Minus quoque urget *Grotii* extravagans ratiocinatio, qui *de J. B. & P. in Prolog. §. XI.* ait, *etiamsi daremus non esse DEUM*, adhuc recta ratio omnia hæc intrinsece mala prohiberet, quæ nunc prohibet: igitur non in lege ulla & voluntate divina: sed in ipsa natura rationali statuenda est lex nat. Contra enim est. I.) quod ex prædicta hypothesi impossibili si DEUS non existeret, sicut sequeretur existere creaturam rationalem, & simul eam non existere, utpote non existente suo Creatore & Conservatore; ita consequens foret, rationem naturalem prohibere intrinsece mala, & non prohibere: desumi regulam honestatis ex ratione naturali, & non desumi. II.) Si per impossibile DEUS non esset, eadem quidem naturalis ratio esset regula *indicans*, (puta, malitiam & bonitatem mere fundamentalem seu exigentiam prohibitionis &c.) sed *non præcipiens*, vel *prohibens*. Quia dictamina illa pro tunc non esent imperia a Superiore intimata; unde eorum violatio esset peccatum

tum *philosophice* tantum & improprie. Nam *peccatum est prævaricatio Legis divinæ*, ut ait D. Ambros. *de Paradiso c.* 8. hinc infert D. Aug. *loc. cit.* dicens: *Neque peccatum erit, si quid erit, si non divinitus jubeatur ut non sit.*

Quidquid de his sit; certum est non licere hic a statu impossibilis inexistentiæ divinæ philosophari ad statum præsentem, in quo DEUS O. M. existit. Hæc quippe speculatio dedit ansam Protestantibus Naturalistis, ut cum *Hobbio*, *Hobbesio* ceterisque non paucis DEUM a jure nat. prorsus eliminarint, suasque lucubrationes de naturali disciplina publico obtruserint non pro statu naturæ, in quo vivimus: sed pro alio pure possibili, & sub concavo lunæ existente, imo & absolute repugnante, docentes nos ita hic & nunc vivere debere, ac si in statu naturæ puræ, vel in hypothesi impossibilis inexistentiæ Divinæ viveremus. Verum subtilitas hæc crassæ juncta ignorantiæ; præter scandalum rudium, & risum Eruditorum, nihil utilitatis secum vehit.

## A R T I C U L U S I I.

*De promulgatione Legis naturalis.*

## S U M M A R I U M.

28 *Lex nat. indiget promulgatione.*
29. *Ante quam non obligat in actu secundo.*
30. *Promulgatur autem per dictamen.*
31. *Solvitur contraria instantia.*
32. *Quo pacto natura nos doceat Legem?*
33. & 34. *Præcepta nat. non sunt mera consilia ut erronee putant Protestantes.*
35. & 36. *An Lex nat. sit aliqua regula honestatis? quid, & quotuplex sit?*

### §. I.

*Utrum promulgatio sit de essentia Legis naturalis? qualis requiratur, & quando fiat?*

28. EX definitione Legis nat. liquet affirmativa decisio hujus quæstionis, quod scilicet ad hoc, ut Lex naturalis nos in actu *secundo* obliget, necessario requiratur ejus promulgatio. Cum enim lex hæc sit *imperium*, seu *jussus*

*divinæ voluntatis* &c. consequens est omnino requiri, ut homini sufficienter constet de hac imperante, prohibente vel præcipiente quidpiam voluntate, alioqui obligaretur ad aliquid sibi ignotum & impossibile, ad quod sicut Naturæ Auctor, ita neque natura ipsa nos adstringit. Constare autem de illa nequit aliter, nisi per practicum dictamen, quo admonemur, quid honestum, vel turpe sit, quid hic & nunc faciendum, vel omittendum; id enim est promulgari nobis divinam legem necessario prohibentem aliquid vel præcipientem. Sicut in simili experimur in omni foro nos excusari a transgressione formali legis v. gr. humanæ, si illa nobis sufficienter non fuerit promulgata. Ita autem promulgata fuisse censetur, si ex notitia externa moralem certitudinem de existentia ipsius auctoritative facta acquirimus. Unde etiam vim brocardici obtinuit axioma illud ex Can. In istis dist. 4. *Leges constituuntur, cum promulgantur*, ante promulgationem autem non censentur constitutæ, cum tantum remote & in *actu* 1. non item etiam proxime ac in *actu* 2. nos obligent.

29. Nec oberit, quod lex DEI æterna extiterit ante sæcula, quin promulgata fuerit: legem vero naturalem non esse aliam, quam æternam, utpote absolute necessariam asseruimus, *n.* 10. ). Nam in contrarium est, quod ex cit. *n.* 10.) pateat legem naturalem esse æternam, quatenus est, & fuit ab æterno in *Mente divina* immutabiliter, non item quatenus *in tempore* intimatur seu promulgatur nobis, per dictamen naturale. Lex igitur illa ante sufficientem promulgationem factam creaturæ rationali, ab æterno fuit lex tantum in *actu* 1. id est, incompleta ac initiativa *quo ad nos*, potens aliquando obligare, si intimetur, completur dein per sufficientem intimationem conscientiæ nostræ factam. Nec obligat, nisi *ut promulgata* in tempore, hoc est prout applicata per legem sive divinam, uti sunt præcepta Decalogi, quæ nos monent de obligatione naturali honorandi parentes &c. sive per humanam: quarum multæ sunt, quæ declarant naturales obligationes; sive per *dictamen internum*, quale etiam rudes experiuntur. Neque alia potest reddi ratio, cur infantes, licet natura rationali constent, lege tamen nat. in actu *secundo* non obligentur, antequam per usum rationis ad maturitatem judicii perveniant, nisi quod obligatio naturalis nondum illis fuerit insinuata propter immaturitatem judicii. Quod ipsum procedit de omni alio

subje-

subjecto, seu subdito, & de omni alia lege, ut ante convenientem sui promulgationem ille non obligetur, & hæc non obliget in actu secundo. Ex his

Colliges I.) Quod lex nat. prout *est in nobis*, dupliciter spectari possit, scilicet *minus proprie in actu* 1. seu secundum habitum: & *proprie in actu* 2. seu secundum actum. In *priore* sensu nil aliud est, quam potentia & vis animæ ad cognoscendam voluntatem DEI vel prohibentem dissentanea, vel præcipientem consentanea rationi. Et in hoc sensu est *congenita, permanens*, ac etiam homine nil cogitante vel judicante concipitur retineri utpote proprietas animæ identificata, *scripta in cordibus* humanis. In sensu autem *altero* est *judicium rationis* consistens in cogitatione, seu dictamine, hic & nunc manifestante voluntatem DEI vel præcipientem rationi consentanea, vel prohibentem contraria. Et in hoc sensu est *intrinseca* per receptionem, diciturque *transiens*, & vere ac *proprie* est in nobis lex hæc in actu secundo spectata: non tamen est *identice* cum dictamine nostro actu eam promulgante: sed mere per *immensitatem*, formaliter autem & in se est in mente divina, tanquam lex ejus æterna promulgata in tempore. Inde D. Th. 1. 2. *q.*71. *art.* 6. *ad* 4. recte dixit, *legem naturalem contineri principaliter in lege æterna DEI: secundario vero in naturali judicatorio rationis humanæ*.

Colliges II.) Quod dictamen de objecto non sit nuda repræsentatio naturalis disconvenientiæ, vel convenientiæ cum natura rationali: sed etiam promulgatio *divini imperii* aliquid jubentis, seu *signum* divinæ voluntatis imperantis, & consequenter conditio ad legem qua obligantem necessario requisita.

3°. Sed ambigi posset: qualis promulgatio requiratur & quo modo fiat? Resp. Quæsito huic satisfaciet sequens deductio. Nempe, promulgationem talem hic requiri, per quam intellectus noster practice certus *moraliter* reddatur de imperio divinæ voluntatis, aliquem actum vel omissionem ejus *necessario* præcipientis vel prohibentis. Sicut autem in legum positivarum notitiam ducit nos promulgatio per actus externos facta, prout olim Moysi, ac dein populo Israelitico promulgatus fuit Divinorum præceptorum decalogus, ac deinceps aliæ leges etiam humanæ promulgari solent: ita a contrario lex nat. unicuique nostrum promulgatur ut plurimum *per dictamina interna*, a DEO naturæ Auctore cor-

dibus nostris naturaliter indita, ac immissa, qualia sunt non esse *mentiendum*, *furandum* &c.

Sapienter hac de re sentit Seneca epist. 65. *Jus naturæ est a DEO tanquam naturæ Auctore impressum, inditumque cordibus nostris, per quod secundum dictamen rationis practicæ actus humanos liberos, ad bonum justumque dirigimus.* Ecce! hic Ethnicus distinguit legem nat. in actu *primo* & *improprie* sumptam pro ipsa cognoscendi potentia tanquam intrinseca & identificata animæ proprietate a DEO Auctore *impressa*, a lege nat. in actu *secundo* spectata & sumpta *secundum dictamen rationis practicæ*, seu prout sumitur pro ipso judicio rationis, consistente in cogitatione, lumine, ac cognitione circa bonitatem vel malitiam actus practice exercendi vel omittendi, a DEO naturæ Auctore nobis immissa, per quam lex ejus æterna, seu voluntas necessario prohibens vel præcipiens promulgatur.

31. Neque opponi hic potest: prædicta dictamina mere naturalia debere ipsi naturæ rationali immediate attribui potius quam DEO, a quo sicut ipsa ratio naturalis, ita & illa dictamina, imo & tota lex nat. procedunt solum tanquam a causa generali *effectiva*, non vero tanquam a Legislatore & causa *specificativa*: id enim præstat natura ipsa humana, vel ejus recte disposita ratio. Nam contra est, quod jam constet ex *n.* 19. (*& seq.*) legem nat. neque in ipso dictamine rationis, nec in natura rationali: sed potius in imperio divinæ voluntatis supra explicatæ consistere, ac proin inspirationes seu dictamina etiam mere *naturaliter* bona de observanda lege naturali, DEO ipsi etiam tanquam Legislatori necessario præcipienti, vel prohibenti attribuenda sunt, quæ ab intellectu creato *physice*, *moraliter* tamen ab Auctore naturæ procedunt, suntque ejus imperia formaliter dirigentia, obligantia, ac *moraliter* permanentia. Ille enim creando naturam rationalem, ejusque cordi inscribendo legem, nec potuit, nec voluit se privare Legislatoris naturalis prærogativa, transferendo eam in rationem, vel in ipsam naturam rationalem a se creatam.

Quo fit, ut DEUS, sicut nequit negare se ipsum, aut ordinem justitiæ suæ auferre, ita non potest non prohibere immediate per se ipsum ea, quæ intrinsece mala sunt & contra rationem naturalem. Præclare hac in parte ait Gerson in tr. de vita spirit. l. 2. coroll. 5. *Lex naturalis præceptiva est signum inditum cuilibet homini non impedito in usu*

*debi-*

*debito rationis, & notificationum voluntatis divinæ, volentis creaturam rationalem humanam teneri ad aliquid agendum, vel non agendum, per consequentiam sui finis naturalis.*

§. II.

*Quo igitur pacto natura docet nos legem naturalem?*

32. NAtura nos legem hanc docere dicitur, dum lumen rectæ rationis, quo honestum inter & turpe discernimus, per dictamina naturaliter oborta practice hic & nunc admonet *bonum esse faciendum: malum fugiendum: quod nobis nollemus fieri, alteri ne fecerimus: non esse detrahendum proximo: non pejerandum &c.* Hoc enim casu ratio recta interne promulgat nobis divinam voluntatem necessario præcipientem, vel prohibentem. Quia ut ait D. Anselm. L. de volunt. DEI: *Quicunque legi naturali obviat, DEI voluntatem non servat.* Dum autem veritates hujusmodi ipsa natura homini ita promulgat, eum vere docet, quid in his vel illis circumstantiis practice agendum vel omittendum sit. Atque ita intelligenda est lex nat. esse *scripta in cordibus nostris*, quatenus Creator noster condit hominem ratione præditum, naturaliter capacem discernere inter bonum & malum, ut hoc fugere, illud eligere possit, si velit, dicente D. Aug. l. 2. de serm. Domini: *Nullam animam esse, quæ ratiocinari possit, in cujus conscientia non loquatur DEUS &c.* Locutio autem divina potest esse *mere naturale* donum, prout distinctum a gratiis & inspirationibus, fierique solet non per *Synderesin* solam, seu per generale principium v. g. *malum est fugiendum &c.* sed etiam per particularis veritatis insinuationem menti factam, ut fit, dum in circumstantiis occasionis ad mentiendum, innata ratio repræsentat mendacii turpitudinem, quatenus ostendit, illum actum esse contra finem naturæ rationalis, nempe contra rectam habitudinem ad DEUM, consequenter ostendit illum a DEO vi suæ infinitæ perfectionis esse prohibitum &c.

Advertendum tamen hic est, naturam non ita semper *certo* nos docere ea, quæ juris sunt naturalis, quin in deducendis aliquibus conclusionibus ex principiis universalibus facile error interdum surrepat, præsertim quando conclusiones ejusmodi remote & obscure ex primis principiis

colliguntur. Quo fit, ut circa ea, quæ juris sunt naturalis error possit aliquando evenire. Prout fusius de his infra tractabitur, ubi de ignorantia juris naturalis.

## §. III.

*An Lex nat. interne promulgata sit proprie lex; & an illa sit aliqua regula honestatis?*

33. AD primam quæsiti partem *negative* respondit *Laurentius Fleischerus*, qui in suis paradoxis, quibus Institutiones J. N. & G. ex Thomasio illustravit *L. 1. c. 5.* non erubuit ineptire dicens; *Præcepta naturalia non esse leges proprie dictas: sed mera consilia: monita paterna*, eo quod ratio sibi soli relicta ignoret conceptum DEI, tanquam *Legislatoris, & Domini:* sed *solius Patris, ac Doctoris* &c. Verum errore hoc protestantico risu exploso, Eruditis Catholicis certum est contrarium. Quis enim mentis adeo inops erit, qui dixerit *blasphemiam, furtum, adulterium* & similia intrinsece turpia nos jure nat. spectato non teneri vitare, nisi ex mero consilio, & decentia? Alioqui furta, adulteria, latrocinia & alia hujusmodi crimina non deberent pœna capitali puniri, nemo enim pro non impleto *mero consilio* ultimo supplicio affici citra injustitiam potest. *Ratio* quoque Catholicæ doctrinæ est, quia ut D. Th. 1. 2. *q.* 94. *art.* 2. cum communi recte sentientium ait, tota definitio Legis proprie dictæ, quæcunque hæc recta asseratur, eidem convenit; Est enim *rectum voluntatis divinæ decretum, aliquid subditis, seu communitati, propter commune bonum faciendum, aut non faciendum imperans, eique manifestatum.*

34. Nec obstat, quod Lex nat. in actu 2. spectata supponat dictamen in mente cujuslibet privati hominis existens, ac quod proinde nec Publicum, nec subditos & communitatem obligare posse videatur. Nam contra est, quod adhuc sit *decretum publicum*, quia publica ipsius DEI auctoritate necessario sancitum, & ad omnes homines, seu totam generis humani communitatem pertinet. Nec refert, quod dictamen hominis sit quid *privatum:* quia constat jam, non dictamen qua tale esse legem naturalem: sed voluntatem DEI necessario unicuique hominum imperantem;

ac

ac dein dictamen hoc necessario supponitur in lege etiam humana, prout in actu 2. obligante, quin tamen ideo hæc desinat esse lex proprie.

35. Quod alteram quæsiti partem concernit, an scil. *nat. sit aliqua regula honestatis*, seu *justitiæ naturalis?* Resp. Constare jam ex supra dictis legem nat. posse hic bifariam spectari. *Primo*, pro lege DEI *æterna, ante omnem promulgationem*, seu applicationem homini in tempore factam per dictamen practicum. 2. pro eadem lege DEI æterna modo prædicto *in tempore applicata*. Lex igitur naturalis quatenus est ab æterno solum in mente Divina, est *principium directivum*, seu *prima* regula *objectiva* ac *remota* omnis moralitatis, ac proin & naturalis justitiæ, omnisque honestatis. Ita quippe spectata lex nat. est in re ipsa lex DEI æterna, quæ dicitur *primo regulans*, quia est prima radix omnis justitiæ, consequenter habet primam viam obligandi, qualis non reperitur in natura rationali, cum nemo in se ipsum jus exerceat, aut possit esse superior & legislator respectu sui ipsius.

Præter hanc *primam* & supremam regulam *remotam* ac *objectivam* honestatis, quam legem æternam, seu voluntatem DEI asserimus, dantur adhuc aliæ *secundariæ* ac subordinatæ regulæ *remotæ*, ac *objectivæ* honestatis generice sumptæ. Hujusmodi sunt leges humanæ, tam sacræ, quam civiles justæ. Imo non solum leges: sed etiam opiniones humanæ rationabiles, ac judicia de licentia vel honestate quarumdam actionum possunt dici aliquando *regulæ remotæ & objectivæ* honestatis, quibus licite & honeste actiones nostras possumus conformare, imo sæpe etiam tenemur, quando Legislator etiam humanus ad hoc nos vult esse obligatos.

36. Altero modo spectata lex nat. & æterna, seu prout est in *tempore creaturæ rationali* per dictamen rationis practicum *promulgata* & applicata, est *principium directivum*, seu regula *proxima* justitiæ naturalis, & honestatis. Lex enim prædicta ita applicata constituit tunc *conscientiam practicam*, quæ est *regula proxima & formalis* omnium actionum moralium, supponitque dictamen ultimum practicum, de honestate, vel licentia actionis. Et quamvis aliqui conscientiam non tam regulam moralitatis, quam applicationem regulæ objectivæ, seu legis DEI æternæ dicendam putent: nihilominus communiter vocatur *regula formalis & proxima*, quatenus est intentionalis applicatio regulæ objectivæ, quæ applicatio fit per dictamen.

To-

Totam hanc quæstionem paucis definivit D. Th. 1. 2. q. 21. *artic.* 1. dicens, *In his quæ aguntur per voluntatem, regula proxima est ratio humana: regula autem suprema est lex æterna, quandocunque ergo actus hominis procedit in finem secundum ordinem rationis, & legis æternæ, tunc actus est rectus: quando autem ab hac rectitudine obliquatur, tunc est peccatum*. Et idem Doctor *ead. p. quæst.* 21. *art.* 6. subjungit, *alia vero est prima regula, scilicet Lex æterna, quæ est quasi ratio DEI*.

Uberius de his Catholici Theologi, & fusissime: sed supra modum absurde protestantici Naturalistæ, *Hobbesius, Grotius, Hobbius, Puffendorfius, Coccejus, Fleischerus Wolffius de J. N. & G.* qui etiam præter nostram intentionem provocarunt nos, ut paucis de hac, similibusque materiis theologicis innuamus, non contradicendi pruritu, neque ut geramus nos juxta illam plenam ironia paræmiam: *Dic aliquid contra, ut duo esse videamur*: sed solius veritatis studio, ne in Jurisprudentia naturali a Protestantibus sparsi errores triumphent, & incautos Lectores inficiant.

## ARTICULUS III.

*De divisione & subjecto legis naturalis.*

### SUMMARIUM.

37. *Divisio Juris Nat. in absolutum & limitatum.*
38. *Probatur dari limitatum seu hypotheticum.*
39. *Pariter ac affirmativum, negativum, permissivum.*
40. *Primævum & secundarium J. N. rejicitur.*
41. *Lex nat. permissiva potest impediri.*
42. *Sine forma civili actus a Jure permissus non valet.*
43. *Solvitur contraria ratio.*
44. *Lex nat. convenit omnibus hominibus.*
45. *&c. Brutis ne quidem materialiter.*
49. *Passeres & lupi ne materialis quidem furti, vel rapinæ rei sunt.*
50. *&c. Jus civile vocem Juris nat. abusive usurpat.*

§. I. *Quo-*

§. I.

*Quotuplex sit Jus naturæ, & an detur hypotheticum?*

37. Diximus jam *n.* 13.) jus nat. late sumptum secundum triplicem inclinationem hominis trifariam accipi, ex quibus significationibus unica & propria illa est, quæ denotat jus naturale *legale*, seu legem nat. cujus solus homo, inter ea, quæ sub cœlo existunt, capax est. Hoc ipsum autem Jus nat. legale subdividitur communius, I.) in *absolutum*, seu illimitatum, & II.) In *limitatum*, seu ut aliis placet *conditionatum; hypotheticum*. Illud immediate obligat in suis materiis, & *independenter* ab omni prævio statu, limitatione, hypothesi, consensu, conditione, pacto vel contractu, aliove facto nostro. Et ita obligamur ad certa officia *affirmativa* reddenda DEO, nobis ipsis, & proximo; obstringimur quoque ad *negativa*, qualia sunt non blasphemare, non pejerare, non odisse DEUM, & proximum &c. Obligatio hujusmodi *absoluta* & illimitata dicitur ex eo, quod nullæ circumstantiæ reperiri possint, propter quas variari seu mutari queat materia præcepta, ut patet in instantiis jam adductis.

Contra autem jus naturale legale, seu lex nat. *limitata: conditionata: hypothetica* dicitur illa, quæ oritur ex sola hypothesi certi status hominis, aut ex consensu, promissione, voto, contractu, aliave conditione tacita, vel expressa, aut facto humano proprio sive alieno quocunque. Ita filius lege naturali tenetur revereri Patrem: si tam hic illum insontem propria auctoritate vellet interficere, vel a Religione vera ad falsam pertrahere, cessabit obligatio naturalis. Quia hæc fuit limitata: *si Pater non abutatur jure suo &c.* Idem fieri solet in *pactis, promissionibus, votis, contractibus* libere initis & validis, quæ jure nat. nonnisi tamdiu obligant, quousque justa causa non adfuerit, per quam prior obligatio extinguatur. Item in *proprietate rerum*, quæ jus tribuit nonnisi supposito *statu divisionis factæ;* hinc accedente *extrema* proximi necessitate, cum juxta infra dicenda, quandoque cesset divisio, & succedat primæva communio bonorum, cessabit etiam jus proprietatis, aut saltem usus rei propriæ. Quid simile fieri videmus per præscriptionem legitime factam. In his quippe aliisve casibus

bus materia legis nat. mutatur, consequenter obligatio naturalis *per se* definit, ut post *Thom. Sanch. Hug. Grot.* tradunt Braun *de Jurisprud. p.* 2. *c. un.* §. 1. Gletle in juris prud. fundam. *l.* 1. *tit.* 2. *c.* 6. §. 2. *n.* 2. Schmier, Pichl. Heinecc. & alii innumeri.

38. Nec facit ad rem, quod objectum pro tempore mutandarum circumstantiarum non fuerit jure nat. præceptum, vel prohibitum. Nam hoc ipso præceptum hujusmodi est *limitatum*, siquidem non pro omnibus circumstantiis obligat; sicut a contrario obligare intelligitur *absolutum*, v. g. de non blasphemando, non pejerando: bene de DEO sentiendo &c. quod pro nullo tempore & circumstantiis ponendi actus restringitur, & limitatur. Sufficit igitur ad rationem legis nat. *limitatæ*, seu hypotheticæ, quod illa objectum præceperit, vel prohibuerit sub *certa limitatione, modo, statu*, vel *conditione tacita*: usque dum potestas legitima aliud juste statuat; aut circumstantiæ materiam immutent &c. Imo cum ipsi Adversarii nobiscum admittant legem nat. posse mutari *extrinsece*, scilicet ratione materiæ; velint nolint, *re ipsa* Jus hoc nat. *limitatum* coguntur admittere. Neque enim aliud quid per legem naturalem *limitatam conditionatam* seu *hypotheticam* intelligimus, quam eam legem quæ *extrinsece*, & ratione *materiæ* præceptæ vel prohibitæ mutari potest, hanc ob causam dicimus eam *limitatam* &c. usque dum prædicto modo immutetur, & tandem obligare desinat.

Multo minus urget, quod admissa leg. nat. limitata, seu condicionata, hypothetica, sequeretur obligationem ejus esse suspensam, usque dum conditio purificetur, ut fit in promissionibus sub conditione factis &c. Contra enim est, quod solæ conditiones *suspensivæ*, non item *resolutivæ*, (quales solæ contingere possunt in obligationibus naturalibus hypotheticis ac limitatis) suspendant actus vel contractus, & quod modus ille obligandi habeat *vim limitationis* potius, *quam conditionis strictæ* & suspensivæ, ut patet consideranti obligationes ortas v. g. ex promissionibus, quas Judex rescindere potest & solet, quæ utique nequaquam suspenduntur, cum ex quo acceptatæ fuerint, statim incipiant obligare, & pergunt, usque dum *resolvantur* rescissione Judicis, vel alio justo eventu.

Nec fortius urget alterum, quod scilicet nulla lex nat. limitata seu conditionata ostendatur quæ mutari possit. Ad id

id enim nota jam est responsio: nullam legem hujusmodi ostendi: quæ mutari possit *in se ipsa & intrinsece*; bene autem *extrinsece*, seu ratione objecti & circumstantiarum, quarum intuitu sicut cessat obligatio naturalis, ita rectissime dicitur *limitata* usque dum resolvatur lex nat. obligans. Quæ resolutio fit eveniente alio statu objecti præcepti, vel prohibiti, uti est *occisio innocentis*, quam fatemur jure nat. esse prohibitam pro *certis* circumstantiis, non item pro *omnibus absolute*, nec ita sicut prohibetur mendacium, perjurium &c. Hinc lex ista nat. non est intelligenda esse conditionata, vel limitata *ratione sui*: sed solum *ratione objecti* mutabilis. Plura de his videri possunt hic infra ubi de officiis & obligationibus *hypotheticis* tractatur. Quas cum nullus Naturalistarum excludat, merito suus locus est illis hic conservandus, quibus negatis omnes adventitii hominum status negandi essent, & omnes ac solæ absolutæ obligationes naturales admittendæ, quod rectæ rationi, imo præsenti, in qua vivimus providentiæ repugnat.

39. II.) Subdividitur Jus nat. legale sicut & reliqua præcepta, in *Affirmativum*, cujus objectum est positio actus, seu quo aliquid faciendum præcipitur: Et in *negativum*, cujus objectum est *omissio* actus, id est, quo aliquid fieri prohibetur. *Negativum* hoc præceptum, quamdiu materia præcepti durat, semper & pro semper obligat: *Affirmativum* non item. Reductive quoque & improprie jus nat. dividi solet in *concessivum*, seu *permissivum*, cujus objectum respectu juris nat. est actus *indifferens*, nec positive præceptus, nec ita prohibitus; talis est *esus carnium: communio rerum: libertas homini concessa: divisio rerum: & servitus permissa*, aliaque id genus.

Sunt quidem, qui hoc jus nat. permissivum, & concessivum absolute negant, eo quod jus nat. legale voluntate DEI *necessario* aliquid ordinantis constituatur: quæ autem mere permittit DEUS, circa ea nil ordinat, nec vult ea, nec non vult fieri: Sed hæc ratio solum probat, permissivum, vel concessivum non esse jus naturale *proprie* tale, quale nullus hominum huc usque asseruit, non vero evincit illud ne quidem jus *improprie* dictum esse, quatenus scilicet sumitur pro mera facultate naturali non prohibita. Nam si quis me sine causa impediat in usu meæ libertatis v. g. condendi testamenti, violabit legem nat. *negativam*, quæ eum prohibet, ne me jure meo utentem impediat &c. Igitur manife-

stum

stum est mihi assistere jus nat. permissivum, & *indirecte* obligare alterum, ne me prohibeat. Alioqui non esset ratio, cur illi jure naturali negata sit facultas me impediendi in meæ libertatis exercitio, si hæc mihi non fuit concessa, vel permissa. Quo etiam facit, quod omnis lex dividatur in *præceptivam* & *permissivam*: cur igitur non hæc etiam, ut ait Suar. *L.* 2. *de LL. C.* 14. *n.* 6.?

40. Sunt adhuc non pauci, qui dividunt Legem nat. in *primævam*, & in *secundariam*, per hanc intelligentes conclusiones morales deductas ex principiis universalibus: per illam vero ipsa principia universalia: *declina a malo & fac bonum &c.* Sed merito rejicitur hæc divisio. Quia tam per primaria quam secundaria principia unam eandemque legem suam DEUS nobis manifestat, ad perfectiones suas commendandas, & felicitatem nostram comparandam nos dirigens. Quod si illi per primævam legem nat. intelligere velint legem *absolutam*, & per *secundariam* significent legem *hypotheticam*, seu *limitatam*, divisio hæc illorum bene sustineri potest, secus rejicienda est.

## §. II.

### *An lex nat. permissiva immutari possit?*

41. Vix dubio locus est, legem nat. mere permissivam & concessivam, utpote improprie legem, immutari, imo & simpliciter impediri posse a potestate *Legislativa*, etiam sola humana. Jus enim nat. permittendo aliquid homini ex fine ejus privato, non ideo legitimo Magistratui ademit potestatem illud immutandi, vel simpliciter impediendi propter majus bonum. Sic jure nat. permissa est vestium varietas: Jus tamen positivum eam prohibere, vel limitare potest propter luxum arcendum. Hac quoque ipsa ratione pleraque impedimenta matrimonii per Sacras, ac aliorum contractuum per Civiles leges introducta sunt, non repugnante lege nat. concessiva, & permissiva.

42. Inde fit, quod si actus Jure nat. concessus non servet formam, vel conditionem substantialem a jure positivo sub nullitate ejus præscriptam; ne quidem naturaliter valeat. Ad valorem enim hunc in actibus mere permissis, jure etiam nat. tria copulative requiruntur tanquam principia intrinseca actus, scilicet *voluntas & potestas*, ac *materiæ capaci-*

*pacitas*, neque unum sine altero adesse sufficit, nec alterutrius defectum jus nat. supplere potest. Id enim mere permisit exercitium actus v. g. contractus celebrandi, testamenti condendi &c. cum tacita conditione: *Si legitima dispositio Magistratus, cui nos obedire tenemur, observetur:* Porro Magistratus dispositio hæc est, ut non *aliter actus subsistat*, nisi hac forma servata, vel hac conditione impleta. Si igitur actus ille nihilominus adhuc sine forma debita exerceatur; hoc casu aderit quidem *voluntas* exercendi & consensus: sed deerit *potestas*, quæ non ex jure nat. mere permissivo; verum ex mente Legislatoris & iuris humani repetenda erat. Sub hac quippe conditione fuit actus permissus a jure nat. Alioqui jus hoc foveret inobedientiam erga legitimos Magistratus, aut saltem discordiam naturalis legis cum lege positiva, vel pro *foro poli* approbaret actum sine sua forma, vel conditione ad valorem ejus per legem humanam essentialiter requisita attentatum & factum. Sicut itaque homo sine anima nullus est in consideratione physica, ita actus ille informis pro nullo habetur in æstimatione morali. Patet id *v.* g. in *Adoptione* non, vel minus solemni: si quis enim propria auctoritate, sine debita juris positivi forma adoptet juvenem quempiam in filium, nihil efficiet, ut vel is in familiam ejus transeat, vel in hereditate ab intestato succedat, aut impedimentum *cognationis legalis* in ordine ad impediendum matrimonium cum filia vel sorore ita adoptantis contrahat.

43. Frustra autem hic ad consensum liberum & jus naturæ recurreris: Quia id sicut non supplet defectum materiæ, circa quam v. g. Adoptio, testamentum, contractus, aliusve actus versatur, ita neque formæ a Magistratu vel lege humana præscriptæ, hæc enim ac illa æquali jure requiruntur. Et patet adhuc in *Rescriptis*, *sententiis judicialibus*, *præscriptione*, aliisque actibus, qui non servata sua forma, vel conditione substantiali, nec pro *foro interno* subsistunt. Quo etiam facit, quod jus nat. permissivum utpote lex improprie talis, cum nihil præcipiat vel prohibeat circa factionem, aut omissionem actus v. g. *Adoptionis* faciendæ, *testamenti* condendi, *contractus* ineundi &c. hoc casu consideretur ac si non esset; & actus totum suum valorem, vel licentiam desumit a lege positiva cui subjectus est. Quid ergo juvat consensus naturalis elicitus contra legem humanam, quæ actum non aliter voluit validum, vel licitum, nisi

nisi sub *certa forma, conditione*, vel *solemnitate* substantiali, ob cujus defectum *consequenter*, & tacite vel expresse inhabiles reddidit personas ad aliter operandum? Fusius de his, ubi de *lege irritante* agetur.

## §. III.

### *An Jus nat. conveniat omnibus hominibus?*

44. Certum est, Legem nat. nedum convenire omnibus hominibus ratione utentibus; sed etiam singulorum cordibus inscriptam esse, quæ recta percipiat & intrinsece mala necessario prohibeat, adeo ut qui eam transgreditur, peccet, quin locum excusationi habeat, quod rudis, indoctus, literarum expers sit, vel de Religione revelata nil audiverit. *Ratio est*, tum quod DEUS in tali casu non sit nec possit esse acceptor personarum, ac proin cum lumen illud naturale concesserit certis hominibus uti agnoverunt etiam Ethnici, *art. n.* 7. ) consequens est, ut non negaverit etiam omnibus aliis rationis usu præditis. Tum quia lex hæc DEI voluntatem liberam supponit tantum ex parte *subjecti*, seu quo ad suam existentiam, non autem etiam ex parte *objecti*, & quo ad specificationem. Unde licet liberrimum Creatori nostro fuerit producere nos ex nihilo vel non, supposito tamen Decreto de nobis producendis, necessarium fuit, ut produceret nos luminis hujus & legis nat. capaces, id enim est de essentia hominis. Alioqui natura rationalis deficeret in necessariis, & homo ad finem suum foret male comparatus.

Neque obstat, quod multi rudes nil quidpiam de lege hac unquam audiverint: nam illa subjecto capaci se ipsam promulgat naturaliter, & insinuat, dum ei practicum aliquod principium innotescit, seu ut loquitur D. Th. 1. 2. q. 90. *art.* 4. *ad.* 1. *DEUS eam inseruit mentibus hominum naturaliter cognoscendam*. Verbo: potentia ratiocinandi innata homini uno passu incedit cum jurisprudentia ejus naturali. Quia scilicet si velit, potest discernere naturaliter malum a bono, & hoc amplecti, illud fugere, dicente D. Hieronymo in Ep. ad Algas q. 8. *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat, idcirco justum judicium DEI est scribentis in corde humani generis: Quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

§. IV. An

## §. IV.

### *An Jus naturæ conveniat brutis?*

45. JUs naturale *legale*, seu prout vim legis habet, ne quidem *materialiter* ( ut frustra aliqui JCti volunt ) brutis, aliisque irrationabilibus competere potest. 2. ) In sensu tamen *latissimo*, seu prout distinguitur a lege naturæ proprie tali, & præcise denotat rationem sapientiæ divinæ directivam omnium creaturarum, & earum motuum in suos fines, extendit se ad omnia entia etiam pure possibilia, ac proin & ad bruta. 3. ) Atque hoc sensu intelligimus illum divini eloquii textum, Prov. 8. *Legem ponebat aquis ne transirent fines suos*. 4. ) Similem expositionem patiuntur plerique textus, qui in Corpore Juris comm. Rom. extantes brutis Jus naturale attribuere videntur.

*Ratio* primæ partis, & per consequens aliarum hic assertarum est I. ) Quia ut creatura adstringatur jure *moraliter*, seu *civiliter* obligante, necesse est, ut illa rationis usu & libertate sit prædita, indeque obligationis & pœnæ capax. Ita quippe vim regulæ præcipientis vel prohibentis actum agnoscere poterit. Ad hunc autem finem debet gaudere *plena libertate*, quia frustra imperatur, vel prohibetur, quod agitur vel omittitur *necessario*. Debet etiam *obligationis esse capax*, alioqui imponeretur subjecto inhabili, hinc Legislator imprudentiæ argueretur & lex foret iniqua, quod repugnat sapientissimo Gubernatori DEO ejusque perfectioni. Debet quoque esse *capax pœnæ*, quia hanc meretur transgressio formalis, vel præsumpta obligationis per jus impositæ:

Atqui nihil ex his cadit in bruta, vel alias creaturas irrationales. Nam bruta ex *necessitate* naturæ ad unum quasi objectum affixa esse, neque agere ex libera electione, sed potius agi ex physice impressa motione ad finem a natura præfixum intelligimus. Quis autem dixerit actus physice necessarios per regulam *moralem* ad rectitudinis amussim inverti?

46. II. ) Nec facit ad scopum Adversariorum, quod Ulpianus *l. 1. §. 3. ff. de J. & J.* jus naturæ vocet id: ***quod natura omnia animalia docuit***. Hæc enim locutio juxta plerosque *erronea* est, juxta communem aliorum est *abusiva*. Nam *comestio, progressio, prolis generatio & educatio, natura-*

*ter* quidem fiunt: sed non ex jure naturali *legali*. Neque instinctus ille, qui bestias movet, juris *legalis* meretur nomen ob defectum rationis, & alia jam hic adducta. Ipse quoque Justin. *pr. Inst. si quadrupes pauperiem.* & idem Ulp. *l. 1. §. 3. de J. & J.* negant, bruta injuriam cuipiam irrogare posse, ideoque damnum ab illis datum *pauperiem*, & actum quo damnum illatum est, non injuriam: sed *noxium commissum* vocant. Aut igitur Gentilis JCtus, sicut in multis aliis, ita & in supra adducto textu halucinatus est, & sibi ipsi non constat, modo hæc, modo alia definiens, aut locutus est abusive, per Jus nat. intelligens non jus nat. proprie & *legale*; sed mere naturæ sensitivæ competens, quale exposuimus *n. 13.*) ubi ex *D. Th.* decidimus respectu naturæ *mere sensitivæ* non esse, neque dici Jus naturæ proprie tale: sed *instinctum naturæ* sensitivæ

III. ) Si Ulpiani allata definitio de jure nat. legali intelligatur, hoc secum vehit absurdum, quod brutis competat jus adversus hominem, possintque eum injustitiæ & injuriæ insimulare, qui bestiam occiderit. Cum tamen Divina providentia plenissimum homini dominium in res sublunares tribuat.

47. Nec stringit ratio, quod Lex DEI æterna non solum ad creaturas rationales: sed etiam ad bruta extendatur. Hæc enim extenditur quoque ad saxa, & omnes res inanimatas, quin tamen his jus nat. proprie competere dicant Adversarii, quorum notitiam fugisse apparet, quod Lex DEI æterna bifariam a TT. intelligatur, *primo* in latiori significatione, *secundo* in sensu restricto, ut liquet ex *n. 8. & seq.* ) Non igitur in hac altera, sed in priore significatione, sumendo jus pro mero naturali *instinctu* omnibus sensitivis communi, Lex DEI æterna extenditur ad bruta. Ex his inferes, quod bruta juris veri naturalis ac formaliter talis sint incapacia: sed solus homo inter animalia, cum hic solus sit rationalis ac a natura insiti dictaminis ductu, ex *propria electione* feratur in id, ad quod inclinatur.

48. IV. Quod vero ne *materialiter* quidem jus nat. *legale* commune sit brutis & homini, præter jam dicta, patet ex eo. Quia *materialiter* talis prædicatio legis cadit solum super illa entia, quæ sunt capacia eam transgredi, vel observare *formaliter*, & interim ob dispositionem intellectus, vel actus imperfectionem, aut ignorantiam probabilem exercent actus suos indeliberate: Porro bruta non sunt capacia *formali-*

*maliter* transgrediendi, vel observandi legem, ut per se patet: igitur nec materialiter. Quis enim prudens dixerit *lupum*, aut *passerculum* materialiter saltem peccare contra legem nat. si hic frumentum furetur, ille ovem alienam rapiat, vel hominem devoret? Alioqui cur non sit etiam dicendus lapis peccare *materialiter*, si de pariete avulsus super caput hominis decidat & id confringat? Ubi ergo non est intellectus, ibi nec cognitio *materialis*, vel *formalis*, hunc enim utraque supponit, hoc solo discrimine, quod illa ab impedito, hæc a non impedito procedat. Licet quoque dicamus bruta *uti jure suo*, si escam suæ speciei convenientem acquirant, pullos suos alant &c. Hæc tamen locutio non aliter a Prudentibus accipitur, quam quod *instinctu sensitivo* ducantur ad conservationem sui individui, & speciei, juxta *generalem* Divinæ sapientiæ ordinationem, unamquamque creaturam per media ei determinata ad suos fines conservantem.

49. V.) Contraria momenta, quæ *Vinnius*, *Kees* & similes JCti adducunt, nihil probant. Non enim *primum*, quod actus brutorum complures sint ipsis & homini communes. Quia communio hæc est tantum *analoga* & *similitudinaria*, ex causa quod tam brutum quam homo sit quid sensitivum: Porro lex nat. sicut & omnis alia non fertur pro homine qua sensitivo: sed qua simul rationali, quod deest in bruto. Et hinc infantes, & perpetuo amentes non delinquunt contra jus nat. quia hujus violatio, non ex *sensus* ductu: sed ex *rationis* usu æstimatur.

VI.) Nec efficacius est *secundum*, quod bruta saltem *materiali* & *sensitiva* cognitione attingant objectum, in quod feruntur, cujus cognitionis expertes sunt res inanimatæ. Nam contra est, quod materiali illa cognitione non attingant objectum *se libere submittendo* legi: sed solum *necessario* agendo, alias possent mereri, vel demereri. Deinde, materialis actus procedens ab ente mere sensitivo diversus est ab actu materiali procedente ab homine, qui simul est sensitivum & rationale. Hic quippe saltem *physice* potest libere impedire actum materialiter malum; non item brutum, cum incapax sit electionis. Ita, nisi passeres raperent alienum frumentum, & lupi oves aliaque animalia, omnes vel plerique eorum interirent: cui ergo bono imponitur illis ista obligatio *materialis*, cum natura eorum physica necessitate adstricta sit ad unum agendi modum?

 VII.) Omni-

VII.) Omnino autem elumbe est tertium JCtorum argumentum: quod bruta concrementur pro delicto bestialitatis cum homine exercitæ: igitur &c. Nihil enim rationabile inde sequitur, quia concrematio illa non fit in *pœnam bruti*: sed in *detestationem criminis* ab homine perpetrati, & ad horrorem incutiendum ceteris. Passeres quoque & lupi sæpe miseri conquiruntur ad mortem, non ob furta & rapinas *materiales*: sed ut homines subtrahant causas pauperiei & noxii: illi enim ne quidem *materialis* rapinæ vel furti rei sunt, ut liquet ex supra adductis.

## §. V.

*Unde probetur, quod Jus commune Romanum Juris nat. vocem sæpe abusive adhibeat?*

50. NOstri quidem fori non est hic & nunc Jus commune Rom. interpretari: sed naturale exponere, quo tamen efficacius amoveatur erroris ansa, quæ haberi potest ex studio vel lectione Juris civilis Rom. ubi pleræque obligationes naturales asseruntur, cum tamen non sint; juvat paucis explicare.

I.) Jam deductum est a *n.46.*) Justin. & Ulp. *pr. Inst. de J. N. G. & C.* & aliis loc. in definitione Juris nat. improprie locutos fuisse. Simili autem usus est dialecto Papin. in *L. scripto 7. ff. si tab. test. nullæ* ubi ait: *Liberis communi voto naturæ parentum hereditatem deberi*, cum tamen in hoc casu, teste Guil. Grotio *de princ. J. N. c. 2. n. 1.* nullum quo ad hereditatem sit debitum naturale. Natura enim sola alimenta liberis provideri vult a parentibus, usque dum proles ea sibi ipsę acquirant: ut autem iisdem hereditas relinquatur a suis Genitoribus, hoc iis non est a Jure nat. præceptum: sed mere permissum, tanquam paterno amori valde conforme.

II.) Non raro JCti Romani omne id, quod juri nat. non repugnat, juris esse nat. dixerunt, quem tamen loquendi modum melius alii *Reductivum*, alii *negativum* vocant apud Hug. Grot. *de J. B. l. 1. c. 1. n. 9.* Ita quippe in *l. sed etsi 25. §. consuluit 11. ff. de heredit. pet.* dicimur *ad remunerandum naturaliter obligari*, quod tamen omnino falsum est, si in sensu proprio obligationem hanc intelligamus. Si enim naturalis datur obligatio remunerandi, redonandi; jam non fuit liberalis & pura ac simplex donatio, muneratio: sed potius

con-

contractus quidam onerosus inducens obligationem justitiæ commutativæ, uti fit in Empto-vendito, locato-conducto &c. Quod tamen proprie loquendo se ita non habet.

III.) Aliquando etiam *naturale* quid esse pronunciatur; quod plerumque fieri solet, & jure Gentium impune fit, ut patet in his Juris civilis verbis, *l. in causæ* 16. §. 4. *ff. de minor.* ibi: *In pretio emptionis & venditionis licet naturaliter contrahentibus se decipere.* Quod ipsum repetitur in *L. Item si* 22. *ff. loc.* ubi dicitur: *Naturaliter concessum est invicem se circumscribere*, seu decipere; cum tamen omnis deceptio jure nat. prohibita sit, & tanquam intrinsece turpis rectæ rationi repugnet.

51. IV.) Hunc etiam in modum alibi legitur: *Jus nostrum non patitur in paganis eundem & testato & intestato decessisse* (quod dictum Juris Romani est in sequente causali fundatum) *earumque rerum naturaliter inter se pugna est: testatus & intestatus.* L. Jus nostrum 7. ff. de R. J. Hæc tamen locutio non est vera; imo si probe perpendatur, videtur a quodam febricitante, si non omnino ineptiente Ethnico JCto prolata, esse contra communem sanæ mentis sensum. *Naturalis* enim ratio neutiquam prohibet, ne quis ex parte bonorum suorum testatus, ex altera eorum intestatus decedat: alioqui, si id ex *naturali* ratione prohibitum foret & irritum, nedum in Imperio Rom. sed in universo mundo nullus hominum posset pro parte testatus, pro altera, intestatus mori, cum præcepta naturalia omnes homines obligent, & non solos Cives Romani Imperii. Verum ad hæc & similia aliter responderi nequit, quam Jus Romanum improprie & abusive adhibuisse juris naturalis mentionem. Qualia exempla innumera se offerent legenti Corpus Juris Civilis, & poterit quis facile induci in errorem obligationis naturalis, in illis casibus, ubi illa nulla est, & vicissim: nisi probe versatus fuerit in Jurisprudentia naturali.

## ARTICULUS VI.

### *De proprietatibus Juris naturalis.*

SUMMARIUM.

52. *Proprietates Juris nat. exponuntur.*
53. &c. *Discrimen inter J. N. & positivum.*

## §. I.

### *Quæ sint proprietates Juris naturalis? quod sit discrimen inter jus nat. & positivum? ac num lex naturæ sit idem cum jure naturæ?*

52. I. ) Proprietates Juris nat. *sex* numerantur, scilicet unitas, uniformitas, universalitas, evidentia, excellentia, & immutabilitas quo ad substantiam.

*Unitas* desumitur hic *ex fine* ad quem Jurisprudentia nat. dirigit. Etsi enim in quovis homine sint plura præcepta naturalia, ex omnibus tamen nonnisi unum resultat Jus nat. quatenus omnia præcepta hæc reducuntur ad unum principium, unum finem, unum naturæ Auctorem. II. ) *Uniformitas* denotat eundem obligandi modum, quo Jus nat. omnes homines, & ubique obstringit. Nec enim ex varietate locorum variationem *intrinsece ac se recipit*, ut leges humanæ: Neque etiam rationem propriam alicujus individui; sed naturam specificam, quæ eadem in omnibus, & ubique est, sequitur. Et hæc vera sunt quo ad principia universalia, quamdiu status hominum, aliæque circumstantiæ non mutantur; alioqui mutari poterit obligatio naturalis, non secundum se quidem: bene tamen indirecte ac consequenter ad mutationem materiæ, de quo uberius infra tractabimus. III. ) *Universalitas* in eo consistit, quod cum Jus nat. fundetur in ipsa rationali natura, obliget omnes, in quibus recta ratio est; & sub hoc respectu apud JCtos non raro confunditur cum *Jure Gentium*, auditque *commune omnium nationum*, uti legitur in *Can. 7. dist.* I.

IV. ) Evidentia Juris nat. dicitur eo sensu, quod *invincibiliter* ignorari saltem per longum tempus, & ex toto nequeat, puta, quo ad *principia prima*, &c. V. ) *Excellentiæ* pro-

proprietas Juri huic tribuitur ex eo, quod excellat inter omnes alias leges, cum earum sit norma. Si enim ab hac æquitatis regula Jus positivum deflectat, legis nomen non meretur. Proprietates hæ ita succincte hic & nunc adductæ fusius exponentur in seqq. quæstionibus.

53. Quod autem attinet ad *discrimen inter Jus nat. & positivum*; id fundatur *primo*, in causa *efficiente*. Jus enim hoc DEUM ut *Auctorem naturæ*, positivum vero aut hominem, aut DEUM, *sub alio* tamen respectu pro fonte agnoscit, *secundò*, in causa *materiali*: quod obligatio Juris nat. oriatur a *natura objecti*, indeque se diffundat in præceptum. Hinc etiam dici consuevit, ea quæ sunt Juris nat. *prohibita esse quia mala, & non ideo mala esse, quia prohibita*, similiter: præcipi bona ut fiant, *quia necessario bona sunt in se*; & *non ideo bona quia præcepta*. A contrario autem obligatio juris positivi oritur præcise a præcepto & voluntate præcipientis, indeque derivatur in objectum. Atque idcirco de iis, quæ juris positivi, dicitur ea esse *mala quia prohibita*, & non ideo prohibita, quasi *in se* essent mala. Similiter: bona necessaria esse ut fiant, *quia imperata*, & non ideo imperata, quasi *de se* bona necessaria essent. Et hac de causa merito Aristoteles 5. *Eth. c. 6.* ea esse juris positivi definit dicens: *quæ a principio antequam lex statuatur, nihil refert, sic an aliter fiant, postquam vero lex est lata, refert*; quia videlicet eorum obligatio non oritur a natura rei præceptæ: sed a præcepto & voluntate *non necessaria* præcipientis. Unde autem dignoscendum sit, quod aliqua obligatio oriatur ex natura rei; decidetur *Cap. seq. de princip. indicat.*

54. *Tertio*) Differt in *causa formali*. Jus enim nat. sola DEI voluntate, ex hypothesi liberæ creationis hominis constitutum, ac menti nostræ inditum, nec voce, nec scriptura promulgatur: Jus autem *positivum* non cordibus imprimitur: sed scripto datur, præconis voce publicatur, aut consuetudine vim legis habente per actus externos introducitur.

*Quarto*) In *causa finali*. Finis enim nat. legis *minus principalis* est utilitas totius naturæ humanæ in se consideratæ, recta scilicet constitutio, & felicitas ejus naturalis, quam illius Author DEUS intendit, & sic legem fert, ut hæc recta constitutio procuretur & conservetur. Finis autem *ultimus & principalis* est DEUS ipse infinite perfectus, ob cujus perfectiones commendandas, uti omnis creatura, ita cum

primis recta constitutio rationalis Reipublicæ per leges naturales procuranda, a summa illa mente intenditur, ac dirigitur. Contra autem finis *positivæ* legis pro legum varietate varius est, & ex libera voluntate Legislatoris procedit. *Quinto)* Differt in *effectu*. Nam Jus nat. obligat omnes, qui naturali pollent ratione, & ita quidem, ut *in se* mutari nequeat. Secus jus *positivum*, quod non omnes: sed illos tantum obstringit, qui Legislatori sunt subjecti, nec ita constanter, quin mutari possit.

55. An autem *Lex nat. sit idem cum Jure naturæ?* liquet jam ex *n.* 13.) non semper hæc esse convertibilia, ut unum de altero affirmari possit, sed distingui *secundum quid*, tanquam speciem a suo genere, imo tanquam hominem verum ab homine picto. Constat enim Jus nat. generice sumptum posse intelligi improprie, pro *mera exigentia* naturali, vel pro *instinctu naturæ* sensitivæ, qui communis est brutis & hominibus: aut demum pro *inclinatione ad bonum & malum morale*, secundum aut contra naturam rationalem. Et solum *tertio* hoc respectu sumptum jus nat. est idem ac *lex naturalis: jus naturale legale: jus nat. proprie*, quod accipitur pro omnibus & singulis præceptis naturalibus homini impositis. Consequens autem est, ut ab aliter intellecto jure nat. distinguatur lex nat. nec sit idem cum illo.

## §. II.

### *An præcepta Juris naturalis sint mutabilia?*

56. PRæcepta nat. secundum se formaliter & proprie, manente eadem materia & circumstantiis nulla prorsus auctoritate sunt mutabilia. *Ratio est* I.) Quia jus nat. si consideretur prout est *in DEO*, non dependet ab ipsius arbitrio, cum versetur circa ea, quæ habent intrinsecam bonitatem moralem, vel malitiam. Itaque sicut essentias rerum, ita jus nat. manente natura rationali cum usu rationis & libertatis DEUS mutare nequit. Alioqui illud intrinsece mutando negaret seipsum, quia negaret sibi deberi cultum & amorem, imo & affirmaret se odio & aversione dignum hoc ipso, quod præcepta *primæ* Decalogi tabulæ tanquam prima naturæ principia immutaret. II.) Tanto minus potest immutari jus hoc, quatenus consideratur *in homine*. Quia est intrinseca proprietas fluens ex natura rationali, quam cum homo immutare

tare nequeat, neque illam poterit. III.) Demum, sicut res *intrinsece mala* nunquam potest desinere esse mala, ita non potest desinere lex negativa illam prohibens, & affirmativa actum *de se* honestum præcipiens, cujus omissio tunc dum actus necessario alias ponendus esset, semper est mala. Ex quibus etiam sequitur non posse vel ab ipso DEO *abrogari* legem nat. prout nec locum dari *dispensationi directæ*: bene tamen *indirectæ*, scilicet mutatis circumstantiis, si hæ mutari possint.

57. Posset quidem hic opponi, quod juxta *n. 26.*) omne malum morale formalem suam malitiam desumat ab intrinseca voluntate prohibentis DEI: igitur sublata prohibitione hac tanquam Auctoris naturæ & Juris naturæ, præceptorum negativorum transgressiones non amplius sunt futuræ malæ formaliter. Sed contra est, quod sit mensura hoc casu malitia actionis *radicalis* proveniens ex innata disconvenientia ejus cum natura rationali, qualis sufficit ad id, ut actus sit *ex se* immutabiliter turpis. Hujus sententiæ est lex Justinianæa §. 11. *Inst. de J. N.G. & C.* dicens; *Sed naturalia quidem jura, quæ apud omnes Gentes peræque observantur, Divina quadam providentia constituta semper firma, atque immutabilia permanent*. Atque asserta hæc decisio procedit nedum quo ad *prima* & generalia principia, seu syndereses: *bonum faciendum: malum fugiendum* &c. sed etiam quo ad particularia, & ex primis illis per evidentem, vel moraliter certam illationem deducta, scilicet: *non blasphemandum: non mentiendum* &c. Par enim est ratio: & ex vero non sequitur nisi verum.

58. Illa tamen præcepta naturalia pleraque improprie, *indirecte*, & *secundum materiam* solam immutari possunt potestate etiam humana, quoties materia præcepti naturalis subest eidem. Quia legem nat. improprie mutari nil aliud est, quam circumstantias ita variari, ut materia non amplius sub lege, & Legislatoris intentione contineatur: Porro quando materia Juris nat. pendet a potestate humana, hæc circumstantia ita variari potest, ut materia non amplius maneat sub lege nat. & Legislatoris intentione, e. g. *Si Judex rescindat contractum: irritet promissionem ob justam causam* &c.

Ratio præterea hujus est, quia eo casu, quo materia Juris nat. humanæ dispositioni subest, non habet obligationem absolutam: sed solum *limitatam*: quousque scilicet legitima potestas aliud non statuat, aut donec eventus circum-

stan-

ſtantias mutet. Si igitur ex poſt facto humana poteſtas aliud ſtatuat &c. Jus nat. deſinet obligare. Ita enim votum libere nuncupatum DEO, licet naturali jure voventem obſtringat (cum æque conveniens ſit DEO, ac homini datam fidem ſervare) tamen humana poteſtate ex juſta cauſa relaxari vel commutari poteſt. Quia votum non obligat niſi dependenter a voluntate voventis, igitur materia voti ſubjecta eſt poteſtati humanæ, cum ipſa voluntas hominis, a qua ſubſtantia voti provenit; eidem ſubjecta ſit. Itaque quia votum *non abſolute* obligat: ſed ſolum *limitate*, quamdiu nempe Superior propter juſtam cauſam voventem voluerit eſſe obligatum, illud relaxari a Superiore poteſt, quin jus nat. *formaliter* immutetur. Idem in *juramento* promiſſorio locum habere experientia teſtis eſt, pariter ac de omnibus obligationibus ortis ex pacto vel contractu, hæ enim auctoritate humana tolli vel minui poſſunt. Quia *tacitam* conditionem annexam habent, ſi Superior non immutaverit, vel &c.

Dum igitur contractus cum Pupillo, Minore, prodigo &c. celebratus jure civili pronunciatur irritus, non jus nat. *formaliter* mutatur: ſed materia, ſeu promiſſio mutatis circumſtantiis juri naturali ſubtrahitur, utpote quæ illi non abſolute ſubjacebat: ſed pro illa tantum circumſtantia, ubi a ſuperiore non fuerit ex juſta cauſa irrita. &c.

59. Vinculum quoque Matrimonii *rati* nondum conſummati a S. Pontifice diſſolvi poteſt ſine immutatione formali juris nat. Quia matrimonii vinculum divina quidem ordinatione, prævia tamen mutua Conjugum voluntate & conventione inducitur: Igitur Lex nat. de tenenda individua vitæ conſuetudine, habet pro materia promiſſionem humanam, & hoc ipſo diſpoſitioni Eccleſiaſticæ ſubjectam: ſi ergo S. Pontifex promiſſionem irritet, tollitur vinculum matrimonii *rati*. Nec tamen infringitur jus nat. utpote quod obligare deſiit in illa circumſtantia, quando promiſſio & conventio de perpetua cohabitatione ex juſta cauſa irrita fuiſſe ſupponitur.

Quæ omnia magis adhuc locum habent in DEO, quando materia præcepti ſubeſt poteſtati illius. Hac enim ratione DEUS potuit contra 5. Decalogi præceptum, *non occides*, præcipere Abrahamo *Gen.* I. ut Filium Iſaacum ſibi immolaret. Quia occiſio innocentis tamdiu eſt mala intrinſece, quamdiu eſt injuſta atque adeo mala, etiam inno-

nocenti: Atqui *si DEUS* totius creaturæ Dominus, ad ostendendam absolutissimi dominii sui magnificentiam jubeat innocentem occidi, occisio non est injusta, ac proin nullo modo mala innocenti: sed potius bona, quia auctoritate illius peracta, qui potest malum apparens in verum bonum commutare. Alioqui mors Martyrum propter DEUM tolerata esset mala Martyribus, quod absit. Quod si autem hæc licet ex parte Tyranni & causæ *physicæ* injusta fuerit, adhuc tamen justissima est ex parte causæ *moralis*, quatenus pro DEO & ejus sancta Fide, aut pro virtute occisi sunt: indeque mors hæc illis uti vere est gloriosa, ita minime mala. Tanto minus ullo modo mala fuisset Isaaco, aut cuivis alteri, qui ex *directo* DEI mandato ad ejus Gloriæ magnificentiam ostendendam innocens occideretur; nil obstante quod extra talem casum *directa* innocentis occisio jure nat. sit prohibita. Inde autem alia exempla ita mutatæ materiæ jure naturali præceptæ facile colligi possunt, ex quibus lex nat. *limitata* infertur.

## §. III.

### *Quæ sit diversitas inter variationem, quæ fit in jure nat. & inter eam, quæ fit in jure positivo?*

60. MUtationum hujusmodi hoc discrimen est, quod variatio eorum, quæ fiunt jure nat. non eveniat propter variationem aut mutationem *intrinsecam* ipsius legis nat. sed tantum propter adventum novæ circumstantiæ, quæ extrahit objectum e numero eorum, quæ lege nat. comprehendebantur, & sic desinit obligatio naturalis, quin lex nat. *in se* mutetur. Neque enim unquam de jure nat. fuit, ut v. g. ensis depositus reddatur furioso, eum ratione sui dominii repetere volenti, quin potius contrarium semper jus nat. præcipiat. Inde fit, ut generaliter verum sit, id quod est de jure nat. ad *suam substantiam*, & *quamdiu non mutatur* materia præcepti, ubique & semper eandem vim habere, ut definit Aristot. 5. *Ethic. c.* 7.

Variatio autem eorum, quæ sunt de jure *positivo* evenire potest non solum facta variatione ex parte *objecti* (ut si is, qui die veneris a carnibus abstinere tenebatur, in febrim incidat) sed etiam facta variatione & mutatione in *ipsa lege*, eam abrogando omnino, aut in ea dispensando, eo quod obli-

obligatio illius non ex natura objecti; sed ex voluntate pendeat Legislatoris. Merito proin Aristoteles *l. c.* ea quæ juris sunt positivi, *mensuris vini & tritici* similia esse asseruit, quia sicut hæ pro arbitrio hominum nunc majores nunc minores fieri, & mutari possunt, ita illa, quæ a iure positivo dependent. Et D. Th. *quodlibet*. 9. *a.* 15. ait: *Sunt quædam actiones, quæ absolute considerata deformitatem, vel inordinationem quandam important, quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere &c.*

61. Sed petes: *quomodo jus positivum efficere possit, ut quid liceat contra jus naturæ?* Resolutio quæstionis hujus facile colligitur ex jam dictis. Quod scilicet jus positivum nunquam efficere queat, ut aliquid liceat *contra jus naturæ*: sed solum, ut liceat *præter jus nat.* Id vero facere potest & solet, apponendo, vel adimendo aliquam circumstantiam ex parte objecti, qua id esse desinat sub obligatione juris nat. mansurum alias sub illa, si circumstantia hæc abesset. Patet id in *Præscriptione*; qua ei, qui bona fide possedit aliquid alienum toto tempore requisito, fas est transacto hoc tempore retinere illud, licet resciat fuisse alienum. Quod tamen seclusa lege præscriptionis esset contra jus nat. quia tunc retentio rei alienæ foret *rationabiliter invito Domino*, qualis non fit præscriptione debite completa.

Atque ita intelligendus est Ulpianus in *l. jus civile, ff. de J. N. & G.* dicens, *cum aliquid addimus, vel detrahimus juri communi NATURALI scilicet & Gentium, jus civile efficimus*, nempe jus civile effici secundum eam particularem determinationem, quæ ob adjectam novam circumstantiam immutavit materiam juris nat. Hinc exemplum adducit Aristoteles 5. *Ethic. c.* 7. in hunc sensum loquens: De jure nat. est DEUM coli debere: sed indeterminate, hoc vel illo modo; quod vero hoc, vel alio sacrificio in particulari colatur, id non est de jure nat. sed ex arbitrio hominum pendet: Quare statuere capram Diis, & non duas oves mactare, non ad jus nat. sed ad positivum civile spectat. Eodem modo determinatio Sacrificiorum Missæ in nova lege, ad jus *divinum positivum* pertinet. Item est de jure nat. malefactorem coerceri debere, hoc autem an alio modo coerceatur, ad jus humanum spectat. Addit ergo vel detrahit jus humanum juri nat. dum adimit, vel addit circumstantiam materiæ hujus legis.

§. IV.

§. IV.

*An Jus nat. capax sit interpretationis, vel equi bonique & Epiikiæ?*

62. I.) EPiikiam *proprie* dictam ne quidem divinam lex nat. admittere potest. Nam Epiikia *propria* ac vera est, qua non præcise interpretamur; sed emendamus legem, atque *casum clara lege comprehensum, ex benigna interpretatione mentis Legislatoris a lege excipimus*. Talis porro emendatio non potest dari in naturalibus præceptis, quia hæc posita sunt tanquam necessario convenientia, vel disconvenientia rectæ rationi, suntque principia vel immediate nota, vel propositiones necessariæ, vel ex principiis naturalibus deductæ: igitur in nullo individuo possunt deficere, ita ut obligare desinant non mutatis objecti circumstantiis. Ac proin nec emendationem admittunt. Quo fit, ut in præcepto v. g. de *non mentiendo: non peierando* &c. æquo & bono non sit locus, cum horum disconvenientia nunquam desinat, & nulla dari possit circumstantia, quæ mutet materiam.

63. II.) In aliquibus tamen naturalibus præceptis admittitur Epiikia *impropria*, ac interpretatio etiam mere humana. Quia aliqua præcepta etiam *negativa* non semper & *absolute*, sed *limitate* solum obligant, ut est præceptum *non occides*, id quippe obligat tantum ne *auctoritate privata*, & modo *mere aggressivo injuste* occidamus. Pari ratione æs alienum solvere jure nat. jubemur, nisi ipsi extremam, vel gravem necessitatem passi fame emori, aut grave aliud periculum subire deberemus, tunc enim *primo* casu redibit saltem quo ad usum primæva bonorum communio, altero autem saltem differri solutio poterit, non obstante quod creditor sit invitus.

III.) Ex ita decisa quæstione colligere pronum est, quod jus nat. admittat interpretationem, non item Epiikiam propriam. Porro id discriminis est inter has: quod Epiikia sit opinio qua judicamus, quod licet verba præcepti sint clare obligativa, voluntas tamen Legislatoris sit, ut in circumstantiis certis subditus non obligetur. Et hæc Epiikia alio nomine audit *interpretatio legis restrictiva: exceptio a lege manifesta* &c. Hinc Epiikia propria, qualis datur in lege humana, dictat licite aliquid agere contra *verba clara*. Contra autem *interpretatio* exponit *verba obscura* & dubia, ex aliis prin-

principiis limitationem, aut declarationem admittentia. Prædictam Epiikiam *Aristoteles* vocat prudentem legis scriptæ *moderatricem*, teste Suar. *de LL. l.* 1. *c.* 2. *n.* 10.

## §. V.

### *Quid Juris sit circa legem nat. dubiam?*

64. I.) Propositæ quæstionis vis in eo sita est; quem in modum sibi consulere possit, vel debeat ille, qui de *existentia legis nat.* dubitat, an hic vel ille actus sit jure nat. prohibitus, necne? cui resolvendæ.

*Præmittendum est*, quod dubium *formale* in abstracto spectatum sit *suspensio judicii sive assensus absoluti circa utramque partem contradictionis ab intellectu apprehensam, orta vel ex defectu sufficientium, vel ex æqualitate utrinque pugnantium rationum*. Aliud proin est *pure negativum*, quod oritur ex omnimodo defectu rationum pro una & altera parte, v. g. si dubites, an stellæ sint numero pares? & dicitur potius *nescientia*. Aliud *non pure negativum*, quando pro neutra quidem contradictionis parte adest ulla ratio gravis, non desunt tamen pro utraque æqualiter mediocres, ita ut saltem sufficiant ad prudenter dubitandum. *Positivum* est, quod oritur ex rationibus invicem contrariis pro utraque parte vere probabilibus, ac *de se* sufficientibus ad prudentem assensum, vel dissensum, saltem si non simul concurrerent. Potest autem esse vel *speculativum*, vel *practicum*. Illud versatur circa rem *in genere*, abstrahendo interim ab ipsa actione, v. g. si dubites: *an licet in silva aliena venari*: Istud autem circa rem *in particulari*: ut si dubites an jure nat. spectato liceat *hic & nunc* proxime & immediate glande plumbea *trajicere cervum in silva aliena eumque asportare*. Demum aliud est dubium *Juris*, aliud *Facti*. Prius est *de lege, dominio, valore*, seu *honestate alicujus actionis*, puta, an lex aliqua obliget, vel non? an dominium mihi competat? an actus valeat? &c. *Facti* dubium versatur circa factum, v. g. an ego consenserim? an Sejus occiderit Titium &c. His præjactis facilior sequi potest decisio.

65. II.) Stante igitur dubio *stricte practico*, seu eo non deposito, semper *tutius est eligendum*. Quia operans cum dubio practico non ageret ex fide; sed cum virtuali contemptu legis. Nam ille æquivalenter ita est in animo suo constitutus, ac si diceret: *sive hoc sit, sive non sit prohibitum ab Au-*

*Auctore naturæ, nihilominus facio*. Hinc dubius an lex v. g. prohibens existat, tenetur veritatem indagare, & interim actionem suspendere, vel quod tutius eligere, & legem dubiam observare, quia alias laboraret ignorantia vincibili, saltem æquivalenter, ac proin committeret se periculo proximo peccandi, quod prohibet lex naturalis. Et hæc sunt plana.

66. III.) Sed quid juris est, si sufficienti inquisitione facta dubium speculativum de existentia legis obligantis vinci non possit ab eo, qui vellet practice exercere actum, de quo speculative hucusque dubitavit? An dubium hoc prudenter deponet se practice resolvendo ad operandum, ex hac ratione, quod *post diligentem inquisitionem, nec sibi constet quod existat, neque etiam quod non existat lex illa*; verbo: quia *ignorat obligationem hujusmodi*? An vero teneatur se potius gerere etiam hoc casu, tanquam in dubio simpliciter non deposito, sequendo partem tutiorem, & observando legem dubie existentem?

In decidenda quæstione hac in utramque partem disputant T. T. & Naturalistæ quorum neutri opinioni hic & nunc patrocinamur, verum sistendo præcise in jure nat. ac abstrahendo a lege positiva (de qua alibi distincto opere *Erotem. theorico-practic.* 5. *a f.* 30. tractavimus) id solum hic statuere nostrum est, quod jure nat. spectato, in casibus practice dubiis connexis cum gravi animæ periculo, ac a nostra electione libera & judicio dependentibus, debeamus eam partem eligere, quæ verisimile peccati periculum certo excludat. Ita naturalem hanc obligationem intimante divino eloquio *Eccl.* 3. *v.* 27. *Qui amat periculum in illo peribit*. Cum autem lex divina hæc juxta *n.* 35.) sit regula *remota* ac *objectiva* honestatis actus, necesse est, ut adsit regula *proxima* ac immediata ejusdem, quæ voluntati nostræ, utpote potentiæ cœcæ, neque obligationem legis divinæ per se ipsam percipere valenti repræsentet, quidnam lege nat. vel divina sit præceptum, vel prohibitum. Porro hæc regula nequit esse alia, quam *dictamen* conscientiæ *practicum* & ultimum, quo operans certus sit de bonitate actionis ejusque honestate, vel saltem licentia, ac ita convictus, ut non possit hic & nunc admittere prudentem formidinem de opposito. Ita enim caute procedens aget jam *ex fide*, nam in amovendo peccandi periculo egit, quantum in se erat, neque jus naturale ad plus obligat.

67. Circa hoc tamen conscientiæ dictamen in extrema invia

invia abierunt Protestantium Naturalistæ. Et quidem Hobbesius *de Cive*, *c.* 12. *a.* 1. *&* *c.* 14. *a.* 1. non tantum conscientiam nostram tanquam *normam* actus honesti *proximam*: sed etiam divinam ordinationem excludit, solam humani Principis voluntatem pro regula boni & mali, justi ac injusti adstruens. Puffendorfius *de J. N. & G. l.* 1. *c.* 3. §. 4. omne dictamen conscientiæ nostræ rejicit, dicens: *probe notandum, conscientiæ nullo alio respectu circa dirigendas hominis actiones locum aliquem tribui, quam quatenus cognitione legis imbuta est*. Unde juxta hunc Naturalistam sine ulla limitatione docentem, & excludentem *omne dictamen*, ille, qui scit dari legem v. g. humanam: sed eam hic & nunc implere *physice* non potest, adhuc formaliter delinquit, quia *cognitione legis mens ejus imbuta est*, & dictamen facere prohibetur. Heineccius in *Elem. J. N. & G. l.* 1. *c.* 2. §. 40. *fin.* asserit, in dubiis resolvendis absolute non posse nos sequi aliorum sententias, nisi dictamen *metaphysice* certum habeamus. Pro confirmatione moralis suæ, ex *Montaltii* literis provincialibus, Parisiis ad rogum damnatis, & ab Ecclesia jam olim, & nunc iterum A. 1761. reprobatis, ac Romæ infami pyræ addictis transcriptæ, adducit rationem: Quia Apostolus nos aliorum sententiæ in re tanti momenti stare prohibet, dum inculcat præceptum, Rom. XIV. v. 5. *Unusquisque in suo sensu plane certus esto*. Inde concludit ibid. *c.* 3. §. 92. *in not.* quod in moralibus circa licentiam actionis, neque bonum, neque melius: sed *necessario* quod *optimum* est, eligendum sit; & quidem juxta proprium uniuscujusque arbitrium, exclusa omni auctoritate etiam sanctissimorum virorum.

Sed compatiendum est huic Scriptori, qui falsi pœnas non metuens, etiam Gentium Apostolo infamem hanc stropham affingere non erubuit. Sanctus enim Doctor iste *loc. cit.* nempe ad *Rom. XIV. v.* 5. non illa, quæ Auctor falso citavit: sed hæc sola verba habet: *Unusquisque in suo sensu abundet*. In toto autem opere Epistolarum D. Pauli nullibi reperitur vox hæc: *plane*. Imo 1. *ad Thessal. c.* 5. *v.* 21. manifeste dicit; *Omnia autem probate: quod BONUM est tenete*, hinc non obligat ad *optimum*, nec semper ad *melius*, præterquam in amplectenda Fide, quæ cum *una* sit vera, eaque sola Catholica & Apostolico-Romana, gradum comparativum, & superlativum, pariter ac existentia unius DEI, & unius Baptismi, excludit. Quod etiam locum habet, ubi de injuria tertii, vel valore Sacramenti agitur, ac quoties prudens

dens periculum salutis æternæ immineret, tunc melius, seu tutius eligendum. Viderint Orthodoxi Auctorum Acatholicorum circa materiam *moralem* tractantium lectores, quorsum se præcipitent, si eorum Institutiones sive Elementa de jure nat. & similia hujusmodi legant?

68. Prout autem adducta Protestantium Moralistarum momenta veritati dissona sunt, ita approbationem meretur communis recte sentientium doctrina fundata in verbis D. Pauli, Rom. 14. c. 1. *Omne quod non est fide, peccatum est.* Dogma vero hoc non plus ad licentiam actionis requirit, quam dictamen conscientiæ practicum de honestate agendorum, ac omittendorum, ac proin non requirit certitudinem summam, & absolute infallibilem, ita ut hæc sufficiat etiam moralis. Metaphysice enim ac summe certi sumus de fidei articulis a DEO revelatis; contra vero in naturalibus, si prima ac generalia principia, cum paucis quæ ex illis evidenter concluduntur, excipias, certi esse non possumus, propter defectum infallibilitatis & certitudinis summæ.

Docet quippe experientia, quod Diæcesani suo Ordinario, Parochiani Curioni, Pœnitentes Confessario prudenti in suis dubiis acquiescant; varii quoque Clientes & Litigantes in causis perplexis persistant in Responsis Jctorum, & Facultatum Juridicarum, formantes dictamina practica pro resolutione suæ conscientiæ: Et tamen sicut illa omnia consilia ac responsa, ita & iis conformata Clientulorum aliorumque dictamina non sunt metaphysice certa, ut per se patet.

Sufficit igitur dictamen *moraliter certum*, seu tale judicium de licentia & honestate actionis, aut ejus omissionis; quod *omnibus rite consideratis* ita certum faciat operantem, ut hic prudenter nihil metuat, ne actio, vel ejus omissio legi naturali adversetur. Quod si forte adhuc vel decisio hæc cuipiam non arrideat, vel *prudens hæreat dubium* de opposito, optimum illi suggerit consilium naturalis & Divini juris interpres Apostolus 1. *Philipp.* 10. monens pro hoc casu: *Probetis potiora, ut sitis sinceri & sine OFFENSA in diem Christi:* Eligat igitur eam partem, quæ etiam umbram periculi offensæ removet, alioqui operabitur contra propriam conscientiam, sive recte, sive erronee sibi contrarium practice dictantem.

## §. VI.

### *An Lex nat. quo ad conclusiones particulares dubia transeat in materiam Legis positivæ?*

69. Fuit non nemo, qui id negavit in suis lucubrationibus theologicis *de Act. hum.* Sed certum est, eam transire in materiam legis positivæ, idque non solius Ecclesiasticæ: sed etiam (*saltem regulariter*) Civilis. Et quidem de Ecclesiasticis facile quivis concedet, cui Jus canonicum vel a longe innotuit. Quid enim aliud volunt illæ Eruditorum disputationes ab Ecclesia decisæ circa Matrimonium *ratum* nondum consummatum: professionem religiosam patientem dispensationem S. Pontificis ex conveniente causa: reconciliationem sui cum DEO *instantaneam* post admissum crimen; impedimentum matrimonii proveniens ex impotentia perpetua quidem: sed tantum *respectiva*, intuitu scilicet hujus solius conjugis, non item aliarum feminarum &c.? Quo ad leges quoque Civiles ambigi non potest. Quia hæ innumeræ sunt, quæ dubias obligationes naturales decidunt, uti liquet ex *tot. tit. ff. de. O. & A. tit. de pact. tit. de empt. vend.* aliisque similibus. Idque merito factum est, quia non ad Ecclesiasticum tantum: sed etiam Civilium causarum Judicem spectat decidere casum dubiæ obligationis cujuscunque, in materia adiaphora occurrentis, ne justitia maneat in suspenso.

Nec refert, quod Lex nat. etiam dubia sit adhuc divina: non enim inde sequitur, quod ejus interpretatio ad solum naturæ Auctorem, vel Christi Vicarium aut ejus Ecclesiam spectet. Nam etiam Decalogi præcepta alioqui certissima sunt Lex divina & naturalis, quin tamen ideo excludant Judicis Laici interpretationem eo casu, quo delictum aliquod non satis manifeste probatur, contra aliquod Decalogi & naturale præceptum fuisse perpetratum, & dubia obligatio manet. Quod uberius constare potest ex Carolin. *ordin. crim.* Ubi casus illi, qui maximam Judicibus difficultatem, circa obligationes restitutionum, ex variis criminibus provenientium afferebant, a justissimo & sapientissimo Imperatore decisæ & complanatæ sunt, vimque Juris communis in Imperio Romano habent.

Dixi tamen: *saltem regulariter*. Quia aliquæ sunt causæ privile-

vilegiatæ, circa simoniam, hæresim, causas matrimoniales *quo ad valorem* contractus, & similes aliæ, quæ cum ad Judicem Ecclesiasticum *privative* pertineant, Magistratus Laicus non se in eas intromittit.

## ARTICULUS V.

*De objecto, seu materia Legis naturalis:*

### SUMMARIUM.

70. *Quæ sit causa efficiens legis nat.?*
71. *Quale objectum legis ejusdem?*
72. *An etiam omne rationi consentaneum?*
73. *Et an omnes virtutes?*
74. *Imo & an omne honestum, decorum?*
75. &c. *Justum, æquum quid denotent?*
77. &c. *Actiones internæ an sint objectum J. N.*
79. *Ratio connexionis hujus articuli cum seqq.*

70. Ex adducta *n.* 14. ) Juris nat. definitione patet jam causam *efficientem* legis naturalis esse DEUM naturæ Auctorem, ejusque voluntatem homini per di tamen rationis naturale intimatam. *Formalem* autem *intrinsecam* consistere partim in ipso *habitu*, vi cujus ex sua natura capax est homo discernere bonum a malo: partim in *actu*, seu actuali interna promulgatione voluntatis divinæ, tanquam legis nat. qua ille in certis circumstantiis hic & nunc practice admonetur, quid sibi necessario fugiendum, prosequendumve sit. Causa vero *extrinseca* consistit in conformitate principiorum cum lege DEI, tanquam norma universali, per quam naturæ congrua, vel dissona sunt formaliter honesta, vel inhonesta, justa, vel injusta. Quæ conformitas dicitur etiam *applicatio legis* naturalis facta per dictamen conscientiæ practicum de iis, quæ hic & nunc in particulari agenda, vel omittenda sunt. Ex eadem descriptione liquet etiam ad objectum, seu causam materialem juris nat. pertinere, quidquid rectæ rationi consentaneum vel dissentaneum est. Quia autem multa sunt eidem consentanea, v. g. largitio eleemosynæ pauperi triviali, neque in extrema, nec in valde gravi necessitate constituto &c. quin tamen semper sint materia juris nat. *necessario præcipientis*: Hanc ob causam convenientia hæc materiæ fusius examinanda est.

## §. I.

### *Quale sit objectum materiale legis nat. seu circa quid illa versetur?*

71. I.) IN comperto est, legem nat. versari circa principia morum *prima generalia*, ac per se nota, qualia sunt: *Bonum faciendum: malum fugiendum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris*. Item circa principia non ita quidem generalia: sed *specifica*, nihilominus per se etiam nota, qualia sunt: *DEUS colendus: Justitia servanda: Nemo sine causa lędendus*. Ad hæc enim singula natura immediate inclinat, adeo ut absque ratiocinatione, ex ipsa veluti profluant.

II. Eadem lex nat. versatur quoque circa conclusiones ex primis principiis moralitatis evidenter aut certo deductas, seu circa ***omnia præcepta moralia***, quæ fundant ***honestatem*** moribus necessariam, sive dein proxime, sive remote inferantur ex primis principiis. Horum aliqua facilius: ut ***adulterium, furtum, blasphemia***, aliaque Decalogo prohibita, vel **præcepta**: alia difficilius eruuntur, uti sunt præcepta ***negativa*** de vitandis usuris, de duello, vindicta privata. Item præcepta *positiva* de servandis promissis, de eleemosyna &c. *Ratio* horum omnium est, quia hæc ipsa evidens connexio est convenientia cum natura rationali, & veluti necessitas, qua ejusmodi scita ex ipsa natura & a DEO, ut Auctore naturæ, mediante ratiocinatione eruuntur, eo quod tendant ad eundem finem cum suis principiis, debitam nempe conservationem, & felicitatem naturæ humanæ. Cum igitur principii veritas contineatur in conclusione, hoc ipso qui unum præcipit, vel prohibet, necessario quoque præcipit, vel prohibet in illo contenta, & per evidentem vel certam illationem deducta.

72. III.) Major autem hac in parte difficultas est: ***An juris nat. objectum sint ea quoque, quæ quomodocunque sunt rationi consentanea, vel dissentanea?*** Et sunt non pauci, qui putent affirmative respondendum, eo quod illorum judicio, ***honestum non distinguatur a justo***: ac proin omne rationi consentaneum & honestum esse jure nat. præceptum autumant, sicut præcipitur justum. Ita enim veteres Philosophi sensisse perhibentur: ***honestum est id, quod ultimo fini, seu summo bono obtinendo idoneum est.***

IV.)

IV.) Verum *negativa* certa est responsio. Quia id omne & solum est objectum juris nat. quod rationi *non quomodocumque*: sed *simpliciter ac absolute* est consentaneum, vel dissentaneum, id est, quod ad finem seu felicitatem naturæ rationali debitam ita est requisitum, ut *fundet necessitatem in natura*, vi cujus non possit non esse prohibitum vel præceptum, aut saltem permissum. Quo fit, ut Jus nat. tantum dirigat homines, quatenus sunt creaturæ rationales, tenduntque ad felicitatem naturæ rationali ita propriam & necessariam, ut sine hac humanum genus foret *positive* (puta, negatis officiis perfectis erga Deum, se ipsum, & proximum) vel saltem *negative* (per neglecta inquam imperfecta officia) defectuosum, & male constitutum. *Ratio* est, quia augmentum felicitatis, quod esset ex observantia objectorum aliter, quam *necessario* rectæ rationi convenientium, vel disconvenientium, naturæ Auctor reliquit juri positivo tum suo, tum Gentium, & Civili, ne præceptis propemodum infinitis genus humanum gravaret, naturamque ipsam confunderet; ut tradit D. Th. *1. 2. q. 91. a. 2. & 4.* tum *q. 95. a 2.*

Ex honesti definitione ab Ethnicis derivata male argumentatur contraria opinio. Non enim omne *idoneum* est simpliciter necessarium. Ita quippe famelico delicatiores cibi sunt *idonei* ad finem satiandæ famis, non tamen sunt necessarii, cum per ordinarios etiam finis ille obtineri possit. Philosophi igitur illi sano sensu intelligendi sunt loqui de idoneitate *necessaria*, non item de *pure conveniente*.

73. V.) Hæc ita decisa sufficient ad alteram priori similem quæstionem: *An scilicet materia legis nat. præter universalia, & ex illis evidenter, aut certo deducta specifica ac particularia præcepta, extendi debeat ad alia objecta, & virtutes?*

Et licet nonnulli etiam ad hoc quæsitum affirmative respondeant, communis tamen est sententia *negative* docens, quod præter principia generalia, superius adducta, & ea, quæ ex his evidente necessitate, aut saltem certo deducuntur, non se extendat Jus nat. Quia multiplicarentur præcepta naturalia sine certo & evidente fundamento. Et alias nulla darentur bona opera *meri consilii*, uti est cælibatus, virginitas, eleemosyna extra extremam & gravem necessitatem, vel positivum præceptum.

74. VI.) Acriter adhuc disceptatur inter Naturalistas; *An omne decorum, honestum, justum, & æquum sit materia legis naturalis præcipientis?*

Disceptationem tamen hujusmodi dirimere possunt ea, quæ jam a n. 71.) attulimus. Ac proin principia *honesti, justi, decori,* & *æqui*, quæ ad regulanda officia Juris nat. Doctores passim naturali Jurisprudentiæ associant, non aliter intelligenda sunt; nisi quatenus in naturæ *debito necessario* supra explicato fundantur, alioquin naturales obligationes arbitrarie confunderentur cum obligationibus positivi juris, pariter ac cum actibus meræ *decentiæ, & consilii*, qui nec in jure positivo cadunt sub præceptum. Tanto minus debent esse objectum immediatum Juris nat. Cum hoc circa ea solum versetur, quibus non præceptis vel non prohibitis genus humanum in se & *intrinsece* male foret constitutum in ordine morali, cum dedecore supremi & perfectissimi naturæ Gubernatoris DEI O. M. qui aliis creaturæ suæ rationali non satis providisset de mediis naturaliter necessariis ad obtinendum finem ei præfixum.

75. Quia vero plerisque Naturalistis hæ vel maxime voces, *justum, æquum:* ansam disputandi, & etiam non paucis halucinandi occasionem præbuerunt, justum est ut rectum eorum conceptum exponamus. Ad quod intelligendum sciendum est, *æquum*, & quod idem est, *justum, bonumque*, tribus modis accipi. *Primo* generatim pro omni *justo naturali*, quod est rectum secundum naturalem rationem, quod nunquam deficit, si ratio non erret. Et hoc modo consideratum denotat idem ac legitimum, id est conforme, commensuratum, adæquatum legi naturali, tanquam normæ & regulæ omnis operationis humanæ; sive actus aut omissio ejus ita conformetur justitiæ naturali *universali ac legali*, sive *commutativæ* & *particulari* (de quibus videri possunt infra, quæ statuimus *de officiis ex justit. commut. Sect. 2. c. 4. art. 4.*) Juxta hanc primam acceptionem, teste D. Th. 2. 2. q. 58. ar. 5. æquum est, ut *miles non deserat locum in acie*, non fugiat, non arma abjiciat: Item ut *non committat adulterium, non libidini vacet, ut non pulset alium, non occidat innocentem, non furetur, cæterasque virtutes morales exerceat, & vitia fugiat, quæ justitia naturalis legalis seu universalis prohibet, sectetur autem ea, quæ illa præcipit.*

*Secundo* accipitur *speciatim*, seu pro justo & æquo proveniente ex *justitia particulari commutativa*, ut idem sit *æquum*, ac *æqualitas alteri debita*, qualis requiritur in contractibus, permutationibus, debiti solutionibus &c. Hinc quando dicimus *justum* sive *æquum* esse objectum naturalis justitiæ; non quæ-

quælibet *æquitas* seu æqualitas, & adæquatio pro hujusmodi objecto *rigoroso & restitutionem pariente* intelligenda est: sed sola æquitas & æqualitas naturalis *debita ex justitia commutativa*. Alia quippe possunt quidem esse *debita etiam ex justitia naturali*, qualia sunt; ne blasphemes, ne mentiaris etiam *officiose*, de DEO bene sentias &c. verum, quia debitum hoc non procedit ex justitia particulari seu commutativa (quæ a multis etiam *rigorosissima* audit) sed ex sola *legali universali* virtutes morales præcipiente & vitia opposita omnia prohibente; ideo æquitatis hujus violatio præter reatum culpæ & pœnæ, restitutionis obligationem non inducit.

*Tertio* modo accipitur pro *justo* & *æquo civili*, seu legali humano, id est quod lege humana constituitur, fierique consuevit in iis casibus, quibus vel ius naturale nil disponit præcipiendo aut prohibendo, vel dispositio ejus nec evidens nec certa est. Ita proin habetur in l. 1. §. si filius, ff. de suis & legitim. hered. *Naturali æquitate nepotes in filiorum locum succedunt*, si tamen lex humana successionem hujusmodi non decrevisset, neque contra universalem, minus quoque contra particularem justitiam & æquitatem naturalem fuisset exclusio nepotum ab hujusmodi successione, sicut non est hodie exclusio collateralium remotioris gradus.

76. Jam *sub tertia* hac classe justi & æqui civilis ac mere humani, veniunt nonnulla objecta quæ ex jure Gentium aut alio positivo ortum habent, ut est v. g. *præscriptio*, quam qui jam bona fide & cum titulo sufficiente inchoavit, *æquum* est ut in ea pergat, quamdiu conscientia rei alienæ usucapionem non interrumpit, id enim juris humani dispositio tanquam æquum & justum agnovit. Plurima quoque sunt, quæ nulla naturali aut positiva lege præcipiente nituntur: nihilominus nulli earum resistunt, & hujusmodi sunt ea, quæ vulgo *honesta*, *laudabilia*, *decora*, *convenientia* dicuntur. Si igitur honestum, & decorum tale sit, quod non fundetur in *ullo debito naturali*, neque *civili* & humano legali, recte audit *honestum ethice*: *decorum*: *conveniens ethice*: *politice &c.* Ita v. g. donanti aliquid redonare honestum decorumque est: sed honestate mere ethica, ne inurbanus aut avarus sordidusve aliis videaris, neque enim compensatio donationis illius ullo jure naturali vel positivo cuipiam imponitur: sed id cum aliis similibus relictum est generositati & liberali uniuscujusque genio. *Æquitas* hæc pro *hone-*

*state ethica* sumpta fundatur quidem in *rectitudine judicii naturalem sequentis rationem*, tamen non inde sequitur ex ea oriri naturalem obligationem, cum non *necessario* dictetur a ratione naturali, & aliunde jam constet rectam rationem multa nobis laudabilia dictare, quæ tamen plerumque vim *consilii* non præcepti habent, ut proin *æquitas naturalis* pessime a multis confundatur cum lege naturali præcipiente vel prohibente; nisi ex actus circumstantiis desumi possit eum fundari in *debito justitiæ naturalis* universalis vel commutativæ.

## §. II.

### *Utrum materia, seu objectum primarium Legis nat. sint actiones tantum externæ?*

77. Affirmat Puffendorfius *in præfation. de offic. hom. §. 8. & 9.* dicens; *Juris naturalis scita ad forum duntaxat humanum adaptantur*. Et ibidem ait: *sicut forum humanum circa interna non est solicitum, ita jus quoque nat. magnam partem circa formandas hominis actiones solum exteriores versatur*. Veterus autem Puffendorfii Glossator actiones internas, quales sunt de religione interna & externa naturali DEO exhibenda, omissiones item internæ blasphemiæ, & similia absolute negat esse objecta jurisprudentiæ naturalis: sed potius Theologiæ moralis, & ethicæ Philosophiæ, addens, *internam rectitudinem potius supponi ex Ethicis, juxta illud: ubi definit Ethicus, incipit Jctus*. His alludit Thomasius putans quod *ratio sibi soli relicta nihil deprehendat respectu DEI*, unde inferat *eum externe coli velle*. Fleischerus, VVolffius aliique hic infra laudandi prædictis Puffendorfii extravagantibus opinionibus etiam adhærent: Verum erronee & perniciose, ut mox constabit ex sequentibus.

I.) Officia enim hominis *interna* erga DEUM, seipsum & proximum, sunt objectum juris nat. formaliter *necessarium*, ac ad honestatem regulandam primario requisitum, e quibus internis externa officia velut *imperata* solummodo fluunt, necnisi *denominative* honestatem ac bonitatem participant: Igitur male a Protestantibus actiones internæ excluduntur a disciplina Juris naturalis, cum sine his externæ actiones *humano modo*, deliberate cum præcognitione finis absolute poni & exerceri nequeant. Omnis quippe actus externus, ut *humanus* audiat, necesse est proveniat ab

ab interno deliberato & libero imperatus, docente id nedum naturali ratione & sana Philosophica ethica: sed etiam æterna Veritate, Matth. 12. v. 34. ubi ait: *Ex abundantia enim cordis os loquitur*, & ibidem *vers.* 19. *De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiæ*: consequens autem est, quod Christiani Naturalistæ ignorare non deberent; etiam adorationem DEI externam, omnesque alios virtutis jure naturali præceptæ actus non posse elici externe, nisi illos interna cordis operatio præcesserit.

II.) Abstrahendo ab omni lege positiva, tum directione Theologiæ moralis, sana ratio dictat non esse blasphemandum, rem alienam non appetendam, dari aliquod Ens supremum, a quo cetera omnia profecta sunt, &c. Atqui actus horum, & similium dictaminum, qua *mere naturales*, & conditioni humanæ congeniti, non in aliqua arte vel scientia labore quæsita: sed in ipsa Jurisprudentia naturali fundantur; sunt enim rudissimis quibusve hominibus communes, a natura inditi: alioqui externa illorum erga DEUM, seipsum, & proximum exhibita officia non essent actus *humani*, cum non procederent ex imperio voluntatis lumine naturali rectæ, proin nec essent meritorii præmii etiam mere naturalis: frustra igitur interni hujusmodi actus ad Theologiam moralem, exclusa naturali Jurisprudentia, remittuntur.

78. III.) Quia Protestantici Naturalistæ disciplinam & directionem Juris nat. limitando ad *solam honestatem actuum externorum*, & *civilem*, nedum reddunt eam mancam & defectuosam confundendo cum foro externo: sed etiam in explicanda eadem non differunt a Sophis ethnicis, qui pro objecto adæquato Jurisprudent. nat. res fluxas, *externas* primario statuebant, docentes officia hominis eo tantum tendere debere, ut ipsi bene sit in hac vita, adeo ut juxta *Epicureos* omnia officia hominis consisterent *in bonis corporis & fortunæ* acquirendis: juxta *Senecam & Socios* in bonis animi transitoriis, juxta *Arist. & Peripateticos* in complexo ex corporis animique bonis creatis, tanquam ultimo fine & felicitate naturali. Quæ his opponi a Puffendorfianæ *socialitatis* sequacibus possunt, *per se* elumbia sunt, quin aliam solutionem mereantur, quanquam iis adhuc satisfiet, ubi proxime contra socialitatis principium tractabitur.

## CAPUT II.

*De principiis indicativis Legis Naturalis.*

79. EGimus hucusque de principiis *essendi*, seu constitutivis Jur. nat. quod consistere probavimus in voluntate DEI, nobis quid faciendum, vel omittendum sit, per dictamen rationis *necessario* imperantis. Demum *Artic. ult. præced.* decidimus objectum hujus legis qua præcipientis esse *solum intrinsece bonum*; & qua prohibentis solum *intrinsece malum*. Verum quia oritur nova quæstio, unde colligi debeat *bonitas* hæc *intrinseca* & *necessaria* objecti, ut eam prosequamur; ac *malitia* illius, ut eam vitemus? *hic Rhodus hic saltus est.* Major scilicet difficultas, quam ut in naturali Jurisprudentia alia similis dari possit. Ad hanc igitur complanandam agendum est de hujusmodi criterio obligationis & legis nat. ejusque principiis *indicativis*, seu *cognoscendis*, ducentibus nos in agnitionem actus lege naturali *necessario* præcepti, vel prohibiti.

### ARTICULUS I.

*De vero ac fundamentali principio dignoscendi Juris naturalis.*

### SUMMARIUM.



#### §. I.

*Quid sit, & quale esse debeat principium dignoscendæ legis naturalis?*

80. NOmine principii, de quo res hic vertitur, intelligimus *regulam*, seu *medium deveniendi in notitiam obli-*

*obligationis naturalis*. Principia verọ & media hujusmodi *inadæquata* & *non ultima*, tam *immediata* ac intrinseca, seu fundata in ipsa natura humana, tanquam fundamento & radice legis naturalis, quam & *mediata* dari plurima constabit ex infra dicendis, quod etiam ipsa experientia probat. Aliqua enim certo esse juris nat. agnoscimus ex *Decalogo* & Scripturæ revelatione, aliqua ex communi sensu Prudentum, nonnulla vel ex proprio rationis discursu, vel ope honestæ educationis, diligentis studii, Auctorum lectione didicimus. Quale inter multa est illud, dum ratiocinamur: si v. g. blasphemiæ, perjuria, rapinæ, privatæ vindictæ, mendacia &c. non fuissent ab Auctore naturæ *necessario* prohibita, & hominibus per dictamen rationis insinuata, male esset ab eo constituta Respublica humana universa: destitueretur enim mediis necessariis ad obtinendum finem sibi præfixum, felicitatem scilicet ei convenientem, quæ consistit in rite persolvendis officiis DEO, homini ipsi, & ejus proximo debitis, unde quies, pax, amor mutuus & inde rationalis naturæ beatitudo resultet.

Nihilominus nec ratio nostra, nec Decalogus, multo minus communis sensus, & recta constitutio naturæ cum similibus aliis indiciis sunt tale principium *cognoscendi* Juris naturalis obligantis, de quali hæc quæstio procedit. Hac enim indagamus non *de qualicunque*; sed de *fundamentali*, *adæquato*, *vero*, *generali* ac *ultimo* principio dignoscendæ obligationis naturalis, seu *de propositione generali certa*, *facile intelligibili*, *atque sic fundata in naturali ratione*, *ut ex ea*, *veluti fundamento & radice omnes & solæ juris nat. obligationes*, *aut evidenter fluant*, *aut saltem non difficulter intelligantur ab intellectu recte disposito*, *ac terminos ejus penetrante*.

81. In principio ita descripto debent *quatuor* præcipuæ conditiones seu proprietates reperiri. Scilicet I.) Ut *si non evidens* quo *ad nos*, saltem sit *certum*. Ex falso enim potius falsa & erronea obligatio deduceretur. Frustra tamen a plerisque *determinate* & absolute requiritur *evidentia* illius etiam quo *ad nos*. Alioqui neque a DEO revelatum principium hujusmodi subsisteret: revelatio enim Divina licet certissima sit, obscura tamen est quo ad nos; cum *fides* sit *argumentum non apparentium*. Neque in moralibus principium potest haberi semper evidens, ut probat D. Thomas, vel potius Ægydius Romanus in opere de *Regimin. Principum L.* 1. *part.* 1. *c.* 1. Si quoque id vel necessarium, vel

mora-

moraliter possibile foret, jam utique dudum haberemus ita evidens principium, cum ex quo homines lege naturali dirigi cæperunt, sapientissimi viri de Jurisprudentia nat. tot & tanta volumina scripserint: & tamen hucusque illud ignotum est, alioqui non esset opus tot controversiis de re *per se* nobis *evidente*, neque tot fere principia hæc statuerentur, quot erant, & sunt Naturalistæ.

II.) Requiritur ut sit *adæquatum*, hoc est omni particulari casui circa obligationem naturalem accommodatum; ita ut ex eo omnia officia erga DEUM, proximum, & nos ipsos certo fluant, & intelligantur esse naturaliter præcepta.

III.) Ut sit *proprium*, seu soli naturali obligationi dignoscendæ serviens. Alioqui si statuamus aliquod principium *latissimum* & *vagum*, ex quo non magis naturalis, quam positivi juris obligatio inferatur, nihil concludemus. Quia dubitans de obligatione naturali non poterit eam discernere a positiva, siquidem ex hujusmodi principio æque bene hæc ac illa inferri possit.

IV.) Demum quarto ut sit *ultimum*, ad quod velut fundamentum cætera omnia inadæquata tam mediata, quam immediata principia reducantur, in eoque sistant, & resolvantur. Si enim cogamur ulterius inquirere, v. g. *cur Auctor naturæ hoc vel illud necessario prohibuerit naturæ rationali* &c. jam illud non erit *ultimum*, atque adeo nec sufficiens dignoscendæ obligationi naturali.

Non pauci requirunt adhuc, ut sit *primum*, *unum*, *intrinsecum*: sed hæc requisito caret fundamento. Alias requisitorum multitudo confunderet dubitantem de obligatione naturali. Quod si pertinaciter contendas etiam hæc *tria* desiderari: habes illa in prioribus *quatuor* jam enumeratis. Certe *ultimum* fundamentale est etiam *primum*, utpote principium & finis obligationis necessariæ: est *unum*, quia alterum quod sit ultimum & fundamentale non reperitur: est denique *intrinsecum*, quia est fundamentum obligationis necessariæ, in ipsa natura humana exigente talem legem *moraliter* radicatum, prout constabit ex mox dicendis.

§. II.

§. II.

*Quæ igitur regula, seu principium ultimum fundamentale & adæquatum sit, ex quo discerni possit, an aliquod objectum, seu obligatio pertineat ad legem nat. necessario præcipientem, aut prohibentem, vel non?*

81. PAtet jam ex allatis *n.* 80.) dari multa *inadæquata* ac *non ultima* obligationis nat. indicativa principia, inter quæ principem locum tenet *recta constitutio & felicitas generis humani*, ex qua inferre solemus præcepta naturalia. Ita v. g. fraudes & dolum malum concludimus jure hoc *necessario* prohibitum, quia alias *genus humanum non esset in se recte constitutum*. Sed quia ulterius oritur quæstio, cur Auctor naturæ propter rectam constitutionem generis humani, & ejus naturalem felicitatem, fraudes & dolum malum ita *necessario* prohibuerit, quin aliquando in hac prohibitione dispensare queat: cum tamen multa in favorem hominum ordinaverit, veluti ignem, aquam &c. quorum tamen physicæ exigentiæ, non obstante priori decreto suo, quo voluit ignem esse calidum, aquam frigidam, contravenire potest. Neque quæstio hæc resolvi jam ex principio *rectæ constitutionis*, aut simili alio poterit, nisi ad aliud recurratur principium, in quo tanquam ultimo ac fundamentali ratio nostra quieta persistat, Hinc manifeste patet *felicitatem generis humani*, *rectam constitutionem* illius, & si quod est aliud his simile, sive id dicatur *immediatum*, sive *mediatum* principium: certo non esse *ultimum* & fundamentale, quale rejectis aliis mox statuimus.

83. PRINCIPIUM *ultimum* adæquatum & fundamentale, ex quo discernere possimus, an aliquod objectum, seu obligatio pertineat ad legem naturalem, vel non, est *ipse DEUS, qua Auctor & Gubernator naturæ humanæ infinite perfectus*:

Afferta autem cognoscendi regula hac generali propositione bene exprimitur: Quidquid sapientiæ, providentiæ, justitiæ vel alteri perfectioni DEI *quæ Auctoris & Gubernatoris* naturæ humanæ *directe* opponitur, id censendum est ab eo sub gravi vel levi culpa *necessario* prohibitum: Quidquid vero perfectio ejus ad sapienter creandam, & provide gubernandam naturam humanam *directe* exigebat, & exigit

git præcipi, id necessario præceptum esse non ambigitur. Contra vero: omne id, quod nulli perfectioni DEI *qua Auctoris & Gubernatoris* naturæ humanæ *directe* opponitur, jure naturali non est præceptum, nec prohibitum.

Hoc principium ex pluribus aliis longa deliberatione discussis seligere placuit, tum ex eo motivo, quod in rebus humanis aliud efficacius & verisimilius reperiri non possit; jam autem juxta D. Th. 1. 2. q. 19. a. 4. in O. *Ubi deficit humana ratio, oportet ad Rationem æternam recurrere.* Tum quod illud probarint antiquiores Naturalistæ apud Ræhrensee *de fundam. J. N.* §. 7. & post *Cajet.* 1. 2. *q.* 100. *a.* 8. *ad* 2. eidem adstipulatur Medin. *l.* 2. *q.* 18. *ar.* 1. Victor. *in relect. de pervenientib. ad usum ration. a n.* 9. Suar. de *L. L. l.* 1. *c.* 6. sparsim. Imo & ex Recentioribus, dum hæc scribo, magnam ei auctoritatem addiderunt, tum hujus Almæ Catholicæ Episcopalis Universitatis tres omnino insignes Theologi, tum alii communius. Quod ipsum solo rationis lumine adjuti agnoverunt etiam prudentiores Ethnici cum Chrysippo *l.* 3. *de Diis*, dicente: *Non potest aliud inveniri principium & origo justitiæ, quam ab Jove & communi natura, inde enim initium duci debet, ubi de bonis malisque disserendum*, quod ille nedum de *essendi*: sed etiam *cognoscendi* principio dictum a se voluit, teste Guil. Grot. *de princ. J. N. c.* 3.

84. RATIO hujus regulæ est: Quia tota vis seu substantia Legis nat. in eo consistit, quod DEUS O. M. supposito liberrimo decreto suo de producendo ad imaginem & similitudinem suam homine, aliquos actus ei *necessario* præceperit, & non paucos ita prohibuerit, ut licet hic tanquam absolutissimus Dominus nulla lege & necessitate *extra se* teneatur, nihilominus hos non prohibere, illos non præcipere haud potuerit: Atqui *insuperabilis necessitatis* hujus nulla alia immediata, *adæquata*, fundamentalis & *ultima* ratio alibi reperiri potest, quam in ipso DEO summe perfecto, qui illud solum & unice extra se *necessario facit*, & constituit, quod summa perfectio ejus essentialiter exigit, & id solum *necessario omittit*, & ab aliis fieri prohibet, quod eidem perfectioni suæ repugnat: Igitur indicium, seu fundamentale & *ultimum* principium dignoscendi objecti a lege nat. *necessario* prohibiti, vel præcepti non aliunde desumi potest, quam ex ipso DEO summe perfecto, ita scilicet, ut omne & solum illud objectum actus moralis sit *intrinsece* malum, & a Deo necessario prohibitum, quod si permissum foret, in eo

eo *qua Auctore & Gubernatore naturæ* humanæ argueret aliquam imperfectionem: & illud tantum sit *intrinsece bonum morale* necessario præceptum, quod ut præciperetur, perfectio divina, qua sapientissimi Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ essentialiter exigebat & exigit.

85. Quod DEUS nihil ex *insuperabili necessitate* extra se faciat, ac proin nec ita præcipiat, vel prohibeat, nisi id solum, quod alioqui suæ perfectioni opponeretur; intellectui falsis ideis non præoccupato per se notum est: pari ratione ac quod alibi extra DEUM nulla alia ultima & adæquata ratio necessitatis illius reperiri queat. Quis enim, vel quid hanc ei imposuit? supremus quippe naturæ Gubernator nullum novit superiorem, qui sibi adeo ineluctabilem legem dictaret, & regulam gubernandi inconcussam præscriberet; nulla re, nullo ente sibi extrinseco indiget, a quo invincibili necessitate coarctari posset. Et compertum habemus in physicis, quod ille qua Creator omnium rerum, naturalibus exigentiis earum contraire possit, spoliando ignem calore, aquam frigore &c. soli exigentiæ *morali*, quam per lumen naturale cordibus humanis inseruit, contravenire, dispensando in iis, quæ necessario præcepit vel prohibuit, absolute nequit. Hæc cum jam plana sint, deducendum restat; quem in modum summæ perfectiones divinæ exigebant, & exigunt, ut aliqua objecta actionum moralium *necessario* præciperentur; & nonnulla necessario prohiberentur, nil obstante eo, quod DEUS naturam rationalem procul omni necessitate *libere* produxerit, eamque conservet. Id autem quo evidentius pateat, demonstratum imus.

86. Divina voluntas, licet simpliciter libera sit *ad extra*, tamen ex suppositione unius actus liberi potest necessitate duci ad alium, ut si v. g. vult aliquid promittere, absolute necessitatem sibi inducit ad implendum promissum; si item vult loqui & revelare, necessario debet revelare verum. Ob hanc rationem; siquidem voluit creare mundum, & illum conservare; non potest non habere providentiam illius; supposita autem providendi voluntate nequit non habere providentiam *perfectam* & *consentaneam* suæ bonitati ac sapientiæ. Quo etiam fit, ut cum DEUS ad gloriam suam, & manifestandas perfectiones suas naturam humanam condiderit, eique se ipsum infinite perfectum pro fine ultimo, nedum *supernaturali* (de quo hic sermo non est) sed etiam *naturali* præfixerit, quatenus scilicet homo Creatorem suum infi-

infinite bonum & perfectum possideret, possidendo agnosceret & amaret, coleretque, quantum ratio status naturalis capere & exequi potest; Consequens est, eum ob suam in agendo perfectionem non potuisse non præcipere vel non prohibere naturæ humanæ tales actiones, ex quarum permissione, vel omissione ipse argueretur imperfectus naturæ Auctor, finem ei a DEO sublimem præfigens sine mediis, quibus adjuta posset in se commendare perfectiones divinas, ad quas commendandas condita est; improvidus Gubernator felicitati subditorum non prospiciens &c. Sicut enim DEUS non potest mentiri, supposito quod loqui voluerit, ita nequit imperfecte naturam humanam gubernare, ex hypothesi quod eam conservare decreverit.

87. Quod autem permissio actionum nonnullarum, quæ prohiberi *necessario* merentur, argueret aliquam imperfectionem in DEO, ejusque gubernatione, inde liquet. Quia eo casu illa non prohiberet, quæ ut sapientissimus Legislator, & supremus Gubernator ante omnem prohibitionem suam probe novit esse *in se ipsis* rectæ rationi contraria & intrinsece mala, ut sunt odium DEI & proximi, blasphemia, furta, mendacia &c. non præciperet quoque amorem Creatoris, officiaque illi, proximo, & nobis prudenter exhibenda, quæ ipse procul omni dubio *judicavit & judicat* ex se necessaria esse ad moralem actionum humanarum honestatem. Quia his a lege nat. per congenitum dictamen non præceptis, ac illis non prohibitis, homo non posset pervenire ad finem suum naturalem, felicitatem nempe in prædicto amore DEI ceterorumque officiorum impletione consistentem; male itaque esset comparata natura humana ad commendandas DEI sui perfectiones: Atqui omnis Reipublicæ Gubernator sciens, ac prohibere facile potens, non tamen prohibens mala; potens item providere, non tamen providens media ad finem subditis suis præscriptum *necessaria*, merito imperfectionis arguitur: igitur fortiori ratione sapientissimum Numen argui posset.

88. Si vero quæras, unde constet, quod blasphemia, odium DEI, mendacia &c. ante omnem divinam prohibitionem fuerint *in se ipsis*, seu *intrinsece* mala, rectæque rationi contraria, & quod DEUS illa *ut mala* agnoverit? Resp. Quia hæc objecta ante omnem legem DEI, aut saltem abstrahendo ab illa, erant *radicaliter* & in se ipsis *directe* contraria perfectionibus divinis, scilicet blasphemia

sum-

summæ sanctitati, odium bonitati; mendacium veritati & veridicitati ejus, qui vult ut creatura rationalis ad manifestandas perfectiones divinas creata, modo sibi conveniente eas agnoscat, revereatur, & amet, ac ita assequatur finem suum etiam naturalem, ad quem condita est. Quia vero prædicta objecta contraria sunt divinis perfectionibus, inde fit, quod etiam disconveniant naturæ rationali, & ex *se ipsis* repugnent fini ultimo & felicitati ejusdem naturæ, utpote ad manifestandas easdem Creatoris sui perfectiones conditæ.

89. Quod si instes rogando: quibus igitur perfectionibus divinis opponebantur adulteria, furta, dolus, fraus, odia proximi mere interna, perjuria &c.? & quomodo illa *in se ipsis* erant intrinsece mala abstrahendo ab omni lege naturali? Resp. Adulteria, furta cum reliquis vitiis objective spectata etiam ante omnem prohibitionem erant *radicaliter* mala, & opponebantur *directe* perfectionibus divinis, nempe justitiæ, sapientiæ, & providentiæ DEI *qua Auctoris naturæ* in *certa temporis* differentia sibi ab æterno cognita eam producturi, & gubernaturi. Quæ si ille licita fecisset non prohibendo per legem naturalem, non jam sapienter condidisset naturam humanam, nec provide ad finem suum gubernaret. Hæc enim non esset bene constituta in sua habitudine ad DEUM, ejusque gloriam, ac perfectiones in se manifestandas, deficeret quippe in mediis necessariis ad DEUM tanquam finem suum ultimum naturaliter amandum, perfectionesque ejus in se commendandas, ac ad implenda cetera officia requisita ad naturalem felicitatem obtinendam. Consequens fuit, ut quam necessario DEUS sapienter condidit genus humanum, illudque gubernat, tam *necessario* ei præceperit quidquid requiritur ad id, ut eadem creatura conveniente habitudine polleat erga DEUM finem suum ultimum.

90. In hypothesi autem si DEUS non prohibuisset mala illa *intrinseca* & *radicalia*, ea non haberent formalem deformitatem & malitiam, quia non haberent ullum virtualem contemptum DEI, quem continet transgressio legis respectu Legislatoris, juxta Apostolum ad Rom. 2. *per prævaricationem legis DEUM inhonoras*. Et ibidem: *ubi non est lex; nec prævaricatio*. Nihilominus non desinerent adhuc esse mala *intrinseca* & *radicalia*, seu *physica*, qua contraria divinis perfectionibus, ac inde rectæ etiam rationi & constitutioni natu-

naturæ humanæ, ideoque *exigerent* adhuc semper formaliter prohiberi.

## §. III.

### *Exponuntur proprietates asserti principii, ejusque applicatio ad casus particulares.*

91. **A**Sserto & stabilito principio indicativo obligationis naturalis apprime competunt quatuor proprietates n. 81.( adductæ. Est enim I.) Si non omnino evidens, saltem *certum*. Quis enim dubitaverit has & similes rectas esse consecutiones: *Odium DEI*, etiam abstrahendo a lege quavis, & ante omnem prohibitionem, intrinsece radicaliter & ex *se ipso* opponitur Bonitati divinæ absolutæ, ad quam commendandam & amandam creatus est homo: *Mendacium* opponitur summæ ejus veritati, & veridicitati: *Otium* contrarium est virtuti productivæ illius, qui nil frustra, sed propter finem operatur: *Ingratitudo* pro beneficio recepto opposita est Bonitati divinæ *respectivæ*, quæ benefica est etiam erga malos, tanto minus cuipiam retribuit mala pro bonis, & laudabilibus actibus: *Injusta retentio mercedis* adversatur justitiæ ejus, qui unicuique prout gesserit, & meritus fuerit, retribuet &c. Igitur *odium DEI*, *mendacium*, *otium*, *ingratitudo*, *injusta retentio mercedis operariorum* &c. sunt necessario lege nat. prohibita. Quia sunt *ex se* mala, utpote contraria perfectionibus divinis, & inordinata in natura rationali: DEUS autem non potest necessario non vetare illa, quæ *ex se* mala sunt, aut non præcipere ea, quæ sunt necessaria ad naturalem honestatem. Nec enim potest ipsi non displicere talis actus suæ bonitati, justitiæ ac providentiæ contrarius.

92. Si respondeas: Homo rudis nunquam deveniet in notitiam naturalis obligationis ex hoc principio, quia ille nec scit quid sit perfectio divina, nec novit subtilem modum hujusmodi conclusionum. *Contra* erit, quod homo rudis sciat hæc modo *vulgari*, *confuse* & naturali suo captui proportionato. Scit utique dari DEUM, tanquam Ens supremum, qui non esset DEUS, si non summe perfectus, justus, sapiens, providus foret. Alioqui rudis ille neque lege naturali obligaretur, cum nesciat *reflexe* concludere, an illa detur necne, & quid sit. Verum nulla hæc sunt, quia sapientia

tia Auctoris naturæ humanæ providit, ut rudissimus quisque rationis usu pollens ista omnia capiat, quantum sufficit ad naturalem obligationem intelligendam, juxta illud Psal. 4. *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine*: Porro lumen hoc otiosum foret in casu prædicto.

93. Dato autem quod rudis homo obligationem naturalem nesciat inferre ex comparatione v. g. malitiæ actus cum perfectionibus divinis *magis exactam* intellectus capacitatem requirentibus: ille tamen potest eam facile agnoscere ex perfectionibus DEI *qua Auctoris & Gubernatoris* naturæ humanæ, hunc v. g. in modum secum ipso discurrens: DEUS perfectus est, sapiens, justus, providus; sapienter igitur mundum condidit, & gubernat naturam humanam ad suum finem, ut videlicet perfectiones Creatoris nostri commendemus, ac laus & gloria ejus ex nobis resplendeat, indeque quies nostra sequatur: Si autem *furta, adulteria, rapinas, mendacia, fornicationes vagas* &c. non prohiberet; Si non præciperet *amorem DEI, proximi, & nostræ prudentem vitæ conservationem* per amotionem *gulæ, intemperantiæ, mutilationis* &c. si faceret licita *injusta homicidia, fraudes, dolos, detractiones*; & quidquid justitiam, pacem, caritatem & quietem offendit, non sapienter condidisset, nec provide gubernaret naturam humanam. Quia hæc male foret comparata ad finem suum ultimum, etiam naturalem obtinendum, & ad commendandas in se perfectiones Auctoris sui &c. Ex hoc vulgari & facili ratiocinio, imo & ex simplici apprehensione DEI *qua sapientissimi Gubernatoris* necessario concludet: impossibile esse, ut DEUS objecta recte constitutioni naturæ humanæ contraria non prohibuerit, ac non præceperit illa, sine quibus hæc esset male comparata ad finem suum. Quia ille nequit male gubernare creaturam suam. Ecce! rudissimus quisque, dummodo usu rationis polleat, & rem saltem rudiori Minerva apprehendat, ex magis obviis intellectui, & captui facilioribus perfectionibus divinis obligationem naturalem agnoscere potest.

94. II.) Est principium hoc *adæquatum*: Quia nullum cogitari potest præceptum, & nullum actus moralis objectum, cujus obligationem, sit ne hæc naturalis, necne: discernere non possimus. Sic enim intelligimus jure nat. præcipi erga DEUM *Religionem, obedientiam*, vetari *idololatriam, superstitionem, perjurium &c.* Quia nisi DEUS illa præciperet, hæc prohiberet, non regeret sapienter ac provide na-

turam humanam. Nam hæc frustra juberetur tendere ad finem suum ultimum, DEUM scil. ipsum infinite perfectum: eum amando, & perfectiones ejus in se manifestando, eo modo, quo naturaliter potest, siquidem illemet ipse tanquam licita ei permisit omnia, quæ fini huic adversantur, nempe falsa, vel nulla *religio*, *inobedientia*, *idololatria*, *perjurium* &c.

Hoc ipsum criterium agnoscendæ obligationis naturalis locum habet in reliquis officiis erga DEUM, proximum, & nos ipsos; idque tam quo ad actus externos, quam internos. Ex omnibus enim his si non præcipiantur vel prohibeantur, sequitur mala constitutio naturæ rationalis, ex mala constitutione frustratio finis ultimi a DEO præfixi eidem naturæ; ex his autem sequitur demum improvida. & imprudens Gubernatio DEI, quod impium est cogitare contra perfectissimum Numen: igitur perfectio divina huc usque explicata est ultimum *adæquatum* principium dignoscendæ obligationis naturalis.

95. III.) Est quoque principium *proprium*. Soli enim legi naturali dignoscendæ competit, distinguitque obligationem hanc a jure positivo. Quia non aliam obligationem indicat, quam *necessariam*, eamque necessitatem non ex amore, socialitate, natura ipsa, vel ex sola convenientia & disconvenientia cum natura rationali, aliisque *inadæquatis* principiis: sed ex ipsis perfectionibus divinis deducit, quales solum & unice possunt movere DEUM ad aliquid *necessario extra se* volendum; præcipiendum, inhibendum. Atque vel ob hanc solam rationem omnia alia Juris nat. cognoscendi principia manca sunt & inefficacia, cum ex illis nullo modo absoluta legis naturalis *necessitas* inferri possit.

96. IV.) Demum hoc principium est *ultimum*. Quia sive ex recta vel mala constitutione, sive ex felicitate, aut habitudine naturæ rationalis ad finem suum, sive demum ex amore, aut socialitate, alioque quocunque principio *inadæquato* discernere conemur, quid in casu particulari lege nat. *necessario* præceptum, vel prohibitum sit, aut non; tamen omne aliud principium nondum satis facit intellectui: sed locum dat ulterius quærendi, *quid illud sit quod DEO necessitatem imponat* per legem nat. procurandi humanam felicitatem, amorem, socialitatem &c.? Neque huic quæstioni satisfiet aliter, quam dicendo, principium hoc, propter

quod

quod DEUS *necessario* aliquid præcipit, *vel* prohibet, esse *ipsam perfectionem DEI, qua Auctoris naturæ rationalis & Gubernatoris ejusdem.*

## §. IV.

### *Quænam asserto Juris nat. agnoscendi principio opponi possint?*

97. INter multa videtur in contrarium militare I.) Ex asserto principio non magis infertur legis nat. quam etiam positivæ obligatio, utriusque enim transgressio repugnat perfectionibus divinis, & præ primis Sanctitati ejus, quæ facit, ut DEUS *omne peccatum* odio habeat, etiam contra legem positivam commissum. II.) Idea perfectionum Divinarum est nimis obscura, ex principio autem in ideis adeo obscuris fundato intellectus rudium hominum nequit claram habere noticiam obligationis naturalis. III.) Tanto minus, cum multa sint hominis officia, quibus correspondentem in DEO perfectionem non reperimus; v. g. dare mutuum graviter indigenti, reddere creditum, revereri parentes &c. IV.) Ex hoc principio sequitur Atheum non peccare contra legem nat. quia ille sicut DEUM, ita nec perfectiones ejus agnoscit. V.) Possibilis est saltem ad breve tempus in homine perfecti usus rationis invincibilis ignorantia DEI, & legis nat., possibile quoque est, ut ille ita ignorans *mentiatur*, judicans mendacium hoc esse contra rectam rationem: Atqui talis actus est formaliter peccaminosus; alioqui daretur peccatum *mere philosophicum*, quod tamen proscriptum est tanquam falsum.

VI. Legis nat. effectus æque bene infertur ex sola recta constitutione humanæ naturæ, vel amore debito, ac ex perfectionibus Divinis, hæ proin non sunt principium adæquatum & ultimum. VII.) In hoc systemate cogimur aliud comprincipium admittere, scil. rectam constitutionem humanæ naturæ. Igitur non est *unicum & ultimum*. VIII.) Nequit explicari, quid sit *directe* opponi DEO, qua Auctori & Gubernatori naturæ &c.

98. Verum hæc ut ut speciosa; minus tamen solida sunt, ac proin; *Ad I.)* Resp. Non subsistere assumptum, cum per se clarum sit obligationem legum *positivarum* procedere ex *libera* legislatorum voluntate, *secus naturalium*. Nec facit

ad rem, quod utriusque legis transgressio repugnet perfectionibus Divinis, quia repugnantia hæc *diverso* fit modo: Scilicet, transgressio legis positivæ tantum *formaliter* spectata, quatenus *mala quia prohibita*, & *actu* continet *aliquem contemptum* legislatoris, repugnat perfectionibus Divinis, & præsertim Sanctitati, quæ vult ut legitimo superiori subordinemur justam ejus legem observando. Non tamen ipsa etiam *materia* legis positivæ iisdem perfectionibus Divinis *in se* ac *radicaliter intrinsece* repugnat. Si enim legislatores v. g. Civiles nullam legem suam in conscientia obligantem constituissent, adhuc in DEUM, qua naturæ Auctorem & Gubernatorem nulla caderet imperfectio, neque naturæ humanæ male foret provisum de mediis *necessariis* ad obtinendum suum finem naturalem. Secus fit in transgressione legis nat. hæc enim & *formaliter* sumpta, & spectata secundum *ipsam materiam*, v. g. mendacii *in se* ac radicaliter repugnat perfectionibus Divinis. Et quidem formaliter considerata adversatur illis, quia actu continet contemptum legislatoris, quod est commune omni alteri peccato, contra quamcumque legem obligantem fiat. Secundum ipsam vero *materiam* adversatur iisdem, quia *in se* & abstrahendo ab omni prohibitione divina fuit *intrinsece* malum radicale rectæ rationi difforme, ideoque *prohibitum est, quia malum*; quod nisi prohiberetur, DEUS fuisset *improvidus Gubernator* naturæ humanæ. Cum vero imperfectio in summam ejus sapientiam & providentiam cadere nequeat, hinc factum est, ut ex omnibus aliis solam nat. legem *necessario* dictaret.

Paucis: *primum* momentum Adversariorum errat in supposito, quod repugnantia illa & oppositio perfectionibus Divinis desumatur ex transgressione *formaliter* sumpta: sed potius provenit illa *ex materia* ipsius legis nat. inde autem concludimus *necessitatem* ejus prohibendæ, vel præcipiendæ.

99. *Ad* II.) Falsum est, ideam seu *notitiam vulgarem* perfectionum Divinarum obscuram esse intellectui recte disposito & *consideranti*, quidquid sit, quod idea, seu *notitia magis exacta*, ac Theologiam speculativam concernens obscura sit eidem: Porro homo jure nat. obligatur *ad notitiam* tantum *vulgarem* perfectionum Divinarum, quales sunt, quod *DEUS sit unus, providus, summe sapiens, justus, omnis imperfectionis expers* &c. adeoque quod sicut creare imperfecte naturam humanam non potuit, ita neque improvide gubernare possit. Falsum quoque est ex *n.* 81.) principium indi-

cati-

cativum Juris nat. omnino *evidens* esse debere, alioqui nullum prorsus daretur. Neque etiam ipsa naturalia dictamina semper sunt evidenter recta, & tamen dummodo moraliter certa sint, obligamur illis, uti fit in conclusionibus per discursum illatis ex principiis generalibus. Demum nihil facilius est naturaliter intelligere, quam hanc propositionem generalem: *quidquid sapientiæ ac Providentiæ DEI qua Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ repugnat* &c. Ratio enim naturalis dictat implicare, ut Ens perfectissimum imperfecte ac improvide gubernet.

100. *Ad* III.) Decisio patet ex *n. præced.* ubi deductum est, sufficere ut rudis homo malitiam actus intelligat opponi perfectionibus divinis, quas ipse *vulgari notitia*, & confuse dari in DEO, ac agnoscere tenetur. Hinc facile concludet obligari divitem ad mutuum dandum graviter indigenti, teneri reddere creditum, honorare parentes, non fieri ingratum &c. quia hæc & similia opponerentur alias sapientiæ, bonitati, justitiæ, providentiæ summi Gubernatoris DEI, verbo: opponerentur hæc summæ habilitati Divinæ, qua ille pollet ad mundum sapienter & provide gubernandum; qui nisi hæc necessario præcepisset naturæ humanæ, improvide eam gubernaret, essetque inhabilis Gubernator.

101. *Ad* IV.) Atheismus *non est error intellectus: sed vitium malæ voluntatis*, juxta illud Ps. 13. *Dixit insipiens in corde suo: non est DEUS;* ac proin ille non est exemptus lege nat. cujus dictamine cum dirigatur, hoc ipso experitur *lumen* divinum super se signatum: in hoc igitur effectu experitur causam increatam. Hinc dicit D. Aug. in Ps. 57. *Scripsit DEUS naturæ legem in cordibus hominum*, NB. *quam non finit ignorare, ut esset, unde judicarentur:* non itaque ignorat perfectiones divinas: sed impie negat.

102. *Ad* V.) Sanæ menti repugnat, ut quis judicet actum aliquem contra rectam rationem, & tamen ignoret omnem legem; etiam naturalem, hanc enim saltem *exercite* agnoscit. Nam quod est *contra rectam rationem*, est contra legem nat. utpote scriptam in cordibus nostris, & dictantem quid rectum sit, vel non. Sicut autem *implicite* agnoscit legem nat. ita & perfectiones DEI eam dictantis. Hæc ipsa etiam ratio est, cur non detur peccatum *pure philosophicum*, quod a speculativis TT. admittitur solum in hypothesi impossibili, si DEUS non prohibuisset intrinsece mala.

103. *Ad* VI.) Legis naturalis qua *necessario obligantis* effectus æque bene infertur ex sola recta constitutione humanæ naturæ, amore, ac ex perfectionibus divinis, *nego*, licet transmitti possit, quod effectus ejusdem legis *sub alia ratione* spectatus, qui multiplex & varius est, æque bene inferatur. Jam enim demonstratum est, *necessitatem* legis nat. absolute non posse *ultimo* & finaliter haberi aliunde, quam ex sola exigentia, vel oppositione actus cum perfectionibus divinis.

104. *Ad* VII.) Nihil ad rem facit; quia recta constitutio humanæ naturæ, cum socialitate, amore, & similibus aliis admittitur quidem: sed non tanquam comprincipium *adæquatum*, fundamentale, *ultimum* indicativum obligationis naturalis: sed præcise qua *indicium simplex*, præbens occasionem ulterius inquirendi unde fiat hoc, quod ista recta constitutio generis humani legibus *necessariis* munita sit, & quid DEO Legislatori necessitatem hanc absolutam imposuerit. Quod ipsum argumentum omne aliud principium statuentibus solvendum est. Sive autem *simplex indicium* illud dixeris principium immediatum, sive mediatum, parum refert; cum certum sit illud esse tantum *inadæquatum*, qualia *n.* 80.) multa admittenda esse demonstravimus. Imo fatendum est; ex hujusmodi inadæquatis principiis, v. g. ex *amore*, *socialitate*, *recta constitutione naturæ*, & aliis, in quibusdam casibus posse *certo* deduci obligationem naturalem, quantum sufficit ad *practicam* resolutionem, quid hic & nunc jus nat. prohibeat, vel præcipiat in casu v. g. injustæ percussionis proximi, homicidii, furti &c. verum si quis se opponat, & neget hujusmodi actus jure nat. esse prohibitos; *ultima* & *adæquata* ratio prohibitionis hujusmodi nequit haberi ex amore debito, socialitate &c. sed petenda erit ex oppositione horum actuum cum perfectionibus DEI *qua Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ*.

105. *Ad* VIII. Potest optime explicari, quid sit aliquem actum *directe* opponi DEO, qua Auctori, & Gubernatori naturæ humanæ. Quidquid enim ita comparatum est, ut si non esset naturæ humanæ a DEO prohibitum vel præceptum, ille imperfectus Auctor, aut improvidus Gubernator dici posset; id censetur *directe* opponi perfectionibus DEI qua Auctoris & sapientissimi Gubernatoris naturæ humanæ. Hinc a contrario, obligatio v. g. sumendæ S. Cœnæ circa Pascha non est Juris nat. quia etsi sumptio hæc nullo modo fuisset

set præcepta, in DEUM qua naturæ Auctorem, & Gubernatorem nulla adhuc caderet imperfectio. Nam genus humanum posset & deberet alio adhuc actu religionis Creatorem suum naturaliter colere. Secus foret, si lege nat. ad nullum prorsus etiam *in genere* officium sibi exhibendum DEUS humanum genus obligasset, talis quippe licentia & præcepti omissio *directe* opponeretur perfectionibus ejus, qua Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ.

Ex his quoque propter eandem rationem, infertur; peccaminosam omissionem Missæ die festo, & aliarum positivarum legum *qua talium* transgressionem non opponi *directe* DEO qua naturæ humanæ Gubernatori, ita ut intrinsecam contineat malitiam, cum Missæ auditio non meruerit *necessario* præcipi, & ex omissione hujus præcepti nihil decederet conditioni humanæ ad naturalem felicitatem obtinendam, consequenter nec adesset ratio, propter quam gubernatio divina imperfectionis alicujus merito argui posset.

## ARTICULUS II.

*Examinantur principia indicativa Juris natur. ab aliis asserta.*

### SUMMARIUM.



### §. I.

*An amor DEO, proximo, & nobis debitus principium sit indicativum Legis nat. obligantis?*

106. QUæstionem hanc præ aliis omnibus Naturalistis eruditissime tractavit R. P. Ignat. Schwarz. *Instit.*

*Instit. J. N. & G. part. 1. f. m.* 153. qui Heineccium & Franc. Alef. secutus principium hoc J. N. fundamentale adæquatum & ultimum statuit in Amore DEI, sui, & proximi, illudque hunc in modum efformat; *Fac, vel omitte ea, quæ ex amore DEO, tibi, & proximo naturaliter debito, hoc est ad felicitatem naturæ rationali propriam necessario facienda vel omittenda sunt*. Inde deducit I.) omne & solum illud jure nat. præceptum esse quod exigitur ab amore, DEO, sibi, & proximo naturaliter debito, hoc est ad felicitatem naturæ rationali propriam necessario. II.) Omne ac solum illud jure nat. permissum esse, quod eidem amori nec absolute repugnat, nec ab eodem absolute exigitur.

Efficaciam hujus principii probat 1.) Quod sit *primum, unum, intrinsecum, verum, evidens, proprium, & adæquatum*. 2.) Quod omnis legis humanæ finis sit *felicitas in genere*, adeoque amor sit fundamentum hujus felicitatis, ac proin & mediorum seu legum naturalium. 3.) Juris positivi divini principium fundamentale est amor supernaturalis erga DEUM, seipsum & proximum juxta Christi Domini oraculum, *Diliges Dominum DEUM tuum &c. & proximum sicut te ipsum*: Ergo etiam amor naturalis est fundamentum legum naturalium &c.

107. Nihilominus principium hoc licet aliqua ex parte laudabile sit, quod genus humanum ad amorem DEI, sui ipsius, & proximi allicere studeat, merito tamen rejicitur, utpote parum efficax, & ad finem *dignoscendæ* obligationis naturalis minus utiliter cogitatum, ob has præsertim rationes. I.) Quia hæc opinio obligationem legis nat. nititur ostendere per id, quod est in quæstione, nempe per ipsam legem nat. obligantem. Dum enim dicit: *Fac vel omitte ea, quæ ex amore DEO, tibi & proximo naturaliter debito - - - facienda vel omittenda sunt*; quid aliud vult innuere, quam: *fac vel omitte ea, quæ ex amore DEI, tui & proximi naturaliter debito facere vel omittere debes*: Porro hoc ipsum est in quæstione, quæ sint ea, quæ ego naturaliter & quidem *necessario* debeam facere vel omittere amore DEI, mei ipsius, & proximi? Atque adeo pro principio *adæquato & ultimo* dignoscendæ legis nat. ponit *ipsam legem naturalem*, quæ alia deductione indiget, cur amor hic sit *necessario* debitus, & unde illa necessitatem hanc insuperabilem patitur, ut amorem illum trinum absolute non possit non præcipere?

108.

108. Hinc II.) doctrina hæc optime probat *amorem trinum* esse præceptum a lege nat. tanquam medium obtinendi finis ac felicitatis nat. sicut amor supernaturalis fundamentum est juris positivi divini, quod nemo prudens negabit, & id solum recte evincitur a suis Patronis; verum non probat illum esse *indicativum* obligationis nat. ut distinctæ ab obligatione proveniente ex jure mere positivo, quia asserta obligatio amoris non indicat mihi, cur ego naturaliter NB. *necessario* debeam amare DEUM, me ipsum, & proximum. Si respondeas, hoc exigit felicitas naturæ humanæ: nondum sequitur amorem hunc deberi a me tanquam *absolute necessarium*. Quia etiam natura ignis calorem, & natura aquæ exigit naturaliter frigus, & tamen DEUS exigentiis his *physicis* contraire potest, spoliando hanc frigore, illum calore. Redibit igitur quæstio: cur DEUS etiam exigentiæ *morali* in natura humana, ac consequenter felicitati ejus contraire non potuerit, nec possit: quis illi imposuit hanc *necessitatem*, ut amorem absolute necessario serio præciperet, & odium prohiberet, siquidem DEUS nullius entis *extra se* necessitate coarctari potest? Atque hic hærebit aqua, usque dum recurramus ad perfectiones DEI, qua Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ, & respondeamus: Si DEUS necessario non præcepisset amorem, & non prohibuisset odium &c. derogasset suæ perfectioni. *Improvide* enim *gubernaret* genus humanum, & minus consequenter seipsum assignaret pro fine ultimo, etiam naturaliter cognoscendo & amando. Finis enim hic sine mediis in amore trino consistentibus absolute obtineri nequit. Ecce! necessitas obligationis naturalis absolutæ ad sectandum trinum amorem, & odium fugiendum non aliunde *ultimato* haberi potest, quam ex sola *exigentia* & *oppositione* objecti cum perfectione divina. Amor proin non est principium *ultimum*, consequenter nec *adæquatum*; sed nonnisi est medium necessarium ad finem obtinendum.

109. III.) Assertus amor non est principium *proprium*. Ex eo enim non magis discernitur obligatio naturalis, quam positivi juris. Nam nemo DEUM & proximum amans ex sola negligentia omittit implere legem sui Principis obligantem in conscientia; hoc igitur casu omittitur actus, quem exigebat officium amoris erga DEUM & proximum: & tamen omissio hæc non est immediate contra legem nat. prout nec omissio eleemosynæ pauperi triviali negata ex-

tra

tra externam vel gravem necessitatem quidem: sed tamen in iis circumstantiis, in quibus exigebat eam præceptum legitimi Superioris, v. g. Judicis &c. Quod si oggeras, præceptum legis positivæ non esse materiam necessariam ipsius legis, consequenter neque amorem lege mere positiva præceptum: contra vero amorem naturaliter debitum esse materiam *necessariam* legis naturæ; Redibit circulus vitiosus quæstionis *num. præced.* decisæ & respondere cogeris cur non illa sed hæc legis materia sit *necessaria*, & quis hanc necessitatem præcipiendi, vel prohibendi DEO imposuit?

Quo etiam facit, quod opinio hæc incautis & rudibus, iis præsertim, qui de religione revelata nihil, vel parum audiverunt, nec sciunt genuinum intellectum veri amoris erga se ipsum, præbeat occasionem si non scandali, saltem erroris. Cum enim homines natura sua propendeant in *spurium* sui ipsius amorem, nec semper & facile discernant inter hunc & *verum*, non difficulter possunt discere licitum, imo jure nat. præceptum esse *mendacium* ob vitæ vel bonorum jacturam, *mollitiem* ad impediendam infirmitatem, *furtum* ob egestatem &c. Neque retorseris: quod etiam S. Evangelium amorem sui ipsius insinuet, per verba *diliges . . . sicut te ipsum*. Illud enim jubet quidem diligere proximum, sicut quisque amat se ipsum: sed non asserit amorem esse principium ultimum & adæquatum *omnis obligationis naturalis*, ex quo solo erroris fons scaturire potest.

110. V. ) Ac proin adductum principium neque est *verum*. Nunquam enim ex eo absoluta necessitas ullius officii naturalis inferri potest sine recursu ad aliud ultimum. VI. ) Sicut neque etiam est *unum*, sui enim Patroni non possunt illud explicare sine altero, scilicet absque *felicitate naturæ rationalis*, quanquam etsi unum exponant per aliud æque mancum, adhuc merito nihil concludunt, cum absolutam *necessitatem* obligationis neque ex singulis, nec ex utroque simul inferre possint. Sufficit proin quod *Amor* hic aliquem obtineat locum inter principia *inadæquata* & adminicula varia dignoscendæ obligationis naturalis. Atque ex his fundamentis etiam adversæ rationes *n.* 106. ) adductæ suam habent solutionem.

§. II. *An*

## §. II.

*An socialitas vitæ humanæ sit principium adæquatum, ex quo agnosci possit obligatio naturalis?*

111. Hugonem, Grotium & Puffendorfium secuti plerique Protestantium Naturalistæ Juris nat. obligationem putant desumendam esse ex *sola societate humana*. Hinc Thomassius *Instit. jurisprud. divin. l.* 1. *c.* 4. *n.* 64. doctrinam eorum hoc conceptu exponit: *Fac ea, quæ necessario conveniunt cum vita hominis sociali; & quæ idem repugnant, omitte*. Probant autem I.) Quia regulæ huic competunt omnes requisitæ proprietates, cum sit *verum, proprium, & adæquatum*. II.) Homo natura sua est *animal sociale*, sive societatis appetens, ut post Aristotelem Seneca *l.* 1. *de ira c.* 5. ait, *Homo in adjutorium mutuum generatus est*. III.) Idem homo est *impotens* sui conservandi sine aliorum ope: ad mutua commoda promovenda *idoneus*, simul tamen nequitia & malitia ad ea impedienda pollens: Inde concludunt: ut igitur homo sit salvus, felix & incolumis societatem quærat, & amet, utpote naturæ suæ convenientem. IV.) Inter omnia animalia solus homo præditus a DEO est potentia loquendi: Creator itaque ipse voluit eum in aliorum societate esse, quibuscum agat, negotietur, & illis colloquatur &c.

112. Hoc tamen principium *socialitatis* qua *adæquate* indicativum jur. nat. a suis Patronis excogitatum & assertum est, merito ab ipsismet Protestantibus inter aniles nænias reputatur, ut patet ex Groning. in *Biblioth. J. G. l.* 3. *c.* 5. 10. & sparsim, David. Mev. *in nucl. J. N. & G. inspect.* 3. *th.* 13. Henric. Coccejo, & Samuele ejus filio in *resol. dub. de princ. J. N.* §. 8. Kestner. *de J. N. c.* 1. §. 11. Heineccio in *Elem. J. N. l.* 1. §. 75. & communissime aliis sanius sentientibus. Licet enim omnes vere Eruditi admittant *socialitatem* esse aliquod *adminiculum* dignoscendæ obligationis nat. in plerisque saltem casibus humana commercia concernentibus, & proin dici etiam posse *indicium*, imo & objectum illius *inadæquatum*, nullo tamen modo est *adæquatum, verum & ultimum principium*.

*Ratio* est. I.) Quia hæc opinio invertit ordinem naturæ rationalis, cum bonum civem, bonum socium prius for-

mare nitatur, quam bonum hominem. Instruit enim quod unusquisque debeat se socialem aliis exhibere, cum illis sermocinari, negotia tractare, in commercio eorum vivere, si velit esse sospes, sanus, incolumis. Verum hæc *secundaria* sunt, nec *semper ac necessario* ullo jure præcepta, & potius ad Philosophiam Ethicam vel Medicinam spectant. Lege vero naturali *primo & absolute* præcipiuntur officia *erga DEUM*, quæ Protestantici illi Moralistæ a jurisprudentia nat. temere excludunt, contenti sola societate humana. Dein præcipiuntur Officia erga *proximum*; & *se ipsum*, quæ illi confundunt cum actibus mero Jure Gentium introductis, qualia sunt commercia, negotiorum gestio, & tractatio; item cum mero honesto, & decoro non fundato in *naturali justitia*: sed pure Ethicam respiciente, aut politiam vel œconomiam: Qualia sunt se affabilem aliis, facetum, jovialem & comem exhibere, rem suam domesticam bene administrare, curare ut ab aliis adjuvetur, & juvet eosdem &c. Sola igitur externa, & fluxa bona curanda docent, neglectis internis, & DEO fine ultimo naturali, qui non alius est, quam agnitio & amor DEI cum reliquis officiis, juxta vires naturales Creatori exhibendus. Porro tria hæc ex aliis regulis discenda sunt, non ex socialitate brutis communi. Hi igitur Naturalistæ vix aliquo gradu differunt ab Epicuro, & ejus sequacibus, qui per suam jurisprudentiam naturalem a pedibus non a capite incipiendo, hominem *moraliter* bonum formare volunt.

113. II.) Puffendorfiani asseclæ non probant socialitatem esse *adæquatum & ultimum* principium dignoscendæ obligationis naturalis: sed tantum quod illa spectet ad *objectum materiale* Juris nat. idque *inadæquatum*; quod solum concedendum illis est. Cum enim multa sint, circa quæ lex nat. versatur, nil prohibet, cur non etiam circa socialitatem, non tamen circa eam *solam*, nec *semper*.

III.) Quia societas non absolute, nec singulis hominibus præcepta est, potestque homo sine socio vivere, licet non sine lege naturali. Alioqui *Adamus* non teneretur lege hac, ex quo enim solus de limo terræ formatus est, fuit tunc sine societate humana, usque dum Eva formaretur & dein filii nascerentur. Imo sequeretur, post alios Philosophos solitariæ vitæ addictos, Senecam vel non fuisse hominem, vel legem naturalem continuo violasse societatem humanam fugiendo, juxta celebre ejus effatum: *quoties inter homines fui, minor homo redii.*

IV.)

IV.) Si illa jure nat. semper præcepta *vel* prohibita sunt, *quæ societati humanæ prosunt*, vel obstant: igitur incestus saltem in linea Ascendentium *primi* gradus erit licitus, imo præceptus hoc jure, cum prosit generi humano, si multiplicentur ejus individua, omisſio autem incestus hujus illa diminuit, consequenter &. societatem impedit. Ecce! digna Christiano homine moralis ex Puffendorfii socialitate promanans. Cujus recensita fundamenta cum super arenam posita sint, stante vento dirui posſunt, nec aliam merentur solutionem, quam ut ex nostris probationibus desumi queat.

## §. III.

### *Utrum obligatio Legis nat. ex solo Decalogo adæquate dignoscatur!*

114. PHilippus Melanchton Martini Lutheri asſecla apud Gronnig *l. c. cap.* 3. *n.* 5. Hemmingius in *typo J. N.* Bocklerus & alii pro principio *adæquato* fundamentali & *ultimo* discernendæ obligationis naturalis solum Decalogum asſignant, ita ut quidquid in Decalogo, *Sabbato excepto*, contentum legimus, id totum & solum sit a jure nat. præceptum vel prohibitum; imo illum esse hanc ipsam legem dicunt, quæ cordibus inscripta creditur.

Opinio hæc protestantica merito inter erroneas eorum commentationes reputatur. Quamvis enim verum sit, præcepta Decalogi esse præcepta divina *moralia*, eaque non tam positiva, quam *naturalia declarata*; falsum tamen est decalogum esse legem illam, quæ cordibus humanis a Creatore inscripta, atque omni homini usus rationis capaci per dictamen ejus promulgata est. Alioquin gentiles, qui de præceptis a DEO per S. scripturam revelatis, ac proin etiam de Decalogo vix aliquid, vel nihil audiverunt, lege nat. non obstringerentur. Et tamen Gentium Apostolus ad Rom. 1. argumentatur illos *naturaliter* facere debere ea, quæ legis naturalis sunt; licet nondum Decalogi præcepta didicerint.

Decalogus igitur tanquam authentica declaratio legis nat. *principalia* materiæ juri huic subjecta capita, eaque potisſimum, circa quæ *regulariter* actiones humanæ versantur, non tamen omnia saltem in *specie infima* continet. Prout inter plurima alia saltem *explicite* & manifeste non continet

dile-

dilectionem inimicorum jure nat. præceptam, eamque nedum *negativam:* sed etiam *positivam* tam *externam*, quam *internam*, uti patet ex verbis Christi, Matth. 5. v. 43. *Audistis quia dictum est: Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum:* NB. *Ego autem dico vobis, diligite inimicos vestros*. Et quamvis omnino verum sit dilectionem inimicorum *quatenus* hi *proximi nostri* sunt, præceptam esse jure naturali: nihilominus in *Decalogo clare* & *manifeste* non continetur, ut eos diligamus, iisque benefaciamus &c. verum id ex aliis declarationibus repetendum est. Neque idem Decalogus est regula *a priori*, id est prima radix, a qua omnes legis nat. obligationes proveniant: sed tantum est authentica a DEO ipso facta explicatio quo ad *præcipua* capita ejus. Ac proin Decalogus solus neque continet omnem ac adæquatam materiam legis nat. ( uti patet v. g. in *mendacio* etiam *officioso*, quod jure nat. certe prohibitum est, ex Decalogo tamen prohibitio hæc deduci nequit, verum aliunde cum similibus petenda est ) neque est principium fundamentale adæquatum & ultimum dignoscendæ obligationis hujusmodi, cum ex eo solo nequeat colligi absoluta *necessitas* eorum, quæ in eo præcipiuntur & prohibentur, quin fiat recursus ad perfectiones divinas tanquam *ultimum & adæquatum* fundamentum obligationis naturalis.

## §. IV.

### *Quid censendum sit de principio J. N. in convenientia & disconvenientia a multis statuto?*

115. INter multa hujusmodi principia celebre est illud *Pallavicini*, *Haunoldi* & aliorum statuentium criterium obligationis nat. in convenientia, vel disconvenientia objecti cum felicitate naturæ humanæ, quod illi hac propositione explicant: *Quidquid simpliciter expedit esse licitum ad felicitatem humanæ naturæ, id omne spectato J. N. est licitum*. Item. *Quod in ordine ad eundem finem simpliciter expedit esse præceptum, vel prohibitum, id omne nat. jure est obligatorium*. Similiter: *Quod simpliciter expedit esse graviter, vel leviter prohibitum pro humani generis felicitate, est jure nat. graviter, vel leviter prohibitum*. Quia vero inde nova oritur quæstio, *quidnam simpliciter expediat, vel non expediat?* alterum statuunt principium, scilicet: *Id omne simpliciter expedit, vel*

*vel non expedit, in cujus licentiam, vel prohibitionem homines consensissent, si ante omnem casum particularem ab Auctore naturæ requisiti tulissent suffragium &c.*

116. Non subsistere hoc principium probatur I. ) Quia constat duabus omnino disparatis & indefinitis propositionibus, quarum unam obscuram sui Patroni explicant per alteram obscuriorem, ac ita totum dubium de obligatione naturali *practice discernenda* relinquunt in sola abstractione *speculativa*.

II. ) Ambæ enim regulæ hunc solum sensum continent: *Fac ea, quæ necessario conveniunt cum natura rationali, & quæ eidem repugnant, omitte*: Porro est id in quæstione, quæ *necessario* debeam *facere, quæ omittere?* Si respondeant, omitte ea, in *cujus prohibitionem homines consensissent*: redit quæstio, unde mihi & tibi de hoc, quod homines consensissent in prohibitionem v. g. *mendacii levis officiosi*, in illis circumstantiis, ubi aliter mortem non possum effugere, ab injusto Judice mox decernendam? Forte aliqui consensissent, forte non: nisi se reflexissent ad *solidius aliud*, & ultimum principium, quod absolute exigit, ut talia objecta a DEO prohibeantur.

Constat enim doctissimos alioqui Viros docuisse in prædicto casu licitum esse mendacium, & similia. Ut enim taceam Protestantium hac in parte errores, qui mentiri propter vitæ conservationem, vel aliam utilitatem, cum Wvebero *de J. N. & G. l. 4. c. 1. §. 9.* Kemmerich. *Jurisprud. divin. l. 2. c. 8. n. 41.* Puffendorf. *l. 4. de J. N. & G. c. 1. §. 16.* ex doctrina Lutheri, & suæ Jurisprudentiæ nat. erroneis principiis, nedum omni vacare culpa; sed etiam actum virtutis, imo *singularem virtutem & prudentiam esse* defendunt; aliquas Catholicorum adfero opiniones: *Goffred.* cit. ab *Angelo* verbo *perjurium*, mendacium officiosum juramento assertorio confirmatum, peccatum tantum veniale esse putavit; quæ opinio usque dum ab Innoc. XI. damnaretur, multos habuit sequaces. *Durandus* Ordin. Prædicator. Theologus & S. Palatii Magister immortuus est sententiæ suæ, qua cum aliis 50. DD. defendit simplicem fornicationem soluti cum soluta, supposito mutuo consensu in usum corporum, & provisione honestæ sustentationis proli nasciture, *non esse delictum contra jus naturæ*, imo illi valde conformem actum, solo tamen jure divino prohibitum, a quo si abstrahamus, illa de Jure nat. foret licita. Et D. Th. 1. 2. *q.* 94. *art.* 6.

sit: *apud Germanos olim Latrocinium non reputabatur iniquum, cum tamen sit expresse contra legem nat.* &c. &c.

Igitur inanis est divinatio in regula secunda asserti principii: Quia hic enumerati, aliique iis doctrina pares Viri nunquam consensissent in prohibitionem mendacii levis & officiosi in casu allegato; & tamen est jure naturæ prohibitum.

III.) Demum, idem principium nec est *unum* ut per se patet; nec *verum*; quia in fictione & inani divinatione consistit: nec *proprium*; nam competit etiam legi positivæ consensu Gentium introductæ, nec dein *ultimum*; quia semper redit quæstio, cur DEUS *necessario* prohibuerit, v. g. mendacium etiam officiosum? consensus autem ille conditionatus hominum in prohibitionem ejus non potuit DEO imponere *absolutam* illud prohibendi *necessitatem*: cum Auctor naturæ nullius entis *extra se* consensu & judicio alio-ve actu *necessaria* coarctari possit: igitur a primo ad ultimum, tandem ad perfectiones Divinas supra expositas recurrendum est.

## §. V.

### *An sola ratio principium sit indicativum legis naturalis?*

117. QUamvis multa & abstrusa juris naturalis cognoscendi principia a ratione humana omnino distincta statuere conati sint Protestantium Naturalistæ, hi tamen rectæ in docendo consequentiæ obliti, tam in cognoscendo, quam discendo jure nat. *SOLAM RATIONEM* Magistram erepant. Ita quippe Puffendorfius *in præfation. J. N. & G.* sibi & aliis legem præscripsit: *solis rationibus* agendum esse, ubi de jure nat. tractatur. Quanquam recessit a sua lege, nec promissis stetit, ubi potissimam partem sui operis textibus juris civilis & variorum Eruditorum, imo S. Scripturæ & quidem inepte applicatis oraculis replevit. Gundlingius *discurs. c. 1.* eo abstractionis devenit, ut ausus sit asserere, *se de OMNIBUS legibus ostendere posse, eas esse IPSAM RATIONEM*; quasi vero leges naturales sola divina ratione *libere* constitutæ forent, & non *intrinseca* objecti bonitas, aut malitia DEUM ad eas homini per dictamen promulgandas *necessaria* permoverit: aut quod ad leges positivas condendas *sola ratio* sufficiat Principi, quod scilicet *ita sibi placet*, sine indagine, an leges hæ sint communita-

nitati utiles, justæ, executioni faciles, loco, tempori commensuratæ &c. vel demum quod *ratio sola* sufficiat sine *voluntate* illis obligandi subditos; eas promulgandi &c.

Vvolfius in sua *Philosoph. pract.* §. 136. *obligationem legis nat. in ipsa natura hominis, & ratione ejus* reponit, quod repetit ibid. *in part.* 1. §. 259. & 261. tum alibi sparsim; decernens legem nat. *non nisi per rationem innotescere*. Huic conforme aliud opus evulgavit: *Institutiones J. N. & G. in quibus EX IPSA HOMINIS NATURA continuo nexu omnes obligationes, & jura omnia deducuntur*. In hac lucubratione, sicut promiserat, fecit, exclusit nempe ipsum etiam naturæ Auctorem DEUM, ac omnem Prudentum, imo & Divinam de Jure nat. auctoritatem. Quo etiam factum est, ut quemadmodum *ex sola ratione sua* scribendum promisit, ita scripserit non Jus naturæ: sed JUS CEREBRINUM, Ethnico non minus, ac Christiano inutile, censuram hanc dictante ipsomet protestantico scriptore *Heineccio, qui in præfation. Elem. J. N. & G.* versu *ipsorum libris*, non de Vvolfii tantum, sed de omnium fere Protestantium suorum lucubrationibus sentit, eas ad Jus nat. discendum, vel explicandum non esse utiles. Ita ille: sed *Væ tibi! væ nigræ dicebat cacabus ollæ;* ipse enim censor hic Heineccius nondum se crimine purgavit, qui eadem navi navigat, ubi ibidem inter alia commenta *solam rationem* judicem obligationis nat. sine limitatione asserit.

Protestantium commentariis etiam Orthodoxorum non nemo deceptus *p.* 2. *de J. N. c.* 1. *f.* 71. pariter sine ulla limitatione audacter tradit: *rationem naturalem satis esse ad agnoscendam legem necessariam Authoris naturæ*. Probans id: quia si in statu puræ naturæ essemus, nunc *sola ratio naturalis sufficeret nobis ad ostendendam legem naturæ &c.*

118. Sed pace istorum Naturalistarum, indubitata est Prudentiorum doctrina, quod *Ratio* nostra *sola non semper* sit indicium certum legis nat. aliquid præcipientis, prohibentis, vel concedentis, sicut nec irritantis: verum illa indigeat regulis, quibus adjuta intelligat voluntatem DEI imperantis.

Fundamentum hujus decisionis est I.) Quia ratio nostra *privata* sibi soli relicta potest errare: nequit igitur *semper* esse indicium certum saltem morale, quale omnino requiritur ad honestatem vel licentiam actus humani. Hoc vero ipsum inde deducitur. II.) Nam lex *æterna*, quæ est ipsa

Ratio DEI, agnoscitur mediante ratione participata creata. Ratio autem hæc participata non immediate attingit rationem divinam; sed mediantibus signis, connexionibus, circumstantiis, quas vocamus *principia indicativa* Juris nat. & ostendimus hic a *n.* 80. ) illa quatenus *inadæquata* sunt, ac certis solum casibus applicari possunt, dari plurima, ex quibus hic & nunc practice agnoscere possimus, obligemur ne ad aliquid, vel non.

Exceptis igitur primis moralitatis principiis: *declina a malo & fac bonum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris*, &c. circa quæ *ratio etiam sola* errare non potest, teste D. Aug. in Pf. 57. *Veritas manu non formata in cordibus nostris scripsit: quod tibi non vis, alteri ne feceris, hoc ignorare nemo permissus est*; demptis item conclusionibus, quæ ex illis primis principiis *clare* & immediate deducuntur, *in reliquis omnibus*, quæ ex generalibus principiis tantum mediate sequuntur, & difficilius penetrari possunt, *ratio sola* sicut ignorantiæ obnoxia est, ita facile errare, & eum, qui suo ingenio confidit, in interitum præcipitare potest. Uti jam patet ex §. *praeced.* ubi multi etiam Eruditi, imo & Religiosi viri *soli rationi* confisi turpiter errarunt circa licentiam mendacii, fornicationis, & ingeniosissimi alioqui Germani nostri antiquiores halucinati sunt circa honestatem latrocinii, quod ipsi, teste Isidoro apud D. Th. *loc. cit.* non pravæ voluntatis vitio: sed *rationis errore* licitum existimarunt.

119. II. ) Hanc ob causam factum est, quod referente Alex. Natal. *theolog. dogm. l.* 3. *c.* 4. *reg.* 16. Clerus Gallicanus cum Academia Parif. & Lovan. confixerit hanc propositionem, *Licet ex SOLO RATIONIS LUMINE dijudicare, quando quis privatus possit pro tuenda vita, vel bonis, vel honore aliquem occidere.* At quid multis opus? experimur utique *REGNUM RATIONIS hodiernum : SPIRITUS LEGUM : SPIRITUS FORTES* Protestantium, quanta mala in DEI Ecclesiam, Rempublicam Christianam, sacrum Rom. Imperium, Jurisprudentiam naturalem, & morum disciplinam non invexerint? cum nullus sit eorum, qui suam *RATIONEM RECTAM* esse non præfidat. De his præsago spiritu dixisse intelligitur D. Augustin. l. de quantit. anim. cap. 7. *numer.* 12. *Tales enim homines, quorum profecto maxima multitudo est, si RATIONE volunt verum comprehendere, similitudinibus RATIONUM facillime DECIPIUNTUR, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur,*

*tur, ut emergere inde ac liberari aut nunquam, aut ægerrime queant.*

120. III.) Momenta contraria id solum evincunt; quod *recta ratio* sibi soli relicta, etiam exclusa omni auctoritate; & convenientis studii, aliisque inadæquatis adminiculis non adhibitis; sufficiat ad cognoscenda prima & generalissima J. N. principia, conclusionesque ex illis suapte natura claire fluentes. Non vero etiam ad eas, quæ difficilius penetrantur, & solum *mediate* ex illis deduci possunt; dicente D. Th. 1. 2. q. 94. a. 4. *Lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum NOTITIAM: sed ut in paucioribus* (id est, quo ad particularia præcepta) *potest deficere etiam quantum AD NOTITIAM:* igitur & errare in cognoscendo jure nat. ratio nostra potest, prout errare quo ad *particularia præcepta* potuisset, si in statu *puræ naturæ* extitisset. Inquirenda ergo sunt adminicula, quibus adjuta erudiatur, ne in judicando circa obligationes erret.

## ARTICULUS III.

*De adminiculis discendi & dignoscendi Juris naturalis.*

### SUMMARIUM.

121. *Scriptura an excludenda a J. N. Christianis explicandos?*
122. *An revelatio Divina?*
123. *Et utrum etiam auctoritas?*
124. *Sine auctoritate nemo fit doctus.*
125. &c. *Gundlingii halucinatio castigatur.*
128. *Et Heineccii consequentiæ.*
129. &c. *Demum aliorum Protestantium devia.*
132. *Cur Protestantes solam rationem crepent?*
133. &c. *An Theologia nat. Jus Canonicum & Civile cum SS. Patribus profliganda sint a J. N. Christianis explicando?*
135. *Lutheri Judicium de Jure Can. & Canonistis.*
136. *De iis melius sentit Leibnitius.*
137. *Heineccii ineptiæ circa Jus Civile & Can.*

§. I.

*Utrum. S. Scriptura & revelatio Divina & auctoritas excludendæ sint a principiis indicativis Jur. Naturæ?*

121. SAcram scripturam, & revelationem divinam non esse excludendas ab *adminiculis* seu *inadæquatis principiis indicativis discernendæ obligationis naturalis*, ejusque docendæ & apprehendendæ, facile concludi potest ex demonstratis §. *præced.* ubi ostensum est, rationem humanam sibi soli relictam posse errare in agnoscenda obligatione naturali: consequens igitur est, debere dari aliqua *adminicula*, quibus debilitas rationis nostræ contra errores muniatur: Porro inter hæc nulla digniora & magis idonea haberi possunt, quam e S. scriptura & revelatione, quod ex his momentis liquere potest. I. ) Nulla Gens parem habet librum, qui ita exacte omnia naturalia præcepta contineat, uti hæc continentur in sacris Veteris & Novi testamenti codicibus. II. ) Nullus codex a sapientissimo hominum conscriptus & naturales leges exponens tantæ reperiri potest auctoritatis, quantæ est sacra scriptura eas declarans & explicans. III. ) Nulla ullius Gentis lex tam paucis omnia fundamenta juris natur. & officia hominis erga DEUM, seipsum, & proximum exponit, & præscribit, sicut sacrum DEI eloquium, prout hæresi, impietate, vel rerum imperitia non præoccupato animo evidens est ex verbis Christi Domini Matth. 24. *Diliges Dominum DEUM tuum ex toto corde &c. & proximum tuum sicut te ipsum . . . . : in his duobus præceptis UNIVERSA Lex pendet &c.* cui consonat illud 1. Timoth. 1. vers. 5. *qui diligit proximum, legem implevit*.

IV. ) Neque prudenter sperari potest ullum deinceps ab ethnicis, vel hæreticis Auctoribus melius conscribendum Jus Naturæ, quam in sacris literis habeamus. V. ) Etiam Protestantes saltem qua Christiani tenentur admittere Decalogum, qui paucis verbis *fere* exhausit totam legem nat. quo ad *præcipua* ejus capita: Non igitur *tantum potest*: sed *debet* admitti a Christiano S. scriptura in dignoscendo, docendo & discendo Jure natur. Quid enim Salomon in Proverbiis & Ecclesiastico, quid maximam partem Prophetæ, quid sacra Evangelia exponunt, quam utplurimum le-

legem naturalem? Imo ex ipsismet Protestantibus, qui tantopere sacrum codicem a naturali jurisprudentia extorrem fieri debere scribunt, Hugo Grotius *de J. B. & P.* admodum liberaliter sacra scriptura ad probationem suorum assertorum usus est, quanquam eadem etiam fœde abusus sit, temerarie invertendo eam hinc inde contra Catholicam Ecclesiam, ac Sanctorum Patrum & Theologorum doctrinam. Quem secutus est *Puffendorfius*, *Gundlingius*, *Vveberus*, *Thomassius*, *Heineccius &c.* qui tamen omnes scripturam sacram excludendam esse a jure nat. explicando clamitant clamori huic re & facto *contrario* non respondente.

122. Quod etiam *revelatio divina*, si versetur circa objecta jure nat. *præcepta*, non sit a jurisprudentia nat. respuenda, colligi jam potest ex præcedentibus. Necessario enim I.) admittendus est præceptorum divinorum Decalogus: Atqui hic est à DEO revelatus. II.) Omnes fere Gentes, & Gentium sapientissimi cum sua Philosophia & Juris nat. commentariis tamdiu in tenebris ignorantiæ squallebant, donec verbum DEI per Apostolos universo mundo fuerat revelatum, hoc autem facto Gentes illæ pervenerunt in notitiam DEI, ejusque veri cultus, & observantiæ legis naturalis, contra quam olim vivendo, vix a brutis differebant, neque notitiam hanc Juris nat. acquisivissent ex libris Homeri & Epicuri; Quod etiam Ethnicus Imperator *Alexander* palam confiteri solitus perhibetur, sibi Christianorum libros præ aliis placere eo, quod rectæ rationi conformem legem doceant: *quod tibi non vis, alteri ne feceris*, uti testatur Guil. Grot. *de princ. J. N. c.* 4. porro lex hæc Christianis, præter naturale lumen inditum, fuit etiam revelata, ac ad Ethnicos propagata.

III.) Quia futilia Protestantium Naturalistarum argumenta sunt, quibus illi revelationem divinam excludere nituntur. Hæc enim non tollit obligationem nat. sed eam declarat & perficit. Ita quippe fit, ut quamvis divinitus revelatum sit DEUM existere, hunc amandum esse super omnia, tamen etiam jure nat. tenemur inquirere in ejus existentiæ notitiam, illumque amare pro viribus naturæ, cujus existentiam etiam naturali ratione demonstrant Christiani Philosophi, licet eam credant revelatam.

IV.) Imo licet a DEO sint aliqua revelata, manet tamen obligatio naturalis ad ea credenda, supposito quod revelatio agnita sit, sive suppositis motivis: qualia sunt

magis *D. Isidorus, Greg. August. Thom. Scot. Suar. de LL. l.* 2. & innumeri alii, qui naturales obligationes Eruditorum auctoritate adhibita probant. Soli *hujus temporis* Protestantes Recentiores legem naturalem proprio Marte auspice, *sola ratione* magistra universo Orbi dictandam *promittunt*: sed promissis non stant. Incipiendo enim a *Seldeno, Hobbesio, Hug. Grotio, Hobbio, Puffendorfio, Thomasio* &c. nullus est, qui non præmissa severiore paræneſi contra Catholicos DD. quasi hi juris naturalis disciplinam admixtione S. Scripturæ & auctoritate Eruditorum adulterarint, fœdarintque; jus naturæ *purum*, seu ex sola ratione depromptum: *ordinatum* ac *evidens* se scripturum spondeat. Nihilominus immemor sui propositi quisque eorum, præter VVolfium, omne quod e sacris paginis, sive ex legibus Civilibus & Jure Canonico, vel Eruditorum quorumvis lucubrationibus, in suum folium hinc inde corradere potuit, corrasit & audacter traxit.

II.) Ratio nostra in *Moralibus* pendentibus a legis nat. dispositione, *circa particulares casus* distinctos a principiis generalibus plerumque cæcutit, nec ita facile potest determinare, quid prohibitum vel permissum sit: debet igitur recurrere ad auctoritatem docentium, ut discat. Nam etiam Gentilium Philosophorum persuasio fuit: *primos homines ab ipso DEO edoctos fuisse*. Hinc recte Aristoteles suis discipulis inculcabat: *discentem oportet credere*, præsertim hominibus vere doctis & piis.

124. III.) Omne proin dubium hac super re exemit D. Augustini effatum l. 2. de ordine, c. 8. & 9. *Nullus hominum, nisi ex imperito peritus fit, nullus autem imperitus novit qualem se debeat præbere docentibus, & quali vita esse docilis possit, evenit, ut omnibus bona magna & occulta discere cupientibus non aperiat, nisi AUCTORITAS*. Et sane nullum sub sole reperire est, qui citra temeritatem vel mendacium asseverare possit, se legis naturalis præcepta *omnia* didicisse ex *sola ratione*, & sine ope ac adminiculo ullius auctoritatis, Magistri, Pædagogi & Præceptoris, si gnavum adjecerit animum ad suam educationem, studia, experientias, diversasque vitæ circumstantias. Utique durante infantia erudiebaris primo a Parentibus, ut eos coleres, iis obedires, DEUM adorare disceres, mendaciis levitatique puerili parceres &c. Dein infantiam egressus commissus es, instructioni aliorum, qui

firmat se *rationis solius* magisterio intelligere omnia etiam *particularia præcepta naturæ*, quæ ex illis generalibus principiis solum *mediate* sequuntur & difficulter penetrari possunt, ut liquet ex *n.* 118.) ubi pro exemplo adduximus Eruditissimos viros qui circa licentiam mendacii, fornicationis, perjurii &c. turpiter errarunt privatæ rationi suæ confisi. Et legi potest *D. Bonaventura*, qui affirmat dari obligationem *naturalem* post lapsum gravem *illico* sese restituendi in statum gratiæ; e contrario *D. Thomas*, qui negant hanc obligationem. Tanti igitur Viri! circa *obligationem naturalem* discordant sententiis, qua igitur præfidencia unus *Gundlingius* cum similibus asseverare audeat, se ex *sola ratione* omnes naturales obligationes sine scripturæ sacræ, *alteriusve* auctoritatis adminiculo intelligere posse? Neque tamen mens nostra est asserere, quod in explicandis naturalibus præceptis *præcise* & *absolute* recurrendum sit ad sacram scripturam: verum id solum; quod sive ad hanc, *sive ad alia* adminicula a nostra ratione distincta recursus hic faciendus sit, quoties proprio Marte nihil certi nostro ratiocinio concludere possumus. Hinc sive ad scripturam, *ubi hæc manifeste aliquem casum naturalis juris declarat*, sive ad Auctoritatem SS. Patrum, aut communem Eruditorum sensum, vel ad juris positivi aliave effata Prudentum recurras, nihil refert: dummodo non halucineris, & in naturali obligatione *privatæ rationi* confisus minime erres.

126. II.) Instat laudatus Gundlingius *loc. cit.* dicens: *Veritatem naturalem ex scriptura disci non posse, alias ex ea etiam Mathematicam oporteret discere*. Dein concludit: *illos miserabiles homines esse, qui velint jus nat. ex S. Scriptura docere, quia scripturæ longe alius est finis.*

Verum quid magis devium est hoc Gundlingii argumento? Certe neque ex ejus lucubratione, neque aliorum Protestantium Institutionibus de Jure naturæ conscriptis *Mathesis* disci potest, & tamen illi se omnes homines legem naturalem docere posse non dubitant. Eruditus Scriptor hic debuit prius perpendere, quod Auctor naturæ DEUS legem naturalem, non autem regulas *mathematicas* cordibus hominum inscripserit, quibus ad se tanquam finem ultimum naturalem & adæquatum dirigerentur: non igitur in suis sacris Eloquiis de Mathesi: sed de morum naturali honestate, per Prophetas suos & S. Evangelium tractare dignatus est; ut scilicet lumen rationis humanæ limitatum ac errori obno-

obnoxium sanctissimis Oraculis suis confirmaret, & in viam veritatis dirigeret. Nulla vero par exigentia fuit tractandi in Scripturis de Mathesi, quia hæc ad finem ultimum naturalem minime est homini necessaria. Hæc si Naturalista ille consideraffet, contra Creatoris sui adoranda Eloquia non ita inepta propofuisset. Ac proin longe *miserabilior* ille est, qui adeo temerarie de Divinis oraculis sentit. Fædissime enim errat, ubi audacter asserit *longe alium esse finem* scripturæ sacræ, quam legis naturalis. Constabit quippe ex infra dicendis, differentiam hanc nonnisi *quo ad modum esse*, quoad substantiam vero, sicut idem DEUS est, quem natura humana pro fine suo naturali habet, ac supernaturali, ita & legis naturalis ac S. Scripturæ finis est dirigendi hominem ad eundem scopum & terminum ultimum: at per diversa media, ex quibus diversus effectus sequitur.

127. III.) Sed quid multis opus est? ipse Gundlingius *l. cit. c.* 1. §. 29. ait, *si Christianus factus sum eosque non fero, qui Christianismum contemnunt*, NB. *ut quid ergo separo revelationem, aliaque via incedo? multo etiam melius in res penetramus, si in AUXILIUM SCRIPTURAM invocamus.* Hoc quemadmodum ille asseruit, ita veritates naturales ex S. Scriptura sæpius probat. Ecce! de uno cerebro calidum, humidum, frigidum, & siccum. Hæc est consequentia doctrinæ hujus Naturalistæ. Decernat Eruditus Lector quid ex ea solidi concludi possit? certe non plus, quam si Proteus *formas versatus in omnes* contra Catholicos Auctores Jus naturale explicantes fuisset argumentatus.

128. IV.) Heineccius *in Elem. J. N. & G. Lib.* 1. *c.* 1. §. 15. dicit jus nat. cordibus nostris esse inscriptum: hinc sequente §. 16. infert, *ex eodem consequitur, ut jus nat. derivandum non sit ex sacris literis*, & paucis post rationem hujus affert: *Quia scriptura est ignota, aut non recepta Gentibus:* Sed Naturalista hic quemadmodum assertum argumentum a *Gundlingio* mutuatus est, ita etiam inconsequentiam illius, ac sibi ipsi non satis constans ingenium derivavit. Enimvero oblitus, aut non percipiens, quod *cit.* §. 16. linea 1. & 2. dixerit: *jus nat. non esse derivandum ex sacris literis*, jam, hoc ipso §. 16. linea 7. & *seq.* ait: *non modo multa, quæ recta ratio dictat, in sacris literis repeti, sed & miram esse utriusque juris consonantiam, nec quidquam DEUM in sacris pandectis vel præcipere, vel prohibere, quod juri per rectam rationem promulgato adversetur*; Bene est! cur igitur sacras literas

ras rejicis? cur paulo ante dixeras jus nat. ex iis non esse derivandum? Quo autem manifestius inconstantiæ judicii sui convincatur Auctor hic, videri potest loc. cit. *l.* 1. *c.* 3. §. 94. ubi ait se magnopere delectari, quod tandem *ex Cocceio* invenerit *principium juris nat.* tale, quale *a sacris literis præsidium accipiat*, scilicet *amorem universalem*. Iterum bene est vir optime; sed qua doctrinæ tuæ consequentia? si jus nat. *non est derivandum e Sacris literis*, tanto minus ex illis derivari deberet principium Juris naturalis; *quia scriptura est*, (juxta te). *ignota aut non recepta Gentibus*, quid igitur proficies tuis *Elementis juris naturæ* ad usum omnium Gentium conscriptis? hæ enim cum non omnes notitiam scripturæ sacræ habeant, vel eam receperint, *amorem universalem* in ea fundatum risu explodent, aut te, quod justum est, inconsequentiæ damnabunt & imperitiæ.

129. V.) Impugnant adhuc alii cum *Puffendorfio*, Scriptura & revelatio divina sunt supra naturam; excludenda igitur est a naturali disciplina. Falluntur tamen & fallunt, nam sacra DEI eloquia *in quantum docent præcepta moralia* rectæ rationi naturali consentanea, non sunt supra naturam, hanc enim illa potius perficiunt, ac in recto & naturali veritatum intellectu confirmant; *quo ad modum* autem, quo latæ sunt leges scriptæ eloquio divino Prophetis & Evangelistis dictatæ, sunt quidem *supra vires* naturæ humanæ: verum id nil facit ad propositum Puffendorfii & ejus sequacium. Responsionem hanc Christianus Lector facili negotio capiet ex Decalogo, quem nobis Sacræ paginæ exhibent, hunc si quis nollet credere *quo ad modum*, seu quod sit locutio Divina; non ideo præcepta in eo contenta (præter Sabbati observantiam) posset rationabiliter dicere esse *supra naturam*; quia hæc omnia & singula naturali rationi sunt *necessario* consentanea.

130. VI.) Urgent iidem Naturalistæ: Jus nat. scribi debet pro omnibus hominibus etiam Gentilibus; porro si id sacra scriptura & auctoritate SS. Patrum constet, Sinenses, Peruani aliique Ethnici nunquam legem nat. discent, cum scripturam sibi ignotam putent esse fabulam, & SS. Patres minime norint; igitur sola ratione sunt convincendi.

*Contra* tamen est, quod hi Moralistæ ita veritatem impugnent, ut simul præter suam intentionem, nervum responsioni subministrent: Quid enim facit ad rem, quod Gentilibus scriptura sacra sit ignota, vel pro fabula reputetur? nun-

nunquid Puffendorfii, Thomafsii, VVolfii, Gundlingii, Heineccii, & fexcentorum aliorum lucubrationes notæ & familiares funt Sinenfibus, Peruanis, aliifque Gentibus barbaris? & tamen in Germania Halæ, Lipfiæ, Altdorffii & alibi Chriftiani Juvenes naturale jus ex illis difcunt, cur igitur iidem difcere hoc ipfum nequeant, fi naturales obligationes Divinis oraculis, SS. Patrum aliorumque Prudentum effatis confirmentur, ac dubia ex *particularibus præceptis* naturalibus oborta ipforum ope & auxilio folidè refolvantur? Chriftianus juris naturæ fcriptor omnibus hominibus, qui rationis ufu pollent, debitor eft, Chriftianis nempe, iifque Catholicis & Hæreticis, non minus ac Gentilibus, Judæis & quibufvis Infidelibus; ille proin obligatus eft ita adornare lucubrationem fuam, ut omnibus & fingulis fatisfaciat. Et quidem *debitor eft Ethnicis & Infidelibus* facræ fcripturæ ignaris; ut his univerfalia juris nat. principia, conclufionefque ex illis manifefte fluentes clare & ad captum exponat, fenfim autem fuggerat iis etiam alias veritates æternas ad religionem revelatam aditum parantes; quas Doctor hic ipfe ex Decalogo aliifque S. Scripturæ locis difcere prius debet, ut hac ratione illos ad plenam veritatis agnitionem, ficut jure nat. fatagere obligatur, inducat, aut faltem, *quantum in humanis viribus eft*, difponat. Debitor quoque eft *Chriftianis*, quibus ita legem nat. exponere debet, ut fuam explicationem conformet eidem naturali juri in Decalogo, Evangelio, aliifque facrorum codicum locis declarato. Quod fi a DEO ejufque facris literis, vera religione naturali, & omni Eruditorum ac piorum auctoritate abftrahat, fuæque *privatæ rationi* confifus fcribat jus pro ftatu hominum mere hypothetico & purè pofsibili: non eft hic eruditus Juris nat. fcriptor: fed *ineptiffimus nugator*, cujus naturalis jurifprudentia tantum contribuit Chriftianis, imo & Infidelibus ad naturalem morum emendationem, quantum tribuit *Odyffea* Homeri, *Utopia* Mori, & *Telemachus* Fenelonii, aut de *raptu Proferpinæ* Poëtarum fabulæ.

**Neque enim vivimus in ftatu *puræ naturæ*, quæ nunquam fuit, nec erit, ac folum ut purepofsibilis confideratur: fed vivimus omnes homines in ftatu *naturæ elevatæ*, fub lege divina tradita in paginis facris explicantibus nobis naturalem obligationem; nil obftante, quod Ethnici hæc ignorent, vel credere nolint, quia *infidelitas eorum* ficut *fidem***

(di-

( dicente Apostolo ) ita nec naturalem veritatem in scripturis declaratm *evacuabit*. ) Quo igitur efficacius omnibus Populis Ethnicis & Christianis satisfaciamus Institutiones nostras de jure nat. ita concipere obstringimur, ut ex illis tam Ethnicus quam Christianus habeat, quod utiliter discat ad rectam morum honestatem naturalem sectandam. Ita autem fiet, si lucubrationes nostræ & solidam contineant assertorum rationem, quo ad generalia principia, conclusionesque ex illis clare fluentes, unde instruatur Ethnicus ac barbarus: & sacra DEI eloquia *Jus nat. declarantia*, SS. Patrum, Theologorum, aliorumque Eruditorum auctoritatem in *puncto naturalis obligationis* exponendæ non excludant, unde in his veritatibus magis illustretur & obfirmetur Christianus; tam hic autem quam ille in obscuris juris naturæ, ac perplexis obligationibus, citra erroris periculum solide instruatur, quod in casibus *particularium* præceptorum naturalium, ex *sola ratione* absque interventu alicujus auctoritatis non semper posse fieri, jam supra ostendimus.

131. VII.) Neque caput fatigat alia *Pussendorfii* & *Vvolfii* ratio, quod scilicet sequatur, omnia, quæ in sacra scriptura præcepta sunt, esse præcepta Juris naturæ. Illatio enim hæc omni fundamento destituta est. Quia Christiani docemur, quod in sacris literis contineantur leges Judiciales, Cæremoniales, Morales, & Sacramentales. Ex his autem omnibus in lege Evangelica præter materiam *Fidei & Sacramentorum*, nulla dari præcepta divina positivo moralia, quæ vel in lege nat. vel in lege veteri, ejusque Decalogo *implicite* non contineantur. Ac proin illa S. Scripturæ præcepta *moralia*, quæ in *lege naturæ ac Decalogo* fundantur, vel ad hunc reducuntur ( præter Sabbatum ) obligant jure naturali. Reliqua vero sunt juris Divini positivi, quorum *aliqua* ( uti sunt judicialia, cæremonialia &c. ) per mortem Christi translato Sacerdotio, abrogata sunt, aliqua manent prout de his alibi tractari solet.

132. A primo ad ultimum, totus conatus Protestantium Moralistarum eo tendit, ut Religionem Christianam *veram* e medio tollant, ac in ejus locum inducant *Regnum rationis* solius, & sub larva ac prætextu Juris naturalis *puri*, *evidentis*, *ordinati*, incautæ Juventuti aperiant viam libere sentiendi quidquid unicuique placet; hunc in finem, S. scripturam, revelationem, auctoritatem, & si quod aliud naturalis obligationis investigandæ adminiculum est, a Jure natu-

turæ declarando audacter eliminant; an autem consequenter & perite? partium studio non præoccupatus Lector, ex his quæ respondimus, judicet.

## §. III.

*An Theologia naturalis, Jus canonicum & Civile admittenda sint in explicando Jure nat.?*

133. Singula hæc, si præcise *in naturali obligatione explicanda persistant*, certum est debere habere locum inter adminicula docendi & discendi juris nat. utpote talia, quibus adjuti possimus devenire in notitiam obligationis naturalis, quam alias ex universalibus principiis per conclusionem certam *immediate* sequi non experimur.

Naturalem quidem Theologiam, sicut & reliqua omnia, excludit cum aliis Puffendorfius, dicens, *pudendo turbine fuisse illum a Catholicis ignorantibus immixtam disciplinæ juris nat.* Hinc etiam Hobbesius, Velthusius, Thomassius DEI agnitionem sequestrant a jure naturæ, relegantes eam ad Theologiam naturalem, tanquam distinctam disciplinam, cujus specimen VVolfius Orbi proposuit in separato volumine. Verum nil obstante erudito homine haud digna censura, indubitatum est melius in doctrina morali versatis, *naturalem theologiam* non posse prudenter excludi a disciplina Juris naturalis. Quia hæc est pars præcipua, & ipsum jus naturale. Est enim *scientia practica dictans naturales hominis obligationes erga DEUM*. Ea igitur exclusa necesse est excludere naturalia officia hominis erga illum, quam impietatem neque in Ethnico scriptore facile repereris.

134. Etiam contra Jus sacrum & civile iidem Naturalistæ excipiunt, e quibus *Gundlingius* rationem affert, *quia non omnes veritates naturales ex corpore juris disci possunt*. Sed quid hoc ad rem? neque ex Gundlingii, VVolfii & similium commentariis veritates prædictæ omnes disci possunt, imo facile incauti Lectores illis depravari & perverti possunt, & tamen manibus teruntur, leguntur a multis, & quidem impune. Melius igitur Prudentiores hac in parte sentiunt, qui inde probant Jura prædicta non debere excludi: Quia dantur plurimæ obligationes naturales ita obscuræ & dubiæ, ut ex generalibus *de faciendo bono & fugiendo malo* principiis nullo modo eas per rectum discursum *immedia-*

te

*te* deducere possimus, quales sunt interdum *de promissionibus, pactis, contractibus, restitutione, compensatione, rei alienæ occupatione, alimentis præstandis* &c. in his autem & similibus casibus ratio nostra sibi soli relicta nihil, aut vix aliquid concludere posset sine recursu ad jus positivum Sacrum, vel Civile, quorum ope dubia hujusmodi facile dissolvuntur, ut experientia docet hos, qui in illis sunt versati.

135. Forsan tamen aliqui hujusmodi farinæ *Moralistæ* facilius movebuntur ad Jus civile recipiendum in suam disciplinam naturalem, saltem in *favorem* Jctorum Protestantium: Sed Jus Canonicum nullo pacto admittere volunt, ita disponente, & suis sequacibus præeunte Luthero, qui apud Gretsch. *de modo prohibend. libros hæret. l.* 1. *c.* 22. ait, *Jus Canonicum multos errores continet: pyra igitur dignum censeri potuit & debuit* &c. Et paulo post dicit: *Canones sunt scabiosi, Decretales pestilentissimæ, Canonistæ asinistæ, atque diabolistæ*. Ita lasciviens asinus hic rudit contra Jus sacrum, melius de eo sentiente sapientissimo Imp. Justiniano, qui Nov. 83. c. 1. Jus Canonicum dicit *sacras & divinas regulas, quas etiam nostræ sequi non dedignantur leges*, & dein *Nov.* 6. ac *Nov.* 132. ait sacros Canones pro salute nostrarum animarum conditos ac constitutos, & plus studii in observatione Canonum, quam in custodia legum civilium ponendum esse, adjungens efficax monitum: eos qui Canones observant, Domini DEI potiri auxilio, & qui in hisce prævaricantur, se ipsos condemnationi subjicere. Concordat *l. sacris Canonibus* 45. *c. de Episc. & Cler.* Qui aliter de Jure sacro cum Luthero sentiunt, hi aut Imperatorum legibus rebelles, aut rudes earum & ignari sunt. Quod si autem Jus civile in multis explicat Juris nat. abdita, ut legum periti fateri debent, ac liquet ex *l.* 1. §. 2. *ff. de J. & J.* ibi: *privatum jus tripartitum est; collectum etenim est ex NATURALIBUS præceptis, aut Gentium, aut Civilibus*: potiori ratione tribuendum est id Juri sacro, cujus scopus est, ut naturalis æquitas in omnibus observetur.

136. Recte proin *Leibnitius* in sua epistola censoria, postquam Samuelis Puffendorfii libellum *de officio homin. & civis* §. 1. dixerit esse *scopas dissolutas, arenam sine calce, sententias suis principiis non cohærentes, ex Auctoribus hic inde mutu sumptas &c.* mox §. IV. imprudentiæ eum damnat, quod Jus Civile & Canonicum in declarando jure nat. receptum non adhibeat, dicens: *plurimum etiam referret paralella addi*

*Juris Civilis inter homines recepti, præsertim Romani, ipsiusque etiam Juris sacri. Itausus Juris naturalis apud Theologos, & JCtos pronior futurus esset, NB. quod nunc magis sermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur.* Hic vir bene sensit de Jure positivo utroque, & egregie descripsit utilitatem Jurisprudentiæ naturalis, quod scilicet ista *magis nunc sermonibus celebretur*, in praxi autem *sine jure positivo*, inter negotiantes vix alicujus sit usus, quo ad *forum externum*. Notandum tamen, quod Leibnitius reprehendat hic Puffendorfium tantum circa libellum *de Offic. hom. & Civ.* in quo ille *sola ratione privata* philosophatur, excluso omni ullius juris aut Auctoritatis auxilio. In alio autem opere suo, nempe *de J. N. & G.* licet in præfatione spoponderit se scripturum Jus nat. ex *sola ratione:* tamen oblitus propositi sui, quidquid hinc inde ex sacris & profanis paginis congerere potuit, tumultuario opere congessit, ubi etiam omisso Jure Canonico, potissimam partem legum Civilium mutuatus est, & tamen Vir hic sibi ipsi non constans hinc inde sparsim perstringit alios, qui in concinnanda Jurisprudentia naturali textus ex Jure positivo, vel auctoritate Eruditorum adhibent.

137. Urget quidem Heineccius *in præfation. ad Elem. J. N. & G.* dicens, *si Turcæ, vel Sinenses aut Japonenses fœdera violent, non convincuntur ex jure Canonico vel Civili, neque ex Thoma, Prophetis, ac Apostolis: igitur procul hæc omnia pellenda sunt jurisprudentia naturali:* ita ille. Sed nugatur cum hæc afferat, & tamen sibi ipsi non constet; nam in eadem *præf.* & *l.* 1. *c.* 1. §. 19. tum alibi sæpius dicit contrarium his verbis: *Jus civile Romanum est ipsum jus naturæ practicum: pleraque juris nat. præcepta ipsum jus civile adoptat: nunquam a jure civili & stricto sejungenda est naturalis æquitas* &c. ubi etiam, tum infra per decursum sui libelli sæpissime textus ex S. Scriptura Jure canonico, civili, D. Thoma, Suarez aliisque Doctoribus Catholicis adhibet. Fallitur etiam putans & falso supponens fœderum ruptorum causam immediate ex jure naturæ cognoscendam esse; potius enim hæc ex jure Gentium decidenda est, ut docet praxis belligerantium. Neque ex eo, quod causæ per Turcas ruptorum fœderum ex jure Canonico vel civili decidi non possint, recte sequitur etiam alias obligationes naturales controversas *inter subditos S. Rom. Imperii* agitatas celebratasque non posse resolvi ex prædictis juribus positivis. Utique causas provenientes ex actione *fractæ pacis*, in quibus naturalis obli-

gatio

gatio violatur, contra cives S. R. Imperii non secundum aliud jus, quam *Civile & Publicum* decidi solere, nemo ita rudis est, qui ignoret.

Viderit S. R. Imperium, & alia Regna Christiana, quam utilitatem Protestantium commentaria in jus naturæ Publico afferant, qui postquam a DEO naturæ Auctore, immortalitate animæ, ac fine ultimo & adæquato naturæ abstraxerunt, etiam sanctissimas leges Imperii Rom. procul usque Thulen, Garamantas & Indos pellendas docent; quod tamen nec *Plato*, nec *Cicero*, nec *Phædrus* nec *Seneca* ethnicus ausi sunt, qui Jus naturale ita pro suis Gentilibus adornarunt, quin unquam a religione, Deorum cultu, debita Principibus observantia, & legum positivarum exactissima custodia abstraxerint, quia nempe probe norunt se non sub concavo lunæ, neque in spatiis imaginariis, aut mero statu naturæ pure possibilis vivere: sed sub DEO, Principibus, Magistratibus, legibus. Quid autem aliud docent recentiores Naturalistæ? quam ita omnes, ne dum Turcas & Ethnicos, sed etiam Christianos vivere debere, ac mores suos componere, quomodo eos composuissent & se gererent, si vel olim fuissent in statu puræ naturæ, qui nunquam extitit, vel nunc in eo viverent, ubi nullus Imperator, nullus Rex, superior, Magistratus, nulla lex positiva Divina vel humana foret, ac proin nulla subordinatio, sed sola & omnimoda naturalis inter omnes æqualitas & nihil aliud, quam solum & absolutum *REGNUM RATIONIS* naturalis esset & dominaretur; *heu! latet anguis in herba.*

## C A P U T III.

### *De effectu Legis naturalis.*

138. HAbita jam notitia principiorum constituentium & indicantium nobis legem naturalem, sequitur inquirendum; lex hæc per principia rationi consentanea unicuique hominum indicata quem producat effectum?

### A R T I C U L U S I.

#### *De generali effectu legis naturalis.*

#### S U M M A R I U M.

139. &c. *Quid & quotuplex effectus obligationis nat.?*
141. *Quid sit obligatio naturalis quo ad substantiam?*

## §. I.

### *Quis sit & quotuplex effectus legis naturalis?*

139. DUplex potissimum legis nat. effectus venit hic in considerationem, alter nempe *generalis* competens omni etiam positivæ legi, quod scilicet *obliget in conscientia*; alter *specialis*, reddens actum *irritum*, de hoc separatis agemus, nunc de priore nobis sermo erit.

Quod autem ex lege nat. præcipiente, vel prohibente oriatur *obligatio in conscientia*, certum est ex naturali ratione. Juxta enim superius demonstrata Lex nat. est Lex DEI, quæ prout intimata nobis per dictamen practicum, quid faciendum vel omittendum hic & nunc sit, est proxima regula honestatis moralis, juxta quam exercere actum aut eum omittere constringimur, nam per dictamen illud practicum redditi sumus moraliter certi de voluntate Divina nobis sufficienter intimata, cui obedire tenemur: Porro obligatio in conscientia nil aliud est, quam *vinculum morale* implendi voluntatem legitimi Superioris præcipientis, de cujus præcepto nobis certo innotuit: igitur ex illa certitudine morali de voluntate legitimi superioris præcipientis, oritur vinculum seu obligatio implendi. Quo etiam factum est, ut *D. Aug.* definiat peccatum, quod sit *cogitatum, dictum vel factum contra legem DEI*, per oppositionem enim ad legem æternam DEI resultat malitia gravis vel levis, prout graviter vel leviter obligat lex nat. Quod ex fine, objecto seu materia, proportione, ac medio ad caritatem DEI, nostri ipsius, vel proximi servandam, ac ad felicitatem humanam conducentia desumendum est.

Hæc ipsa conscientiæ obligatio ad captum etiam rudium explicata est ab Apostolo ad Rom. 2. in illis verbis, *Gentes quæ legem non habent* )puta scriptam in codice, ac positivam natu-

*naturaliter ea, quæ legis sunt, faciunt .. testimonium reddente illis conscientia illorum*, scilicet; si juxta rectum conscientiæ testimonium, seu dictamen agunt, satisfaciunt suæ obligationi parendo DEO jubenti: secus si contra testimonium & dictamen illud egerint.

Obligatio tamen hæc in conscientia, juxta *n.* 72.) a lege nat. tunc solum inducitur, quando illa aliquid *necessario* præcipit vel prohibet. Lex enim naturalis mere permissiva, vel concessiva cum non sit proprie lex respectu subjecti, cui aliquid illa permittit, vel concedit, hinc etiam neque obligationem ullam: sed potius licentiam actus inducit, uti sunt libertas testandi: eligendi statum vitæ qui sibi placuerit: sedendi vel standi, aut ambulandi &c.

140. Illis vero casibus, quando obstringimur aliquid agere, vel non agere, potest generalis hæc regula statui, quod: Nulla sit obligatio in conscientia ex quibuscunque legibus etiam positivis, aut proprio facto, v.g. ex voto, juramenti religione &c. proveniens, quæ non sit saltem *aliquomodo*, ac mediate & remote sumptus legis naturalis effectus. *Ratio* hujus est, quia lex nat. præcipit adimplere ea, quæ divina lege positiva intellectui nostro sufficienter proposita imperata sunt, imo & ea, quæ per legitimos Magistratus, quoscunque Ecclesiasticos, aut Civiles, tanquam Ministros DEI juste statuuntur. Jubet quoque reddere quidquid proprio facto & voluntate DEO, aut proximo promissum debetur. Hinc omnia vota, promissiones, pariter ac pacta quævis & contractus *ab initio sunt voluntatis*, scilicet liberum nobis erat vovere, promittere, pacisci, hoc vel illud Religiosum institutum, aut alium vitæ statum amplecti, vel non; ex *post facto autem sunt necessitatis*. Ita similiter, liberum mihi fuit hic loci contrahere domicilium, ac consequenter observare leges & statuta hujus Civitatis, vel non; ex quo tamen libere Jus civitatis hic obtinui, & domicilium contraxi, hacque ratione me statutis loci & legibus submisi: nil obstante quod leges hæ sint tantum humanæ & positivæ, adhuc etiam *naturali obligatione*, scilicet *consequenter* & mediante mea libera determinatione, quamdiu sum subditus ejus, teneor in conscientia ad debitam observantiam. Alioquin non implerem mea officia erga proximum & Rempubl. jure nat. præcepta. Quia tamen obligatio hæc solum *remote* a Jure nat. descendit, hinc transgressio legis pure positivæ extra casum restitutionis, vel compensationis, non

æstimatur tanquam si directe Jus nat. violaretur, verum indirecte tantum: per se autem & *immediate* sola legis positivæ violatio censetur, quidquid sit quod per *accidens* accedere possit circumstantia Religionis, vel injuriæ tertii, unde malitia actus aggravari, vel speciem suam mutare possit. Suar. *de LL. l. 2. c. 9. a n. 8.*

## §. II.

### *Quid sit obligationem esse legis naturalis quo ad substantiam, positivæ autem quo ad modum?*

141. QUando lex nat. ita aliquid præcipit, aut prohibet *in genere*, ut in specie vel in individuo actus nil disposuerit; sed reliquerit determinationem Juri positivo Divino vel humano, tunc si aliqua ex legibus positivis determinaverit in specie & in individuo actus, quid faciendum, vel omittendum sit, vocabitur legis hujusmodi obligatio *naturalis quo ad substantiam*, positiva vero *quo ad modum*. Ita Sabbati olim, hodie autem diei Dominicæ observandæ obligatio est *quo ad substantiam* juris nat. Id enim jus præcipit etiam *aliquem* externum cultum DEO exhibendum, quia vero præceptum hoc procedit tantum in *genere*, scilicet hoc vel alio modo; hoc vel alio tempore cultus exhibeatur, hinc lex Divina positiva in Veteri testamento determinaverat Sabbatum, modo autem post Christi Domini Resurrectionem Ecclesia designavit diem Dominicam. Item, *obligatio solvendi Decimas* spirituales est legis nat. *quo ad substantiam*. Nam hoc jus præcipit suos Pastores animarum sustentandos esse, qui in eorum commodum spirituale laborant, sicut etiam præcipit pastores gregum, & alios operarios alendos, aut salariis providendos, unde vivere possint. Quia vero non determinavit modum sustentationis Pastorum spiritualium, an scilicet pars *quinta*, vel *nona*, aut *vicesima* fructuum, vel certa pecunia iis danda foret, fuit præceptum hoc *naturale quo ad substantiam*, quia genericum & indeterminatum quo ad materiam sustentationi necessariam: Jus autem positivum Divinum in Veteri testamento legem indeterminatam hujusmodi naturalem in sua *specie infima* determinavit quoad *decimam partem* fructuum. Ad cujus dispositionis imitationem etiam hodie decimæ spirituales *formaliter*, seu quos ad *certam quotam* sumptæ ex determinatione Ec-

clesiæ

clesiæ debentur jure solum positivo, ut liquet ex praxi præscriptionum contra hujusmodi decimas. *Materialiter* autem seu pro *necessaria* Ministrorum Ecclesiæ sustentatione spectatæ, ipsis adhuc hodie debentur *etiam naturali jure;* quatenus in gratiam & utilitatem aliorum ex pacto tacito vel expresso laboranti, jure hoc debetur justum stipendium, & conveniens sustentatio, cum *nemo militare teneatur propriis stipendiis*. Atque hinc patet decimas, prout hæ suppeditant *necessariam* Pastoribus spiritualibus sustentationem, esse determinate ac immediate a jure nat. præceptas: non vero prout spectantur *decima* pars fructuum, seu formaliter. Quia cum jus nat. hic ad solam justitiam attendat, minime curat, sit ne illa pars *decima*, vel *vigesima*, aut *centesima* &c. dummodo Ecclesiasticus operarius habeat a suis, quibus inservit, Parochianis tantum, quantum sufficit ad vitam honeste sustentandam, sine quo alias deberet relinquere Ecclesiam & animarum curam.

## §. III.

### *Quæ sit summa obligationis naturalis, & quibus verbis exprimenda?*

142. Summa obligationis naturalis *generice* sumptæ consistit in his principiis universalibus: *Declina a malo, & fac bonum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris: Omnia quæcunque vultis ut faciant vobis homines, & vos facite illis.* Hæc tamen, & præsertim duo reliqua principia latissima sunt, & continent ne dum illam morum honestatem, quæ immediate ac *necessario* præcipitur a jure nat. vel prohibetur: sed eam etiam quæ non cadit sub *rigorosum* præceptum naturale, quales sunt actus in mero *decoro, honesto, & convenientia* fundati, ac etiam ex caritate, vel solo consilio supererogatorie exercendi vel omittendi. Sub illis enim continetur quoque actus v. g. largitionis eleemosynæ ab homine etiam non habente superfluum status sui, dummodo habeat superfluum sustentationis necessariæ, ut illam det proximo petenti *extra extremam* quoque & *omnem gravem* necessitatem: volumus quippe ut nobis faciant homines, si quid simile in talibus circumstantiis petamus: Qui tamen actus eleemosynæ extra prædictas circumstantias necessitatis (quidquid sit de positiva lege) non est *jure nat.* præceptus, præser-

 tim

tim si superflua illa in alios pios usus convertere velis, vel aliis pauperibus jam largitus es, alioqui toties obligatio hæc violaretur, quoties pauperi triviali negatur eleemosyna; quamvis honestum sit, imo & meritorium illam ei tribuere.

Hinc prædicta & similia generalia principia moralia ut jure nat. obligent, intelligenda sunt vim naturalis præcepti tunc solum habere, quando evidentem aut certam habent honestatem *necessariam* ad rectitudinem morum requisitam, ita ut oppositus actus moralem inordinationem seu malitiam *necessario* prohibendam *evidenter* vel *certo* contineat. Quod etiam non modo locum habet in prædictis principiis: sed etiam in conclusionibus ex illis manifeste sequentibus, quales sunt v. g. hæ; Declina a malo: *igitur non furandum; non est blasphemandum*: Fac bonum; *igitur bene sentiendum est de DEO; ille honorandus, amandus est*. Illa quippe quæ evidenter vel certo cognoscuntur lumine nat. sive cum discursu, sive absque illo cognoscantur, recte dicuntur naturaliter fieri. Suar. *de LL. l. 2. c. 7. a n.* 4. Recole superius dicta hic *a n.* 71.)

Similem intellectum admittit illa universalissima Juris civilis regula §. 3. Inst. de J. & J. *Juris præcepta sunt hæc: honeste vivere, alterum non lædere, suum cuique tribuere*, quæ cum etiam indefinite loquatur de omni honestate, hæc ad jus nat. non est reducenda, nisi actus aliquis contineat honestatem *necessariam* supra explicatam.

143. Summa itaque obligationis naturalis *strictiore sensu* acceptæ consistit in tribus officiis, scil. *erga DEUM, seipsum, & proximum*, potestque exprimi hac vel simili propositione: *Fac vel omitte ea, quæ ex amore DEO, tibi & proximo naturaliter debito facienda vel omittenda sunt*. Quæ autem ex prædicto amore ita debita sint; homo Christianus, imo & Judæus percipiet ex Decalogo, aliisque adminiculis supra adductis. Ethnicus autem si voluerit, non obscure intelliget tum ex iisdem adminiculis, qualia sunt, communis prudentum sensus: bonorum exempla: conscientiæ dictamina &c. tum ex principio adæquato & ultimo, asserto, & a nobis demonstrato hic a *n.* 83.)

144. Ex his autem colligitur, præceptum primum ac fundamentale, ad quod omnia Juris nat. officia reduci possint, non consistere in male applicatis & pejus excogitatis Protestantium principiis: Ama te ipsum, etsi cætera omnia destruas, ut docet *Hobbesius* ex Machiavello; Pacem externam cole, socialiter vive cum hominibus, ut tradit *Puf-*

*Puffend.* cum sequacibus: Vive secundum essentiam & naturam humanam abstractam a DEO, ut vult *Vvolfius*: Crescite & multiplicamini, ut ineptissime recens publico obtrusit *Pagenstecherus*. Priora enim sunt nedum rationi contraria: sed etiam perniciosa, ultimum autem non habere vim præcepti naturalis universalis patebit ex infra dicendis. Omnia vero hæc pariter cum Vvolfiano pandunt viam ad Atheismum, Naturalismum, Pneumatismum, continentque subtilem nequitiam, qua facili negotio incautos Juvenes aliosve Lectores inficere possunt, si pestem hanc non fugiant & lucubrationes hujusmodi non evitent.

## §. IV.

### *Quæ requirantur ad observationem legis nat. ejusque transgressionem.*

145. I.) AD impletionem legis nat. sicut & cujusvis alterius præcepti requiritur *aliqua* intentio seu voluntas faciendi id, quod præceptum est, aut saltem opus est ne præcepto contraria voluntas adsit. Quia cum lex detur hominibus, non brutis, illa humano modo est implenda, atque adeo impletio omnis præcepti debet esse actus humanus conjunctus, cum libertate & voluntate operantis, id est ut *velit*, sive intendat facere hoc, quod est præceptum, *vel saltem non intendat, neque velit actum, vel ejus omissionem præcepto oppositum*. Patet id in exemplis. Ita quippe Lex nat. obligat ad neminem lædendum sine causa, parendum Judici juste imperanti, honorandos parentes &c. si quis autem esset absolute ita in *animo suo* constitutus, ut paratus sit rapere aliena, occidere innocentem, injuste ablata non restituere, contemnere æquissima mandata Superioris, inhonorare Parentes &c. *nisi timeret* pœnam capitalem, triremes, exilium, exheredationem &c. hic coram DEO non adimpleret legem nat. neque ageret honeste: sed potius in foro *interno* ob suam malam voluntatem reus esset violatæ legis illius, ac proin etiam rapinæ, violentiarum, inobedientiæ, contemptus Parentum &c. Quia hæc non est *moralis* observantia præcepti, aut legis nat. sed solum apparens & extrinseca, quæ interdum pro foro externo *per accidens* satisfacere potest, ex quo homines de rebus tantum *apparentibus* judicant, quin cordis intima

pene-

penetrent, vel quod lex humana *interdum* actu externo *rite* posito contenta sit, quin aliam requirat intentionem saltem *regulariter*. Hinc sequens actus esset peccaminosus juxta Theologos, v. g. si quis non abstrahat quid esset facturus; sed absolute dicat vel interne consentiat: *si infernus non esset, blasphemarem: pejerarem* &c. Quia talis haberet affectum absolutum quantum in se est, ad rem inhonestam intrinsece malam, quæ nunquam potest esse non prohibita, sive infernus existat, sive non.

Hanc etiam ob causam *Gerson* cum aliis docet, metum gehennæ malum esse, si sit proprie ac *principaliter* finalis causa observationis legum. Nam hoc casu homo *reatum pœnæ* timet super omne malum, consequenter suam impunitatem ac proprium commodum amat super omne bonum quod Divino amori repugnat. Contra vero: bonum ac honestum esse timorem gehennæ, si sit causa tantum *impulsiva*, seu finalis *secundaria*, talis enim timor provenire videtur ab habitu spei theologicæ, cum ejusdem virtutis sit bonum suum prosequi, & oppositum suum refugere. Gerson *p.* 2. *operum, in regul. moral.* §. *diligi potest*. Suar. *de LL. l.* 2. *c.* 10. *a n.* 4. Vasq. 1. 2. *d.* 27. *c.* 2. *n.* 9.

145. II.) Ad transgressionem formaliter peccaminosam legis nat. pariter ac cujusvis alterius generaliter *tres* requiruntur conditiones I.) ut sit voluntaria, id est, ut fiat a voluntate consentiente. 2.) Ut sit libera, seu ut sit in potestate voluntatis facere, vel non. 3.) Ut advertatur ad malitiam actus prohibiti, quam quis exercet, vel præcepti, quod implere omittit. Defectu *primæ* conditionis nullus actus, qui neque in, neque a voluntate est, peccatum inducit, nisi voluntas eum acceptet complacendo in eo. Defectu *secundæ* conditionis subinde a peccato excusantur vehementissimi motus *primo primi*, iræ, concupiscentiæ &c. quibus usus rationis aliquando perturbatur, & libertas tollitur. Defectu *tertiæ* non transgreditur formaliter legem, qui lapidem projicit per fenestram, nullo modo advertens periculum læsionis.

147. An vero præter malitiam actus seu objecti, requiratur etiam advertentia ad legem prohibentem? Conformiter dictis supra *n.*102. tenendum est; hocipso quod quis advertat ad malitiam actus, *implicite* advertat etiam ad legem prohibentem. Vel enim malitia illa est *intrinseca* actui v. gr. blasphemiæ? & talis actus non potest non prohiberi lege nat.

nat. quia est intrinsece malus: vel est *extrinseca?* & hic etiam implicite agnoscit legem positivam prohibentem *vel* præcipientem, non enim extrinsece malus esset, si a lege non fuisset prohibitus *vel* præceptus, nam exercitium ejus ideo solum malum est, quia prohibitum, & omissio ideo mala, quia adest præceptum positivum actus exercendi. Aut demum agnoscit actus malitiam: sed non discernit sit ne extrinseca, vel intrinseca actui: & hoc casu iterum advertit ad legem *generalem*, quæ eum ab omni morali actus malitia arcet: *declina a malo* &c. Alioqui ita malum actum non evitans *exercite* se hunc in modum resolvit: *nescio quidem cujus malitiæ, & contra quam legem sit hic actus: ego tamen eum admittam, &c.*

## §. V.

*An Jus nat. suis transgressoribus infligat etiam culpæ & pœnæ reatum?*

148. Quamvis reatum culpæ & pœnæ contrahi a transgressoribus legis nat. recte dispositus intellectus negare haud possit, eo quod effectus hic omnibus cujusvis legis non mere pœnalis (quanquam & hæc saltem culpam juridicam supponit) prævaricatoribus proprius sit, & homo per peccatum avertens se a Creatore suo ac convertens ad creaturam, sicut perversa voluntate sua deserit amicitiam cum illo, incurritque reatum culpæ, ita pro inobedientia & contemptu ejusdem fit reus pœnæ: Nihilominus lex natur. quæ alias omnem deliberatam legis transgressionem prohibet, eamque aliquo modo coercendam præcipit, pœnam in sua specie nullam definit: sed potius taxationem ejus, quantum ad temporalem justitiæ administrationem spectat, Magistratibus & legitimis Superioribus, simul cum libera executione reliquit, de se nihil aliud intendens, quam ne crimina perpetrentur, ut justitia administretur, & morum necessaria honestas in omnibus vigeat, sive interea finis hic per pœnæ inflictionem, sive per paternam cohortationem, sive demum alio quocunque modo obtineatur, penes regimen humanum, Principes ac Judices relictum id voluit, qui dispicere possunt & debent, quid magis expediat ad legis nat. observantiam, ac publicam felicitatem & quietem. Unde fit, ut *reatus pœnæ* non sequatur proprie ex imperio legis

legis nat. sed potius ex naturali & intrinseca conditione culpæ; ita ut licet pœna non sit per legem hanc determinata, adhuc arbitrio competentis Judicis puniri possit, lege naturali *in genere* tantum præcipiente: *ut fiat justitia &c.*

149. Quo etiam factum est, ut *Jus Aggratiandi* soli supremo Principi competens, legi naturali, sicut & positivæ ulli non adversetur. Pœnæ enim delinquentibus sunt a lege tantum humana taxatæ, cum vero per *l.* 31. *ff. de LL.* supremus Princeps legibus humanis *qua suis* solutus sit, consequens est eum hujusmodi pœnas posse commutare, vel remittere, ubi id expedire viderit propter Communitatis utilitatem, vel aliam rationabilem causam. Neque obstat lex Divina Gen. 2. *Quicumque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius*. Cum enim leges huiusmodi fuerint mere positivæ, eæque tantum *Judiciales*, latæ a DEO pro Reipublicæ illius statu, qui per adventum Messiæ sublatus est, hinc etiam ea, quæ ad ejus gubernationem libere constituta erant, cessasse oportuit, docente D. Th. 1. 2. *q.* 104. *a.* 3. Licet igitur scelera, quæ puniri mandat DEUS, punienda sint, ea tamen obligatio non oritur, nisi ex mera convenientia & æquitate naturali non inducente *determinatam* necessitatem administrationis justitiæ vindicativæ, qualem æquitatem a *n.* 75. ) diximus non esse idem cum lege nat. cum sit virtus *mediatrix* inter jus summum, seu rigorem, & inter impunitatem criminis, relinquens moderationem hanc prudenti arbitrio Judicis.

Tanto minus adhuc obligatio illa pœnæ a Magistratibus temporalibus infligendæ provenit ex lege Divina: Certum quippe est, *Primo*: Cain fratricidam in Judicio humano non luisse delicti sui pœnas criminales; *Secundo*: Etiam tempore Regni Davidici, non obstante lege Divina sanguinem pro sanguine, dentem pro dente, oculum pro oculo eruendum disponente, nihilominus *Jus aggratiandi* jam in usu fuisse indubitatæ fidei est. Constat enim neque *Ammonem*, qui sororem suam Thamar vi oppresserat 2. *Reg. c.* 12. lapidibus obrutum, secundum legis Mosaicæ rigorem fuisse; neque *Absalonem*, qui fratrem suum *Ammonem* ex insidiis occiderat, sanguinem pro sanguine dedisse. Imo filio huic fratricidæ vitæ gratiam jure etiam jurando a Davide Rege simul & Patre impertitam fuisse constat ex 2. *Reg.* 14. *v.* 11. Quod ipsum testantur etiam *Civitates refugii*, & loci immunitatis privilegio donati.

150. Cum

150. Cum itaque v. g. homicida obligatus sit legi & disciplinæ publicæ, obstrictus quoque sit etiam heredibus occisi; his non tenetur ille quidpiam *pro vita hominis liberi*, neque pro ejus membro læso, vel cicatrice, cum hæc superent æstimationem humanam: bene tamen ad integras expensas, factas in curationem, sustentationem & etiam sepulturam, ut docet Navar. *c.* 15. *n.* 22. obligans ex justitia stricta, sicut & ad omne damnum *pecuniarium* secutum ex homicidio. Quanquam alii contradicant in puncto solius *sepulturæ* & *funeris*, eo quod etiamsi naturali morte obiisset, tamen hæ expensæ fieri debuissent, atque adeo per occisionem nihil damni ex hac parte illatum putant: Verum hi etiam Doctores limitant, nisi forte ex acceleratione mortis, eo quod citius isti sumptus fieri debuerint, quibus adhuc aliquid lucri heres facere potuisset: vel nisi extra patriam, aut alieno loco occisus sit, ubi majores sumptus, quam domi fieri debuerunt, quorum primum spectat ad lucrum cessans, alterum vero ad damnum emergens, adeoque ex justitia compensandum: Pari ratione ac tenetur ad arbitrium Judicis vel boni Viri restituere heredibus quantum spes lucri valebat, puta, quantum ille, qui occisione vel mutilatione inutilis factus est, opificio, vel officio suo lucrari potuisset, si culpa injusti aggressoris inutilis factus non fuisset. Sola proin damna hujusmodi ex justitia lege natur. sunt ei compensanda, declarante id etiam *l. ult. ff. de his, qui effuder. vel ejecer.* Princeps igitur nullam infert Actori injuriam, si *injuncta satisfactione parti læsæ* facienda quo ad *damna realia*, quæ sola Jus nat. resarcienda præcipit rigorose; vitæ gratiam eidem impertiatur ex causa rationabili, qualis esset v. g. conservatio Familiæ optime meritæ de Republica, utilitas obsequii, quod præstare Reus hic vitæ gratia donatus potest, &c. &c. Vitæ quippe privatio ad jus *solius* Principis vel ejus Magistratus spectabant, ne scilicet crimina impunita maneant, & ut publica disciplina foveatur: Si vero idem Princeps finem hunc aliter obtinere potest, aut per mitiores pœnas delinquentis, aut per aliud in Rempublicam redundans commodum: hac ratione nedum particulari quo ad heredes, sed etiam publicæ justitiæ quo ad leges & vindictam publicam satisfactum esse censetur.

§. VI. *Quid*

## §. VI.

### *Quid, & quis sit effectus obligationis naturalis?*

151. OBligatio in genere est *vinculum morale, quo adstringimur ad aliquid faciendum, vel omittendum.* Alia est Justitiæ, ejusque *Commutativæ*, vel *Legalis*, & quidem vel *naturalis* vel *positivæ*. Alia *Religionis*, de qua hoc loco non est quæstio. Naturalis obligatio est, quæ præciso omni jure positivo oritur ex *natura actus*, & a jure positivo superveniente ( ut plerumque fit ) non irritatur. Hæc ipsa *naturalis* obligatio juxta Covarr. *C.* 11. *de testam. n.* 10. alia est *non stricta*, seu quæ provenit ex *necessaria* quidem honestate morali, quin tamen inducat onus aliquod restitutionis, vel compensationis. Et ita naturaliter obligamur ad non blasphemandum, non mentiendum officiose, &c. quin aliquid restitui debeat pro blasphemia commissa aut mendacio mere officioso, atque hæc obligatio refertur ad justitiam legalem naturalem, seu universalem, de qua *sect. II. c.* 4. *art.* 4. agemus. Alia naturalis *stricta* obligatio, quæ non in sola *necessaria* virtutis honestate consistit: sed etiam inducit onus restitutionis, vel compensationis, ut fit in furto, rapina, detractione famæ, damno culpa theologica dato &c. Et hæc obligatio reducitur ad justitiam *Commutativam* seu particularem, per respectum ad quam Jus Civile naturalem imo & civilem obligationem definit *strictius*, quod scil. sit *Juris vinculum adstringens ad aliquid præstandum, voluntatem & commodum obligantis pro mensura sua habens*, pr. Inst. de obl. & l. 3. ff. eod. Hæc autem dividitur in naturalem tantum: civilem tantum: ac naturalem & civilem simul. *Naturalis tantum*, est vinculum adstringens ad præstandum id, quod solo jure nat. debetur. *L.* 95. *§.* 4. *ff. de solut.* Talis est v. g. quæ ex conventione patris cum filiofam. pubertatem egresso oritur &c. &c. Obligatio *Civilis tantum*, est vinculum adstringens ad præstandum, quod solo jure civili debetur. Talis est quæ oritur *ex litterarum obligatione*, judicialiter probata; ex *sententia condemnatoria non debitoris*, L. 56. ff. de re judic. Item ex juramento, quo quis id sibi deferente adversario præstitit, asserens sibi deberi rem, quam petit, hoc enim casu jurans obligat adversarium, etsi hic nil debeat *naturaliter*, ut patet: sed tamen *civiliter*, per *l.* 5. *§.* 2. *ff. de*

*ff. de jur. jur.* Jam obligatio *naturalis & civilis simul*, est vinculum adstringens ad præstandum, quod jure nat. & simul civili debetur. Talis est, quæ ex actibus utroque jure validis, oritur, *v. g.* ex contractu empti-venditi, ut ex testamento solemniter facto, & morte Testatoris confirmato, &c. Atque de hac obligatione naturali tractat utplurimum Jus Canonicum & Civile.

152. Quod autem ad nostrum forum immediate hic & nunc attinet: obligationis naturalis, prout hæc ad justitiam commutativam reducitur, *triplex* potissimum effectus est. I.) Quod *naturaliter tantum* debitum in conscientia debitoris producat onus satisfactionis præstandæ, licet is cui debetur, ob negatam sibi a jure positivo Actionem agere in Judicio non possit, *C. Antigonus* 1. *de pact.* Hoc enim casu conscientia debitoris testis, ratio autem naturalis Judex est. Et licet res ita debita non pariat Actionem suo Creditori, ut possit eam via juris petere, *arg. l.* 7. §. 4. *ff. de pact.* is tamen non prohibetur eam requirere amicabiliter, & sine juris strepitu, imo & per denunciationem Evangelicam. Semper tamen tali debitori producit Exceptionem pro foro externo, manente obligatione satisfactionis pro interno, *d. l.* 7. §. 4. II.) Effectus est, quod *tantum naturaliter debitum* si fuerit solutum, repeti non possit, *l.* 10. *ff. de O. & A.* ibi: *Naturales obligationes non eo solo æstimantur, si actio aliqua eo nomine competit: verum etiam eo, si soluta pecunia repeti non possit.* Ratio est, quia ideo posset repeti, quod forte per errorem solutum fuerit, errantis autem *& ignorantis nullus consensus est*: atqui error hic non obstat, cum non requiratur consensus debitoris, quoties res in *sua specie determinata* debetur alteri. Ac proin licet per errorem vel ignorantiam rem alienam restituens Domino suo, non præstet actum justitiæ *formaliter*, cum actus talis non sit humanus utpote involuntarius, & ad rationem virtutis non sufficiens: nihilominus cum per talem restitutionem rei Domino satisfiat ad æqualitatem, hoc ipso *subtrahitur materia* justitiæ commutativæ, quo minus ille, qui erronee solvit teneatur ad ullam aliam solutionem, prout neque ad soluti repetitionem jus habet. Si tamen errans ille debitor interne pœniteret se erraffe, & alienum errore solvisse, non obstante quod ad æqualitatem jam satisfecerit in ratione debiti, adhuc *coram DEO* delinqueret perinde, ac si prorsus voluntarie ac malitiose rem alienam nollet restituere, adest enim in illo de-

bito-

bitore naturali precepto contraria voluntas, quæ juxta *num.* 145.) sufficit ad injustitiam *formalem* coram DEO committendam.

Effectus III.) Naturalis obligationis est, quod debitum *tantum naturale* compensari possit cum debito naturali & civili simul, declarante id ethnico etiam JCto in *l. 6. ff. de compensat.* ubi ait: *Etiam quod natura debetur, venit in compensationem.* Ratio est, quia debitor qui injuste est in mora solutionis, nequit rationabiliter esse invitus, quo minus Creditor sibi ex ejus bonis satisfaciat, si *aliter* se indemnem facere non potest. Dummodo tamen hic servet conditiones, quæ tam pro interno, quam externo foro ad occultam compensationem requiruntur. Ac proin occulta usurus compensatione debet habere debitum nedum *certum*: sed etiam *liquidum*, hoc est nulli controversiæ, aut compensationi vicissim obnoxium. Quale esset, si v. g. herus famulo 100. fl. annuæ mercedis nollet solvere eo, quod multa sibi damna per famulum illata causaretur, tunc enim expectanda esset conveniens causæ hujus cognitio. Neque potest plus compensari quam sibi *liquide* & *certo* fuit debitum. Hinc famulus, qui a suo hero sæpius injuste qua colaphis impactis, qua fuste, qua verbis injuriosis afflictus fuerat, nequit aliquid illi in compensationem harum injuriarum occulte surripere, & suo proprio arbitrio injurias has æstimare, ut pro illis certam pecuniæ summam, vel aliarum rerum quantitatem invito Domino contrectet. Quamvis enim injuriæ hæ si ad Judicem pertigissent, potuissent multa pecuniaria puniri: tamen quia id nondum est subsecutum, neque numerus multæ certus est hucusque determinatus, famulus non potest eam determinare, neque in propria causa Judicis officio fungi. Alioqui misera foret conditio status herilis. Demum si *aliter* quam per occultam compensationem possit non difficulter rem suam recuperare, v. g. per Judicis vel Superioris sententiam, aget saltem contra caritatem, occulte compensando, non enim observabit ordinem petendæ satisfactionis humanæ societati consuetum, ex cujus violatione sequi solent jurgia, inquietudo, aliave status herilis, & œconomici incommoda. Attendi quoque debet, an forte ille, qui rem tuam detinet, non ideo eam restituere nolit, v. g. solvere mutuum, salaria, mercedem &c. quod ipse hic & nunc valde indigeat, debitis anterioribus sit gravatus, numerosam prolem alendam, & modicos reditus habeat? Si enim
his

his casibus ille justam causam *differendæ* restitutionis habet, rationabiliter est invitus ne occulta compensatione utaris, usque dum ad pinguiorem fortunam venerit. Ex his similibusque causis occulta compensatio non temere attentanda est, & raro habet locum propter pericula quæ secum vehere solet, non tantum pro *foro poli*: sed etiam in *foro fori*. In plerisque enim casibus Judex ita occulte compensantem juxta externas probationes furti reum condemnare potest, & etiam solet, quidquid sit, quod coram DEO forte juste compensatio illa attentata fuerit.

## §. VII.

*Unde dignoscendum sit, quod oriatur obligatio quandoque naturalis tantum, seu simplex, & quandoque mixta, scilicet naturalis & civilis?*

153. Constat jam ex *quæst. præced.* naturalem obligationem in conscientia ad faciendum vel omittendum aliquid esse duplicem, scilicet eam quæ *non stricta*, & hanc quæ *stricta*, juxta alios *strictissima* audit. Priorem obligationem a *n.* 80.) probavimus posse agnosci ex variis inadæquatis principiis & adminiculis, tum ex principio ultimo & adæquato supra asserto. Altera autem seu *stricta* obligatio naturalis, prout hæc reducitur ad justitiam commutativam, ex *quatuor* utplurimum signis discerni & inferri potest ac solet.

I.) Quoties omitto jure nat. *præceptum*, vel exerceo *prohibitum*, aut *concessum* mihi actum, unde alter detrimentum aliquod in rebus suis *temporalibus* patitur, contraho obligationem naturalem, qua adstringor ad restitutionem, vel præstandam debitam satisfactionem. Ita quippe in extrema proximi necessitate, ubi ille fame afflictus mori deberet, jure nat. teneor ipsi succurrere de bonis meis propriæ sustentationi superfluis, præsertim si vita illius modico succursu meo, v.g. panis, alimentorumque minoris pretii largitione commode sustentari possit, quod si id culpabiliter omitto *prævidens* secuturam inde mortem famelici, & hic moriatur; juxta dicenda inferius *Sect.* 2. *cap.* 4. *Art.* 3. obligor in conscientia heredibus tum ad restitutionem *accelerati* funeris expensarum, si jam suis sumptibus sepe-

fierunt, tum ad faciendos eos indemnes, quantum eorum interest non habere jacturam patris, vel mariti &c. qui labore suo aut officio eos sustentaret, per ea, quæ diximus *n.* 150. ) Omissio enim actus illius jure nat. præcepti fuit causa mortis proximi mei, eaque sufficienter fuit prævisa illo casu, quando redeunte primæva bonorum, saltem quo *ad usum* communione, ille acquisivit jus strictum in usum mei panis, quo vitam conservare posset, obligor igitur in conscientia ad damna illa reparanda, perinde ac si illum occidissem. *Item*. Exerceo actum *furti*, vel *incendiaratus*, domum alterius malitiose igni succendendo &c. cum hi actus sint jure nat. *prohibiti*, ex quibus proximus meus damnum patitur: obligor ad satisfactionem. *Demum*, accipio mutuum a proximo, ex contractu locati-conducti, utor ejus servitiis &c. actus hi sunt jure nat. mihi *concessi:* sed tamen alter ex iis detrimentum in rebus suis patitur, scilicet Creditor in pecunia, *operarius* vel *famulus* in corpore & membris suis servitio meo impensis, licet enim hi membrorum non habeant dominium proprietatis; bene tamen liberam facultatem *usus*, quem locare possunt &c. Igitur obligor in conscientia de jure nat. satisfacere ad æqualitatem.

154. Dixi autem huc usque de damno proximi, quod ille patitur in rebus *temporalibus*. Quia detrimenta mere *spiritualia*; & *quasi spiritualia* non pertinent ad obligationem naturalem *strictam*, seu justitiam commutativam: sed potius ad mere legalem, seu universalem naturalem, quam *non strictam* esse justitiam constat ex præcedentibus. Damna enim *spiritualia* nullam habent proportionem cum rebus temporalibus, per quas reparari, vel compensari possent. *Quasi spiritualia* vero consistunt in solo delicto transgressionis sine damno temporali alterius, cui injuste negatum est officium jure nat. alias debitum. Nam obligationis naturalis contra justitiam commutativam *mensura est* sola *læsio juris proprietatis*, seu dominii alterius, quæ illi irrogatur per damnum in rebus ejus temporalibus, ut dicetur infra *Sect. II. c. 2. art. 4.* Quo fit, ut ille, qui scandalizat proximum, violet quidem legem nat. exercendo actum prohibitum damnosum alteri: quia tamen damnum mere spirituale est, scandalizans obligatur quidem in conscientia, per bona exempla reparare hoc damnum illius, ad aliam tamen *restitutionem temporalem* non obligatur. Prout nec Adulter ratione *adulterii*, *qua adulterium est*, in conscientia ante sententiam ad aliquid

quid obstringitur, quam ut pœnitentiam agat, licet etiam ad restitutionem obligetur interdum ex alio capite, si scilicet proles inde nata fuerit, quam Vir uxoris adulteræ suis impensis alit, putans esse suam, vel si hic in hereditate cum præjudicio *legitimorum*, vel *suorum* heredum succedat &c. tunc enim temporalium bonorum jactura intercedit. Idem est de eo, qui mihi illusit mentiendo pure *officiose* &c. &c.

155. Ex his patet, ut quis ex justitia *stricta* obligetur in conscientia ad aliquam restitutionem, non semper requiri pactum *expressum* vel *tacitum*, ut aliqui arbitrarie putant: sed potius sufficit positio vel culpabilis omissio actionis jure nat. præceptæ, prohibitæ, vel concessæ, unde alter detrimentum rerum temporalium patitur. Hinc fur obligatur ad restitutionem, licet pactum nullum cum domino rei ablatæ inierit; Maritus uxorem pauperem, & liberos ex ea susceptos: Parochiani suum Parochum curam animarum suarum exercentem: Princeps milites suos &c. tenentur jure nat. sustentare, quamvis nullum forte inierint pactum cum illis de sustentatione. Imò etiamsi illi expresse protestentur se nolle eos alere, vel pensiones aut stipendia solvere alimentorum loco, dummodo obsequia eorum libere admiserint sibi *non gratis* præstanda. Excipe, nisi forte ii quorum intercst habere alimentum, aut stipendia, his expresse renuncient, tunc enim *volenti non fiet injuria*.

156. Juxta hoc proin primum signum *an.* 153. ) explicatum, oriri potest *stricta* obligatio nat. in conscientia non tantum *immediate* ex lege nat. præcipiente, vel prohibente actum supra declaratum: sed etiam *mediate* tantum, scilicet ex lege nat. *mere concessiva*, & simul ex hypothesi nostri *consensus* in aliquam conventionem, pactum, contractum aliamve obligationem a nobis libere & sponte assumptam, ac ab altero acceptatam. Hinc quando lex positiva *expresse resistit* conventioni contrahentium irritando eam *faciendam*, atque *hoc ipso* contrahentes inhabiles reddendo ad paciscendum, tunc neque naturalis neque civilis oritur obligatio. Tale exemplum est, probabilius in Testamento profano minus solemni, *l.* 21. *c. de testam.* in Matrimonio cum impedimento dirimente, *l.* 38. *pr. ff. ad legem Jul.* & §. 3. ac §. 12. *Inst. de nupt.* Item in prodigo cui bonis interdictum est, *l.* 6. *ff. de O.* & *A.* qui neque naturaliter, nec civiliter obligatur, puta, saltem ad cau'ascivilcs. Quia si *moderate* quid

 pro

pro anima sua offerat, vel relinquat, patietur exceptionem casus hic, a Legistis illimitate, adeoque improbabiliter decisus. Causæ enim piæ *soli naturali* juri subsunt, quod hic non censetur violatum, si *moderata* liberalitas a mentis compote prodigo facta fuerit. Plura de his *Art. seqq.* ubi de Jure nat. irritante agetur.

157. II. ) Quando autem lex humana alicui conventioni neque positive assistit, neque resistit, tunc sola & nuda obligatio *naturalis tantum* nascitur propter consensum, & naturalem æquitatem. Talis obligatio de jure civili *scripto* nascebatur olim ex nudo pacto, *l.* 7. §. 4. *de pact.* quanquam hodiernis *moribus* oritur etiam civilis. Item obligatio *tantum naturalis* oritur ex contractu inter parentem & filiumfam. inito, quin oriatur *Civilis;* eo quod pater & filius de jure Civili pro indistincta & una persona habeantur, *l. fin. C. de impub.* quod obligationi naturali non obest, quamdiu hæc nullibi a jure positivo irrita redditur.

158. III. ) Quodsi lex humana expresse assistat alicui conventioni, & præterea æquitas naturalis & consensus liber adsit, tunc oritur efficax *obligatio mixta*, scilicet naturalis & civilis. Illa propter consensum liberum jure positivo non resistente præstitum: hæc propter approbationem ejusdem juris positivi, ut patet in *mutuo*, *deposito* &c.

IV. ) Si demum prædicta lex positiva alicui conventioni expresse assistit ex *præsumptione veritatis*, in qua tamen hæc veritas, ac consequenter æquitas naturalis a parte rei deficit, tunc propter assistentiam legis positivæ humanæ & ejus præsumptionem non elisam oritur obligatio *Civilis* tantum, non item etiam naturalis, nisi post sententiam, ut patet in Literarum obligatione, in non debitore per sententiam ex præsumptione veritatis condemnato, nec intra decendium appellante; item in aliis actibus procedentibus ex legibus in sola præsumptione fundatis, quæ *post sententiam in rem judicatam versam* etiam in conscientia obligant.

## §. VIII.

*An jure nat. omnia omnibus & singulis sint obligata? Et an eodem jure omnes homines sint liberi?*

159. Sensus *primi* quæsiti est, quomodo intelligendum sit illud vulgare: *Jure nat. omnia sunt communia;* quod hanc

hanc expositionem recipit; spectata prima rerum constitutione, qua res a DEO conditæ & donatæ sunt generi humano in commune ejus bonum, nihil cuipiam in particulari appropriando, spectatoque jure quod *tunc erat*, antequam divisio jure positivo ac Gentium fuisset introducta, in hoc sensu jure nat. fuerunt omnia communia, ac proin contra jus naturæ fuisset prohibere quemquam *usu* cujuscunque illarum, fieretque illi injuria eo, quod communes essent sibi cum reliquis hominibus. Quia tamen DEUS ita generi humano in commune bonum res donavit, ut nec præceperit quatenus haberent eas communes, nec prohibuerit ne eas inter se dividerent: præsertim si id temporis successio, generisque humani notabiliter multiplicati status aliquando postularet; hinc homines suadente id recta ratione dividere eas inter se potuerunt, reque ipsa diviserunt, tum ut melius administrarentur, si certos dominos haberent, tum ut etiam pax inter homines adeo jam multiplicatos facilius servaretur, quæ sane si omnia omnibus universim essent communia, servari nulla ratione posset, cum experiamur hanc ne quidem post divisionem diu subsistere, propter *meum & tuum, frigidum illud verbum*, ut ait D. Ambrosius.

Jus igitur positivum ex communi hominum tacito vel expresso beneplacito, aut ex primorum Parentum, vel NOE post diluvium statuto, aut alterius, quem sibi in Principem elegissent, efficere potuit, ut quod ante rerum divisionem esset contra jus naturale, ea facta advenienteque circumstantia ex parte objecti appropriationis rerum, juri naturæ non repugnaret. Eaque de causa post rerum divisionem licitum est cuique prohibere ab usu rei suæ quemcunque alium, qui ea extreme, aut quasi extreme non indiguerit. Quando autem redeat primæva hæc bonorum communio? est alia quæstio, cujus resolutio videri potest infra *Sect.* 2. *c.* 3. *Art.* 2.

160. Similis intellectus est illius vulgaris: *Jure naturali omnes homines sunt liberi*, l. manumissiones, ff. de J. & J. ac §. servitus, Inst. de Jure person. Nempe, spectata *præcise* prima rerum constitutione homines ita jure nat. nascituros fuisse liberos, ut servitus fuisset contra naturam, & jus naturale, atque adeo injusta. *Commissa* autem *culpa* per aliquos populos, ortoque bello justo, quo fas fuit eos interficere, non solum jure Gentium constat servitutem esse licitam, minimeque contra jus naturæ con-

cessivum, eo ipso, quod ex parte objecti ea circumstantia licitæ eorum interfectionis resultaverit: sed etiam auctoritate propria cujusque populi aut Principis, qui jus simile ad interficiendum quemcunque ex justa causa haberet, potuisse licite introduci, ut vel nomen ipsum *Servi* indicat. Dicti enim sunt servi *a servando*, quia a morte servati, ut habetur in *l. 4. ff. de stat. hom. & §. servi Inst. de jure person.*

Viderint jam Protestantici Naturalistæ, qui in sua Jurisprudentia naturali ac *cerebrina* in sola ratione fundata abstrahunt ab omni lege positiva, & Juventuti aliisque Lucubrationum suarum incautis Lectoribus inspirant principia, ut *secundum solum Jus naturæ vivant*. Si ita est? igitur divisio bonorum jure *positivo* introducta non est observanda, quia Jure nat. spectato omnia sunt communia: Regna igitur, & dominia aliorum impune occupari, & invadi possunt: alienum famulum, subditum, militem, invito domino, hero, Principe, ab ejus obsequiis & usu abstrahere, ad suaque propria emolumenta quærenda illorum industriis & obsequio uti nemo prohibetur, quia jure nat. spectato *omnes homines sunt liberi*, nemo servus, nemo famulus, operarius, nullus alteri militat &c. Respondere quidem possent Naturalistæ illi, ut passim aliqui eorum cum *Wolfio* protestantur, quod de Jure nat. scribant mere *speculative & theorice, abstrahendo a statu hypothetico naturæ*, in quo nunc vivimus sub Regibus, Principibus & legibus positivis tam Divinis, quam humanis, ac proin quid *in praxi* nunc liceat vel non, id aliunde disci debet, non ex eorum abstracta & speculativa Jurisprudentia naturali.

Verum contra eos est I.) Quod illudant Publico, & fœde decipiant Juventutem ac alios suarum Institutionum naturalium Lectores, hi enim non apprehendunt perversam hanc distinctionem: sed absolute possunt induci ad vitam ita instituendam, ac si sub nulla lege positiva viverent, sub nullo Rege, Principe, Magistratu Ecclesiastico, vel Civili, prout a suis Pseudomagistris instruuntur. II.) Subtilis & dolosa hæc distinctio non habet locum in eorum principiis, qui docent, jus naturæ quo *ad omnia præcepta & concessiones ac privilegia sua* in quovis naturæ statu etiam hypothetico esse semper idem, & immutabile, ac proin per nullam legem positivam etiam divinam restringi, limitari aut immutari *ullo modo* posse: frustra igitur dicunt eos debere aliunde discere, quid leges positivæ disponant circa naturales *hypotheticas* obliga-

gatio-

gationes, siquidem e sensu illorum jus positivum nihil prorsus circa naturalis libertatis limitationem statuere potest. III. ) Quia Jurisprudentia naturalis est scientia *practice directiva* morum secundum rectam rationem: Porro cum illi scribant Jurisprudentiam hanc *mere speculativam, abstractam*, & pro statu pure possibili, in quo homines sine lege Divina & humana positiva, sine Superiore & Judice viverent, non scribunt Jurisprudentiam naturalem *practice directivam* morum, multo minus directivam *secundum rectam rationem*, siquidem abstrahunt a jure positivo. Imo manifeste excludunt legem Divinam & humanam *cum jure nat. connexam*, sine qua morum rectitudo in hac providentia fieri nequit: nugantur igitur, & nugando in legem Divinam blasphemant, in Principes autem ac Magistratus, eorumque leges injurii sunt, Juventutem sciendi avidam, ac alios Lectores incautos in materia morum & salutis æternæ perniciose decipiunt.

## A R T I C U L U S II.

*De effectu legis naturalis irritantis.*

### S U M M A R I U M.

161. *Lex nat. non solum probibet: sed etiam irritat aliquos actus.*
162. &c. *Ex tribus regulis discernendi actum irritum jure nat.* prima *est, si desit* potestas, voluntas, *aut* materiæ capacitas.
164. *Ratio* primæ *regulæ affertur.*
165. *Regula* secunda *est: si actus probibetur* ob turpitudinem perpetuam:
166. *Declaratur exemplis.*
167. *Ratio* secundæ *regulæ statuitur.*
168. *Regula* tertia *dignoscendi actus irriti.*
169. *Ratio hujus regulæ, cum solutione instantiæ:*

### §. I.

***An lex nat. non solum prohibeat; sed etiam irritet aliquos actus?***

161. AFfirmativa hujus quæsiti decisio certa est ex innumeris instantiis. Ita enim I. ) Matrimonium inter

ter personas naturaliter inhabiles, v. g. ob impotentiam perpetuam antecedentem, & nullis remediis auferibilem, hoc jure nullum & irritum est. II.) Quod fit etiam in Matrimonio contracto inter consanguineos saltem primi gradus lineæ rectæ. III.) Imo & in eo, quod contrahitur vi, metu gravi injuste incusso, errore substantiali circa personam &c. IV.) Sicut & contractus ex dolo circa substantiam rei versante celebratus est irritus. V.) Non minus ac contractus usurarius, sive per eum usuræ promissæ tantum, sive jam solutæ fœneratori fuerint, nullum retinendi vel accipiendi jus tribuit &c. Atque hi aliique actus irriti sunt etiam in hypothesi, quod *aliquis* consensus utriusque, vel alterutrius partis intercesserit. Quia consensus privati prævalere nequit contra jus Superioris, qualis est DEUS naturæ humanæ Auctor *necessario* prohibens, & ob turpitudinem perpetuam irritans actum, ut liquet ex *n.* 41.) Tanto magis id procedit, si alterutrius vel utriusque contrahentis *consensus* in contractum defuerit, tunc enim actus cum non sit humanus, nequit inducere obligationem. Et quamvis hæc certa sint, nihilominus quæri hic potest, unde proveniat actuum adductorum aliorumque similium naturalis irritatio, siquidem de illa, excepto communi Eruditorum sensu, ex nullo certo signo nobis constare potest? Verum dubio huic satisfaciet sequentis quæsiti decisio.

## §. II.

### *Unde discernenda sit lex nat. irritans a mere prohibente, & actus irritus a pure prohibito?*

162. CUm ad valorem omnis actus iure nat. tria essentialiter requirantur, scilicet *Potestas*, *voluntas & materiæ capacitas*, hinc ex tribus regulis ad discernendum actum jure nat. irritum a pure prohibito idoneis: *Prima* est, quæ indicat actum jure nat. esse nullum, si circa exercitium illius aliquod ex tribus requisitis illis defuerit. Scilicet omnis actus jure nat. irritus est, si exerceatur a persona non habente *moralem potestatem* ad eum exercendum, quidquid sit, quod *physice* eum exercere possit: aut si desit *sufficiens voluntas ejus*, qui actum exercet: vel demum si ille exerceatur circa *materiam incapacem*. Singula hæc in exemplis pateant.

Ita

Ita enim donatio rei alienæ rationabiliter invito domino jure hoc nullius momenti est; licet enim physice possit quis eam sicut propriam facere, ita & alteri donare, tamen cum *moralis potestas* desit, nihil efficiet conatus hic. Idem est in Oeconomo, ac Administratore rei alienæ, qui cum a Domino acceperit potestatem mere gubernativam & administratoriam, ut res custodiat, & conservet, si eas contra Heri sui voluntatem alienet, nihil validi efficiet. Ob eundem potestatis defectum non valet hoc jure Matrimonium contractum cum persona consanguinea in linea recta v. g. patris cum sua filia, nihil juvante physica potentia. Quamvis enim his & similibus casibus adsit voluntas consentientium, adsit potestas & materiæ capacitas physica, hæc tamen non sufficiunt obstante defectu *moralis potestatis*, quam in donatione & alienatione rei alienæ impedit defectus proprietatis, aut Mandati a rei domino facti ad donandum & alienandum: Matrimonio autem patris cum filia obstat naturalis turpitudo, quæ resultaret ex conjunctione principii generantis cum suo principiato, & inde ortus etiam idem defectus moralis potestatis. Irriti quoque sunt hoc jure ex *defectu potestatis* omnes actus, qui exercentur a persona expresse vel tacite per se ipsam, aut a natura, vel per legem positivam facta inhabili ad aliquem eorum celebrandum; vel quando ei permittitur quidem ab eadem lege actus sive contractus celebratio; sed non nisi sub certa forma, vel sollemnitate substantiali a jure præscripta, qua deficiente lex positiva manifeste non vult eum valere. Quo casu lex nat. utpote mere *permissiva* minime eum pro ullo foro reddit validum. Hæc enim in tantum non nisi eum celebrare permisit, in quantum foret conformis legi positivæ justæ, cui nos obedire jubet.

Inde fit, ut Matrimonium cum impedimento dirimente Juris etiam humani, sive Ecclesiastici, sive Civilis (qualia recensentur quoque in *l.* 38. *pr. ff. ad l. Jul. de adulter.* ac §. 3. & §. 12. *Inst. de nupt.* tum in *Ordinat. Carol. Art.* 117.) jure quoque naturali non subsistant pro foro etiam animæ; pariter ac Testamentum, contractus, promissiones, donationes a Religioso professo factæ privata auctoritate; non minus ac omnes actus ultimarum voluntatum, & contractuum, item Adoptionis, sententiæ judicialis, Rescripti impetrati, aliorumque negotiorum etiam a personis rerum suarum dominium alias retinentibus, vel officium quodcun-

que

que actu gerentibus celebrati; si forma prædicta, vel conditio, aut sollemnitas substantialis non fuerit observata, ut liquet ex *n.* 41. *& seq.*)

163. Ob defectum quoque *voluntatis* jure nat. irriti sunt omnes actus, in quorum celebrationem vel nuncupationem deest sufficiens consensus personæ, vel personarum, a qua, vel quibus illi dicuntur celebrati. Atque ita expressus dissensus, vis, dolus, error substantialis cum tollant *requisitum* consensum, reddunt omnem actum invalidum, cui causam dederunt.

164. Demum ex defectu *capacitatis materiæ*, eodem jure nat. irriti sunt actus qui exercentur circa objectum inhabile, seu circa materiam ineptam. Qualis esset eo casu, quo contraheretur Matrimonium cum persona perpetuo impotente, & absolute inhabili ad generationem humanam; tunc enim nil juvat potestas & consensus physice præstitus.

*Ratio* primæ hujus regulæ est, quia dum adest defectus *potestatis* aut *voluntatis* moraliter talis, seu legibus conformis & legalis in agente, vel *incapacitas materiæ* ac objecti, tunc deest aliquod principium substantiale, sine quo actus valide, & plerumque etiam licite celebrari nequit.

165. *Altera* regula est: Quando actus prohibetur *propter turpitudinem* in materia ejus repertam, tunc etiam jure nat. est irritus; dummodo ea *turpitudo duret* in ipso effectu, seu ut habeat causam perpetuam. Quod ita effert JCtus Paulus in *l. si stipuletur* 35. §. 1. *ff. de v. O.* dicens. *Quod leges prohibent, si perpetuam causam servaturum est, cessat obligatio: veluti si sororem nupturam sibi aliquis stipuletur*. Talis quippe promissio erit irrita (juxta plerosque) ipso jure naturæ. Ex quo textu resolvitur famosa illa quæstio, an contractus sub turpi conditione cum promissione mercedis initus, v.g. de occidendo inimico tuo, obliget jure nat. aut alio ad dandam mercedem promissam, saltem post homicidii crimen jam perpetratum? Ad quod videtur respondendum: cum actus homicidii jam perpetrati non amplius veniat in pactum, & in mercedis præstatione, ubi hæc post crimen perpetratum solvitur, non amplius *duret turpitudo*, solutionem hanc jure nat. probabilius adhuc præstandam esse, ut dicetur *Sect.* 2. *c.* 4. *art.* 4. §. 4.

166. Asserta regula secunda iterum declaratur exemplo, tum eo quod adductus textus exhibet de fratre & sorore

nu-

nuptias stipulantibus, tum vel maxime de consanguineis *lineæ rectæ* inter descendentes, qui licet polleant potestate physica in ordine ad tradenda vicissim alteri sua corpora per nuptias, neque deficiunt in voluntate, quantum est ex parte contrahentium: tamen quia illa naturalis turpitudo, quæ facit tale matrimonium prohibitum, perpetuo durat, quamdiu durat matrimonium ipsum & ejus usus, ideo etiam duratio ipsa prohibita & irrita est. Non enim posset durare valor actus, nisi *moralis* turpitudo ejus duret. Pariter cum usuræ non tantum in acceptione: sed etiam in retentione eandem prohibendi causam retineant, scilicet inæqualitatem inter datum & acceptum, ac nullitatem tituli (mutui videlicet ad pariendum lucrum sterilis ac infæcundi) tum locupletationem cum manifesto alterius detrimento &c. illæ non tantum invalide promittuntur: sed etiam invalide solvuntur, ac restitutioni subjacent, non minus ac *metu injusto* res extortæ, ad quas alioqui metum passus nullo jure obligabatur.

167. *Ratio* secunda hujus regulæ est. Quia si valor actus ob suam turpitudinem perpetuam est contra jus nat. absolute nolentis eum ullo modo existere & durare: ille nequit pro ullo tempore validus esse, cum jus Superioris ei omni ex parte resistat: Porro in illo casu quando actus prohibetur ob turpitudinem in materia repertam, eamque perpetuo durantem valor actus sua turpitudine perpetua est contra jus nat. quod turpitudinem hanc perpetuo duraturam & inauferibilem absolute non tolerat: igitur non potest talis valor subsistere: consequenter est irritus talis actus. Hinc autem patet differentia inter hanc & præcedentem regulam; nam in priori actus irritatur & quandoque prohibetur, quia malus est ex defectu *potestatis* vel *voluntatis*, aut *capacitatis*, *materiæ*, in hac vero altera actus directe fit nullus ratione intrinsecæ *malitiæ perpetuæ*, licet potestas absoluta, & positivus consensus circa materiam alioqui ex se capacem non defuerit.

168. *Tertia* demum regula est: Quando aliquis actus jure naturæ ita prohibetur, ut nec prohibeatur ob turpitudinem *perpetuam intrinsecam*, neque ob defectum *potestatis moralis*, *voluntatis*, aut *capacitatis materiæ*, tanquam principiorum intrinsecorum cujusvis actus: sed ex alio motivo prohibitio illa naturalis oritur, tunc actus hujusmodi solum illicite, non item invalide celebratur. Hinc Matrimonium valide contrahitur cum voto castitatis simplici, quia hoc non

an-

aufert: sed *ligat* tantummodo *potestatem in corpus proprium*, potestque in matrimonio post votum contracto honestus esse actus *reddendo*, quamvis *non etiam petendo* debitum: potest igitur esse validum jure nat. Item *secunda venditio* post primam sine traditione factam, si res vendita secundo emptori tradatur, valet, quia penes venditorem tali casu *remansit dominium*, adeoque *etiam potestas* iterum vendendi & transferendi, per textum in *C. 1. de sponf. duor.* ac *l. 15. C. de R. V.* adeoque traditione facta secundus Emptor in re empta ac ita tradita justum titulum habet, nil obstante, quod venditor ille rem uni venditam tam naturali, quam positivo jure prohibeatur vendere alteri, priore invito. Quia utraque hæc prohibitio est tantum *quoad modum vendendi*, scilicet ratione violatæ fidei, ac proin non ex alio motivo; neque ob turpitudinem intrinsecam *perpetuam*; hujus quippe causa seu duratio mutatur per rei traditionem, ita ut hac secuta desinat jam naturalis turpitudo actus, quæ fuit in venditione altera, ac proin lex nat. hoc casu *extrinsece mutata est* ob supervenientem novam circumstantiam. Atque adeo licet venditor non habuerit *potestatem* a jure nat. permissam alteri *licite*: habet tamen adhuc *valide* eam vendendi, & tradendi. Quia mansit adhuc jure nat. consequenter & positivo *obligatus ad satisfaciendum* primo emptori, quantum ejus interest non habere rem traditam, quæ sibi prius fuit vendita. Fit igitur satis æquitati naturali, qualem jus hoc requirit, & explicant adducti textus Juris positivi. Quæ tamen explicatio ad alios diversos casus, ubi aut Jus nat. aut positivum absolute & clare resistit valori actus aliter attentati & celebrati, non est trahenda.

169. *Ratio* tertiæ hujus regulæ est: Quia supposita *potestate* agentis, *voluntate* ejus, & absentia turpitudinis perpetuæ, habentur omnia requisita ad substantiam actus, quantumvis ex alio motivo prohibiti. Talis igitur actus licet prohibitus & illicitus sit, adhuc erit validus jure nat. eo præsertim casu, quo jus positivum circa eum nil disponit irritando illum ob defectum formæ, conditionis, vel sollemnitatis substantialis, a se specialiter requisitæ.

Si respondeas capere te non posse, qui fiat, quod lex nat. v. g. in Matrimonio contracto ab eo, qui ligatus est voto simplici castitatis; & in venditione altera &c. prohibeat actum, non tamen eum irritet; cum alias jus hoc neque in ratione liciti, neque validi quidpiam patiatur, quod turpe est?

est? Ad hoc intelligendum plurimum conducet, si perpendas, quod in dictis & similibus casibus non sit directa, neque absoluta Juris nat. prohibitio, quæ actum *in se ipso* immediate ac directe afficiat: sed solum indirecta ac mediata, quatenus provenit ex lege nat. generali, quæ jubet promissionem quamlibet, adeoque & votum, ac primam venditionem, seu fidem prius valide datam & acceptatam servandam esse; ac proin *nonnisi modum* celebrandi actum, non vero actum ipsum in se, & substantiam ejus prohibet: Porro quod actus quo ad solum tendendi modum jure hoc prohibitus, in se & sua substantia valeat, omni dubio caret, uti patet in promissione eleemosynæ pauperi eam acceptanti facta ob *vanam gloriam*, quæ tamen permissio licet sub hoc turpi vanitatis ambitu prohibita sit Jure nat. non tamen ideo invalida, quia hæc turpitudo solum modum, non substantiam promissionis afficit, cum in largitione ac acceptione talis eleemosynæ nulla duret turpitudo, tanto minus perpetua.

## ARTICULUS III.

*De effectu ignorantiæ & erroris in lege natur.*

### SUMMARIUM.

170. *In nullo adulto datur plena ignorantia J. N.*
171. *In multos admittenda est non plena.*
172. *Legem ignorans illa non obligatur in actu secundo.*
173. *Ex advertentia & libertate infertur moralitas actus.*
174. *Ignorantia vincibilis non excusat a culpa.*
175. *An detur obligatio agendi juxta conscientiam erroneam?*
176. *Si error sit invincibilis, datur obligatio juxta conscientiam erroneam agendi.*
177. *Solvitur instantia.*
178. *Asseritur & probatur dari legem naturalem secundariam.*

### §. I.

*An detur inculpabilis ignorantia legis naturalis?*

170. I.) IN nullo adulto rationis compote datur *plena* ignorantia *totius* legis nat. ita ut invincibiliter

ter saltem ad longum tempus ignoret prima generalia principia Juris naturæ, conclusionesque, quæ ex illis clare & immediate sequuntur. *Ratio* est; quia nemo est rationis usu præditus qui saltem hæc principia moralia ignoret: *Declina a malo, & fac bonum: Malum fugiendum, bonum prosequendum: Quod tibi non vis, alteri ne feceris* &c. Porro principia hæc sunt generalia, conclusiones vero ex illis clare & immediate deductæ sunt v. g. sequentes: igitur *non est blasphemandum: furandum: de DEO bene est sentiendum* &c. Universalissima enim illa moralia principia nullo discursu opus habent: sed per se nota sunt intellectui *cogitanti*, pariter ac metaphysica: *omne est vel non est, implicat idem esse & non esse*. Cum igitur hæc per se sint manifesta, nec illa moralia saltem ad *longum tempus* cum prædictis conclusionibus clare & immediate fluentibus ignorari possunt. Alioqui DEUS melius prospexisset *intellectui* per principia metaphysica in ordine ad cognoscendam naturaliter veritatem, quam *voluntati* nostræ ad dirigendam naturalem ac necessariam actuum honestatem; Imo hanc frustra lege nat. præcepisset sectandam, si negasset media eidem consequendæ idonea. Hinc *D. Hieron.* in Epist. ad Aglas. qu. 8. ait, *Nullus hominum est, qui hanc legem nesciat, idcirco justum judicium DEI est scribentis in corde humani generis: quod tibi fieri nolueris, alteri ne feceris.*

171. II.) In multis tamen admittenda est invincibilis *non plena* ignorantia legis nat. quoad conclusiones, quæ ex principiis illis moralibus universalissimis tantum *mediate* sequuntur, & difficilius penetrari possunt. *Ratio* est: Quia constat ex dictis *n.* 116.) quod eruditissimi Viri circa legem nat. ex invincibili ignorantia falsum docuerint, affirmando jure hoc licitum esse mendacium, perjurium, fornicationem, & similia alia. Imo quoties duæ opiniones sibi contradictorie oppositæ etiam hodiedum defenduntur a DD. necessario una ex illis debet esse falsa *in se* & coram DEO: quin tamen semper delinquant eas tuendo, excusante illos invincibili ignorantia. Ut proin recte Innoc. XI. Romæ Anno 1685. d. 8. Aug. damnarit hanc Thesin a Lovaniens. T. T. defensam; *Nullam admittimus ignorantiam invincibilem Juris naturalis in ullo homine, dum hic & nunc contra jus naturæ agit.* Hanc propositionem refert *Lacroix* Lib. 1. de legibus, n. 726. & *Schwarz* Inst. J. N. & G. L. 1. part. 1. fol. maj. 120.

172. Sequitur ex his; Legem DEI æternam, atque adeo etiam naturalem invincibiliter ignorantes eadem non obligari *proxime* & in actu *secundo*, sed solum *remote* & in actu *primo*, quod indicat *Silvester* Ord. Præd. Theologus & Sacri Palatii Magister verb. *Lex*, q. 8. *Angel. n.* 12. *&* 14. &c. Imo clare id desumitur ex communi Jurisperitorum sententia fundata in Cap. 1. de Concess. Præb. in 6. *Lex seu constitutio & mandatum nullos adstringunt, nisi postquam ad notitiam pervenerint eorundem &c.*

## §. II.

### *Quando ignorantia & error dicendus sit vincibilis ut imputetur ad culpam?*

173. Regula universalis est, quod tanta sit imputabilitas actus ad culpam vel obligationem, quanta ejus *moralitas*, seu *advertentia & libertas*. Nam moralitas actus humani nil aliud est, quam *operatio libera ex cognitione finis facta cum advertentia ad legem*. Si igitur cognitio vel consensus est *tenuis*, aut semiplenus, ut in semidormiente accidere potest, ei proportionata erit imputabilitas, ac proin & culpa, *levis* scilicet ac non plena, seu non *lata* & gravis. Hinc sequitur, quod si nulla saltem confusa specialis notitia, nec ulla ratio dubitandi sive in genere, sive in particulari occurrit de eo, quod ignoratur, vel circa quod erratur, talem ignorantiam & errorem dici debere *invincibilem*, & inculpabilem, D. Th. *de verit. p.* 15. *a.* 4. *ad* 10. Hujusmodi enim ignorantia & error non est voluntarius. Nam voluntarium procedit ex cognitione; si igitur malitia nullo modo fuit præcognita, ergo nec fuit volita. Neque enim ulla humana sagacitas superare potest actualem ignorantiam, vel inanimadvertentiam malitiæ objecti, si nulla prorsus de his incidit cogitatio.

174. Contra vero ignorantia & error *vincibilis*, adeoque ad culpam imputabilis erit I.) si alicui inciderit cogitatio prudens, ne forte objectum sit malum & operatio inhonesta, ipse autem sufficientem non adhibeat diligentiam in inquirenda veritate, actumque exerceat, hac sola contentus resolutione, quod nesciat quid hic & nunc circa licentiam ejus statuendum sit; tunc enim *affectata* est *ignorantia & error*, qui deponi potuit & debuit. Talis quippe *noluit intelligere*

gere

*gere ut bene ageret*. Quid autem dicendum sit, si omnibus rite perpensis adhuc dubitet? decisum est *a n.64.)* Hic autem id notandum venit, quod error, ac quæcunque etiam inculpabilis ignorantia licet excuset a culpa pro *foro interno*, non semper tamen etiam pro *externo*, eo quod in plerisque casibus jus positivum & Judex præsumat scientiam non ignorantiam, quamdiu hæc non probatur. Nihilominus nulla ignorantia excusat irritationem actus, cum non suppleat defectum sollemnitatis, vel conditionis substantialis ad ejus valorem requisitæ, ut patet in eo, qui contraheret matrimonium cum persona naturaliter inhabili, ignorans eam esse talem, vel putans id nullo jure obesse valori. Idem est de ignorantia impedimenti jure humano introducti: &c.

Dein II.) vincibilis ignorantia & error est, ac imputatur ad culpam, si actus saltem *indirecte* volitus sit in *sua causa*. Ita v. g. ille, qui sciens se non satis versatum in jure, suscipit officium Advocati, Judicis, aut Consulentis, causasque intricatas assumit decidendas, aut defendendas, hic si per suam imperitiam damnum inferat proximo, nequit justificari prætextu ignorantiæ, vel erroris. Quia hi effectus sunt indirecte voliti in sua causa, susceptione scil. officii cum imperitia Juris. Neque eum tutum in conscientia facit gradus Licentiæ, vel Doctoratus in U. J. quia hic Licentiatum quidem, vel Doctorem, non autem etiam doctum facit. Quod ipsum locum habet in Medico, Chyrurgo imperfecto &c.

## §. III.

*An detur naturalis obligatio agendi juxta conscientiam invincibiliter ignorantem, vel erroneam? Et an potius adsit obligatio non agendi contra illam? ac in qua lege fundetur?*

175. Binæ hac in parte reperiuntur Theologorum & Naturalistarum opiniones. *Prima* docet, conscientiam etiam invincibiliter ignorantem vel errantem non habere vim nos *obligandi*: sed tantum *ligandi*; ait enim obligari & ligari plurimum inter se differre. Nam quando conscientia *obligat*, non solum peccatur, si contra eam agitur; sed etiam juxta ejus præceptum facere nos oportet. At vero quando conscientia *ligat*, & non obligat, tunc si contra eam

eam agatur, peccatum quidem admittitur, non tamen secundum eam agere debemus, cum nulla lex id præcipiat: cuilibet proin illam relinquere licet, & non operari, quod operandum erronee dictat. *Altera* tenet conscientiam errantem non solum ligare: sed etiam obligare.

Verum alii melius distinguendo respondent: Conscientiam errantem, aut ex errore vitioso seu vincibili, aut ex justo id est invincibili proficisci. Si ex *vincibili* oriatur, tunc conscientia errans non habet vim obligandi: sed tantum ligandi. Et in hoc casu non est idem obligari, quod ligari. Quia si conscientia erret, & error sit *vincibilis*, hoc est *mala fide* & cum aliqua culpa susceptus, quamdiu ea permanet, contra eam absque peccato agere non possumus, & proinde quasi obstricti & ligati detinemur, ne contra eam faciamus, nec tamen eam sequi debemus, quia cum ex errore *vincibili* adeoque culpabili proveniat, vim obligandi non habet, quoniam error est voluntarius, siquidem est vincibilis, & idcirco eum *deponere* & abjicere nos oportet. Sive igitur contra hujusmodi conscientiam errantem operemur, sive eam sequamur, peccamus. Nec tamen sequitur ut *necessario* & simpliciter peccemus; quia permissum nobis est, imo obligamur eam conscientiam deponere, ac proin absolute etiam fas est contra eam non agere, si quidem relinqui & deponi tanquam erronea possit. Atque in hujusmodi casu verum est, quod ait prima opinio: conscientiam errantem ligare, non obligare. Verum illa supponit re ipsa *primo*, quod talis error non sit invincibilis, de quo solo quæstio præsens procedit, siquidem deponi atque adeo vinci potest. *Secundo*, si autem procedere deberet etiam pro casu erroris & ignorantiæ invincibilis, opinio hæc tunc esset vera, quando quis practice operaretur, dum hic & nunc *reflexe* agnoscit se invincibiliter errare, vel ignorare, tunc enim siquidem hæc cogitatio practica sibi incidit, ignorantia & error ipsius, quem dicit esse invincibilem, omnino est vincibilis, quia reducitur ad dubium practice practicum, quo interveniente tenetur illud deponere juxta *n.65.*) vel si deponere non possit; ex quo sufficientem diligentiam in indaganda veritate non adhibuit, tenetur facere quod tutius est.

176. Quodsi vero conscientia *vere invincibiliter* erret, & proin (ut jura loquuntur) *error justus* seu *probabilis* sit, hoc est bona fide ac sine sua culpa contractus, tunc habet vim ne-

nedum *ligandi*: sed etiam *obligandi*, ita ut anima nostra peccet, quotiescunque contra conscientiam invincibiliter & sine sua culpa erroneam præcipientem vel prohibentem agit, ita docente D. Th. 1. 2. *q.* 19. *ar.* 5. Richar. *in* 2. *d.* 39. *a.* 2. *q.* 3. Joan. Gerson. *p.* 2. *operum de natur. & qualitat. conscient.* Ratio est; quia cum objectum voluntatis sit *bonum ac malum* non quomodocumque: sed *prout est in apprehensione* rationis, ideo si ratio invincibiliter ac sine ulla nostra culpa apprehendat aliquid & voluntati proponat tanquam bonum morale necessarium & præceptum, licet reipsa bonum non sit; sed a parte rei malum, voluntas illud respuendo consentit in transgressionem legis. Item, si ratio invincibiliter & sine nostra culpa apprehendat aliquid, ac voluntati proponat tanquam moraliter malum & prohibitum, licet reipsa malum non sit: sed bonum & honestum; voluntas illud amplectendo consentit in objectum malum & prohibitum, & sic anima nostra peccat. Quo fit ut v. g. Miles justo bello deliberate occidens Reipublicæ hostem, quem erronee putavit Civem, mero casu hostibus permixtum, committat vere injustum coram DEO homicidium, egit enim contra dictamen practicum conscientiæ, quo judicavit illum non esse publicum hostem; sed civem, ideoque morte minime dignum. Quia *omne quod non est ex fide*, id est, quod non fit secundum: sed contra dictamen conscientiæ, *peccatum est*, Ad Rom. c. 14.

177. Si opponas: conscientia invincibiliter errans in re morali dictans, v. g. esse hic & nunc omnino præceptum mendacium, ut liberem proximum innocentem a morte, est contraria legi Divinæ: Atqui tenemur legem Divinam sequi: igitur non possumus a DEO obligari ad sequendam conscientiam invincibiliter erroneam. Contra erit, quod conscientia invincibiliter ac sine nostra culpa errans non sit contraria *formaliter* legi Divinæ. Quia lex hæc cui videtur contrariari, tunc proxime & in actu *secundo* non obligat, cum non sit per dictamen conscientiæ practicum intimata, & judicium intellectus nihil hic & nunc novit de illa, quod necessarium erat ad obligationem inducendam. Hoc igitur casu ex prædicto errore operans se conformat legi divinæ ac naturali *secundariæ*, jubenti ut nihil agatur contra conscientiam, qua lege DEUS v. g. ad mendacium, quod quis invincibiliter putat esse præceptum ad proximum liberandum ab injusta oppressione, non obligat *per se*: sed mere *per accidens*,

*cidens*, supposito scilicet invincibili ac justo errore, & quando peccatum *materiale* est unicum medium ad vitandum *formale*, quale esset, si quis contra invincibiliter errantis conscientiæ dictamen ageret. Sed oritur quæstio mox examinanda:

## §. IV.

### *Quid rei sit lex naturalis* secundaria, *de qua nunc primum mentio facta est?*

178. Sciendum est, duplicem dari legem Divinam, ac consequenter naturalem, circa quam versari possunt dictamina conscientiæ. Una est *Antecedens*, seu *primaria*, qua DEUS *per se* & *directe* præcipit vel prohibet *obligando* tunc dum nullus intervenit error, ignorantia, vel defectus cognitionis aut deliberationis. Altera est *Consequens*, *secundaria*, per *accidens* obligans, ut scholæ loquuntur, *reflexa*, qua DEUS præcipit vel prohibet ex suppositione alicujus ignorantiæ, vel erroris invincibilis, oblivionis inculpabilis &c. Et sicut certum est dari in DEO voluntatem antecedentem & consequentem teste D. Thoma *p.* 1. *q.* 19. *ar.* 6. ita solida ratio nulla afferri potest, cur prædicta Lex *antecedens* & *consequens* sit neganda. Lex enim naturalis nil aliud est, quam voluntas Divina, seu imperium ejus necessario aliquid prohibens, vel præcipiens, juxta *n.* 14.)

An autem hæc lex dicenda sit *stricte* an latius *reflexa*? est quæstio scholastica de voce, quæ rei substantiam non mutat. Nam permisso quod non detur ulla lex nat. ac divina, quæ *stricte* reflexa dicatur: sufficit quod detur voluntas DEI *consequenter* ac *secundario* aliquid permittens, vel ad illud obligans, adeoque hoc ipso dabitur & lex hujusmodi *antecedens* & *consequens*, seu *primaria* & *secundaria*, qua assistente fit, ut licet judicium *directum* invincibiliter erret circa legem *antecedentem*, quæ *per se* prohibet actionem pro eo casu, quando malitiam ejus agnoscimus: potest nihilominus ex suppositione invincibilis ignorantiæ vel erroris inculpabilis judicium *reflexum* se conformare *legi consequenti*, vi cujus DEUS permittit talem actionem. Imo ut jam deductum est, etiam præcipit ex hypothesi insuperabilis erroris. Utrum vero etiam mereatur quis apud DEUM per talem actionem legi *antecedenti* contrariam, conformem *con-*

 *sequen-*

*sequenti?* Affirmant TT. qui tamen excipiunt actus supernaturales *Sacramentales* a certa forma vel materia dependentes, vel *necessitate medii* requisitos ad salutem, ut est v. g. *Baptismus*, cujus omissionem nullus error & ignorantia salutarem efficere possunt &c. Nos ab ista quæstione hac vice abstrahimus, cum ad legem nat. observandam sufficiat, si non peccemus in circumstantiis invincibilis ignorantiæ & erroris supra explicati.

## ARTICULUS IV.

*De effectu legis nat. circa actus dolo, vi, metu extortos, & ex vehementia appetitus concupiscibilis vel irascibilis exercitos.*

## SUMMARIUM.

179. *Doli definitio; qui si circa substantiam fuerit, irritat actum.*
180. &c. *Dolus circa qualitates, alius est qui* dat causam contractui; *alius qui* incidens *dicitur: utriusque effectus explicatur.*
182. *Si mens alligata fuerit, ut Contrahens aliter non contraxisset: dolus quicunque fuerit, reddit actum jure nat. nullum.*
183. *Unde dignoscendum sit, quod dolus versetur circa substantiam, vel accidentia?*
184. *Exponitur effectus doli* reipsa, *& ex* proposito.
185. &c. *Exponuntur actus metu extorti, qui Jure nat. valent.*
189. &c. *Exponuntur actus metu extorti Jure nat. invalidi, si fuerint alias* indebiti, *metum patientem* gravantes: *Secus: si illi* favorabiles, *quales forent, si nullam obligationem in metum passo inducerent, uti esset: si quis coactus sit ad acceptandam donationem v. g.* 100. *aureorum* &c.
196. &c. *Solvuntur contraria: & adducuntur exempla validorum & invalidorum actuum metu extortorum.*
200. &c. *Quis sensus:* coacta voluntas est adhuc voluntas?
202. &c. *An concupiscentia & ira excusent actum contra Jus natur.?*
204. *Quid velit axioma:* Primi impetus non sunt in nostra potestate?

§. I.

## §. I.

*Quid jure nat. liceat aut valeat, si dolo & fraude fiat?*

179. Dolus alius est bonus, alius malus. Dolus *bonus* est solertia quædam laudabilis, qua citra ullius læsionem aliquid machinamur in nostrum *vel* alterius commodum. De tali dolo gloriatur Apostolus 2. ad Cor. 12. *Cum essem astutus dolo vos cepi*. Atque hac ratione excusantur ab omni iniquitate stratagemata militaria ex parte eorum attentata, qui justam causam belli habent. Dolus *malus* est *omnis calliditas, fallacia, machinatio ad circumveniendum, fallendum, decipiendumve alterum adhibita* l. dolum ff. de dolo mal. Differt ab errore & ignorantia, quod dolus contineat fallaciam, secus ignorantia & error invincibilis. Ex his autem sequentes fluunt resolutiones.

I.) Quando alteri contrahentium dolus infertur versans circa *substantiam rei*, contractus Jure nat. est irritus pro omni foro. Exempli causa: Si emas bona fide aurichalcum pro auro, vel vitrum pro gemma *dolo* alterius deceptus, contractu non teneris. Quia tunc deest consensus substantialis ad contractum requisitus. Emens enim intendit emere aurum, vel gemmam, non vero aurichalcum aut vitrum, sine consensu autem contractus est nullus jure naturæ. Nec obstat, quod dolo alterius inductus hic & nunc videaris consentire. Nam consensus si quis intervenit, procedit ex errore per dolum alterius causato, & quidem circa ipsam rei substantiam: porro nullus est errantis consensus, *n.* 173.) & ita naturalem legem exponunt Constantinus, & Maximianus in *l. 9. C. de J. & F. J.*

180. II.) Si dolus versetur solum circa qualitates rei, seu quasdam extrinsecas circumstantias contractus: tunc distinguendum est, an dolus *dederit causam* contractui, vel actui (v. g. dolosis suasionibus ad contrahendum inductus es, alioqui non contracturus) vel non dederit causam eidem, sed *solum incidit* in contractum, prout fieret, si quis alias *contracturus esset*, dolo tamen alterius in pretio solum, vel alia ratione decipiatur. Et horum utrumque adhuc bifariam potest contingere, quatenus scilicet dolus ejusmodi aut causatur ab *altera parte* cum qua quis contrahit; aut ab aliquo *tertio*. Proinde ulterius agendo speciatim de singulis, diversa sequetur resolutio. Et quidem

III.) Si dolus *non det causam* contractui: sed solum *incidat* in eum, contractus jure nat. est validus, adeo ut etiam per exceptionem doli ad petitionem decepti nequeant *rescindi*, licet taliter decepto in foro externo competat actio contra decipientem ut solvat, quantum sua interest dolum adhibitum non fuisse, & decipiens etiam ante omnem judicialem conventionem teneatur in conscientia ad compensationem. *Ratio*, cur valeat contractus ille, est hæc, quia hujusmodi dolus non dedit causam contractui, imo eo cognito adhuc quis contracturus fuisset, atque adeo non defuit consensus sufficiens: non est igitur solidum fundamentum cur cognita rei veritate contractus ad petitionem partis rescindi debeat, *si ita decipiens solvat decepto*, quanti ejus interest dolum adhibitum non fuisse. Id enim solum hoc casu jus nat. exigit ut deceptus indemnis fiat. Atque ita naturalem hanc obligationem interpretatur *L. Julianus §. si venditor, ff. de Action. empt.* ubi dolo rem pluris vendens tenetur actione ex empto; non ad rescissionem contractus: sed ad præstandum decepto quantum pluris ei vendidit.

181. IV.) Demum quando dolus non ab altero contrahente: sed eo ignorante *per tertium* quendam commissus fuit, simulque contractus vel ab utraque, vel saltem ab altera contrahentium parte completus est: *tenet contractus* Jure naturæ, quod *obligat illum tertium* ad debitam satisfactionem. Quam Juris hujus dispositionem sequitur etiam Jus positivum, permittendo Actionem in foro quoque externo contra eundem deceptorem. *C. cum dilecti v. deceptione*, circa finem *de Empt.* ac *L. Et eleganter, ff. de dolo malo.*

Ratio est, quia cum neuter Contrahentium causaverit dolum, jam hoc ipso dolus non debet alterutri eorum obesse: hoc autem fieret, si alterutro invito contractus ex sua parte completus rescinderetur. Ille autem *tertius*, qui dolum commisit, cum tam Jure nat. sit obstrictus, quam etiam Civili actione teneatur de dolo ei, qui exinde læsus est *l. 2, ff. de Proxenet.* si forsan solvendo non sit, succurrere Judex debebit circumvento, ratione resultantis inæqualitatis, reducendo contractum ad æqualitatem naturalem.

182. V. Loquendo autem de dolo *circa qualitates accidentales* ab alterutro Contrahentium commisso, simulque *dante causam contractui*; plerique Legistæ spectato jure Civili volunt distinguere inter contractus *stricti juris*, qualis est v. g. *fidejussio*, *mutuum* aliique *unilaterales*: & contractus *bonæ fidei*,

*dei*, uti est, *Emptio-venditio*, *locatio-conductio*, *depositum*, *commodatum*, *mandatum*, *pignus* &c. De contractibus itaque *stricti juris* tenent, quod dolus *dans* alicui ex illis *causam*, eum non reddat ipso jure nullum: sed talis contractus ad petitionem decepti sit rescindendus per Judicem, *L. dolo*, *vel metu*, *C. de inutil. stipul.* Si autem det causam contractui *bonæ fidei*, tunc inquiunt, effici contractum ipso jure nullum per L. *Ea vero* §. *fin. ff. Pro Soc.*

VI.) Verum ut ut Juris Romani subtilitas distinctionem hanc introduxerit, hodiernis tamen moribus alii communius ab ea recedunt, pariter ac Jus canonicum minime ei inhæret: sed omnes contractus naturalis æquitatis regula mensurari jubet, ut ostendimus in Resp. jurid. can. *par.* 1. *an.* 93. *Fol.* 196. præsertim cum ipsimet antiquiores JCti subtilitatis hujusmodi primi inventores cum suis sequacibus hucusque non potuerint solidam afferre rationem disparitatis, cur contractus *bonæ fidei* ipso jure nat. sit irritus non item contractus *stricti juris*, cum tamen utrique causam aliquam dolus *æqualis* dederit; aut *cur Jus Civile* unum, non alterum eorum irritet in illis *æqualis* doli circumstantiis, & quomodo æquitatem nat. non lædat? Spectato igitur Jure nat. dicendum est: qualiscunque *stricti juris* aut *bonæ fidei* contractus ille fuerit, parum refert; sed si dolus quidem circa qualitates solas, & quasdam extrinsecas circumstantias versetur, *dederit tamen causam* eidem, ita ut contrahentis decepti *mens ita alligata fuerit*, *ut ille nullo modo contraxisset*, si non persuasiones falsæ, & speciosæ quidem, sed inefficaces promissiones ad contrahendum induxissent, contractum hujusmodi esse in foro animæ nullum, ob defectum sufficientis consensus, ut jam ex supra dictis innotuit.

Quodsi mens Contrahentis modo prædicto *non fuit alligata qualitati* & circumstantiæ illi extrinsecæ: valebit jure naturæ contractus, deceptor tamen obligatur in conscientia compensare detrimentum, ut hac ratione contractus ille reducatur ad æqualitatem, si vero compensare noluerit, hoc etiam invito *rescindi poterit*, naturali æquitate prohibente, ne dolosus Contrahens cum alterius jactura fiat ditior, suamque conditionem meliorem faciat, unde etiam Axioma ortum traxit: *Fraus & dolus alicui patrocinari non debet.*

183. Sed ambigi potest; unde colligi debeat quod er-

 ror

ror vel dolus causam dederit actui circa substantiam vel accidentia tantum ? Resp. Ad discernendum quandonam error vel dolus versetur circa substantiam aut accidentalia contractus, hæc statui potest regula, I.) Quod omne illud prædicatum pertineat ad substantiam contractus, cui defacto intentio contrahentis ita est alligata, *ut aliter nolit valere contractum, vel actum*, aut quod idem est, aliter nolit contrahere. II.) In dubio autem de intentione Contrahentis, vim alterius regulæ obtinet sequens discriminativum : si nempe prædicatum, de quo dubitatur, sit tale, ad quod ex communi hominum usu, vel ex dispositione legis præsumitur saltem implicite & virtualiter restricta esse Contrahentium intentio : censendum erit & illius contrahentis restrictam potius quam non restrictam fuisse, adeoque prædicatum illud, seu qualitatem spectare ad substantiam contractus, vel actus.

*Ratio* primi est : quia determinatio prædicati circa contractum, an sit aliquid substantiale vel non, dependet ab intentione Contrahentis, aut promittentis : igitur si Contrahens, vel promittens aliquid *pro primo* ac *principali* intendat, illud erit de substantia actus. Ita v. g. si quis per Procuratorem contracturus matrimonium de præsenti, alligaret suam intentionem: ut ille ex duabus Sororibus, quarum una formosa, & utriusque oculi usu prædita est, altera deformis & monocula; determinate deformem & monoculam eligeret, hanc quoque præ illa sibi desponsandam curaret : quamvis deformitas hæc, si *physice* spectetur, non videatur pertinere ad substantiam : sed mere versari circa qualitates extrinsecas contractus: nihilominus si moraliter, seu *civiliter* eam consideremus, omnino est *de substantia* illius, ita ut reddat matrimonium jure nat. invalidum.

*Ratio* secundi est: Nam quod una eademque res, vel unum idemque prædicatum modo censeatur esse de substantia contractus, modo quid accidentale, id pendet a consuetudine, vel voluntate Contrahentium, juxta illud vulgare : *De gustibus non disputandum*; Si igitur res v.g. empta appareat deficere in aliquo prædicato, quod communiter ab aliis Emptoribus intendi solet, censenda erit intentio hujus Emptoris restricta fuisse ad talem qualitatem, vel prædicatum, quo deficiente error vel dolus commissus fuisse censendus est circa substantiam.

284. An autem dolus *reipsa* seu materialis, idem operetur,

tur, quod dolus *ex proposito*, seu formalis? Utilissima & in praxi creberrima quæstio est, quam resolvimus in Resp. jurid. can. *p.* I. F. 400. *n.* 422. Ubi decisum est, dolum priorem ab altero in eo solum differre, quod si non ex proposito fuerit, excuset a peccato, non tamen a restitutione, postquam ita decipiens pervenit in notitiam sui erroris pure materialis, seu *reipsa* commissi. Si enim *bona fide* solvisti Mercatori aureum adulterinæ monetæ, non ideo securus es in conscientia, quin damnum compenses, ubi illud advertitur. Obligatio igitur naturalis restitutionis oritur ex utroque dolo: actus tamen vel contractus nullitas non semper: sed tunc solum, cum versetur circa substantiam.

Porro ex supra adductis patet dolum circa substantiam duplici modo versari posse, scilicet *physice*, vel tantum *civiliter*, seu moraliter. *Physice* versatur si v. g. materia circa quam fit contractus, est in toto, vel saltem majori parte alia, veluti si gemmam vitream pro vera, aut aureum intus aurichalcinum, extrinsece vero nonnisi deauratum a Mercatore vel alio contrahente, præter tuam intentionem accipias. *Civiliter* seu moraliter versabitur circa substantiam, cum intentio tua alligata fuerit certæ qualitati etiam deteriori, v. g. Si vinum volueris tibi emi non aliud quam valde debile propter valetudinem conservandam, quale est *Necaricum* &c. Mercator vero ille pro eodem pretio submiserit tibi vinum *Tocaicum*, vel aliud generosum: hujus substantia physice *melior* utique est; tamen contractus adhuc nullus est propter substantiam *civiliter* immutatam per alligationem intentionis ad vinum *Necaricum*; pariter ac patet nullum fuisse illud Matrimonium per Procuratorem contractum cum Sorore formosiore, omissa deformi & monocula, licet error hic non nisi *civiliter* versetur circa substantiam. Idem est, quoties dolus vel error *dat causam* contractui modo supra exposito.

## §. II.

### *Quid Jus naturæ disponat circa actus vi & metu extortos?*

185. CUm resolutio quæstionis hujus spectet ad conclusiones Juris nat. difficilius percipi solitas, neque *manifeste* & *immediate* ex primis moralitatis principiis fluentes,

tes, hinc fit, ut in ea decidenda diversæ sint Eruditorum opiniones, de quibus fuse egimus in *Erotem. theor. pract. a Fol.* 212. ubi etiam decisum est, difficultates quæ ex causa metus incussi oriuntur, non posse una & altera sententia explicari; sed pro diversitate circumstantiarum, non nisi diversis conclusionibus definiendas esse. Siquidem autem singulas illarum hic recensere materiarum tractandarum multitudo non finit, paucis & summaria inductione ea perstringemus, quæ in praxi contingere possunt.

I. ) Concors est opinio, quod metus *juste* vel *sine damno* metum passi incussus non obstet valori actus. Ille enim non est moralis *causa* consensus in actum: sed *mera occasio*. Qui enim juste cogitur ad id, quod aliunde tenetur facere vel omittere, non censetur *moraliter* invitus consentire, quid quid sit, quod invitus fuerit *physice*. Etenim voluntarie caussam metus & coactionis ille ipse dedit, qui non vult id præstare, vel ab eo abstinere, ad quod obligatus est. Hinc timor mali non censetur intrinsece inferri: sed ab illomet nasci. Ac proin consensus ille secutus non est involuntarius, cum omnino *voluntarius sit in sua causa*.

Quo fit, ut licet metus hujusmodi moveat voluntatem ad actum, quo posito grave malum evitatur, & videatur habere aliquam causæ speciem, tamen pro tali non æstimatur, eo quod actus ille fuerit aliunde *debitus*, adeoque ex parte metum incutientis nullum infertur damnum ei, qui metum patitur, neque ille injuria in suis bonis aut libertate ita afficitur, ut actus nullitas argui possit. Sive enim sponte sive coacte rem v. g. alienam restituas suo domino, aut promissioni aliunde jam validæ & licitæ satisfacias, nullum in rebus tuis detrimentum subire cogeris, cum id solum facias, ad quod jure nat. jam obligabaris. Neque enim ad restitutionem rei alienæ, sibi nullo alias jure obligatæ, requiritur omnino liber consensus ejus, qui eam *injuste* detinet, alioqui occulta compensatio jure nat. nunquam foret licita ob defectum consensus illius, qui irrationabiliter est invitus, quo minus res sua cedat alteri in compensationem; cum tamen contrarium pateat ex *n.* 152. )

Hinc si sponsalia *de futuro* nuper sponte & libere contraxisti, hodie vero ab illis sine causa resilire volens *metu* carceris, gravis mulctæ, vel Excommunicationis, aliove modo coactus es ad matrimonium de præsenti contrahendum, hoc ita subsecutum ( dummodo aliud absuerit impedimentum)

tùm ) certo firmum subsistit, praxi attestante: metuendi enim causa justa fuit. Metus hic nedum a legitimo Magistratu: sed etiam a privato quopiam *juste incussus* suo v. g. debitori, restitutionis aliumve debitum alias actum reddit in se validum, licet quandoque ex parte metum incutientis aggressio hæc illicita *quo ad modum* fiat, ratione violentiæ propria auctoritate ad recuperandam rem suam attentatæ. Quam sicut Jus nat. ita & Civile prohibet quidem, rei tamen debitæ restitutionem hoc extorsionis modo factam validam declarat l. 12. §. 2. ff. Quod met. caus. *Julianus ait eum, qui vim adhibuit debitori suo, ut ei solveret, hoc Edicto* ( id est Actione quod metus causa ) *non teneri, propter naturam metus causa Actionis,* NB. *quæ damnum exigit; quamvis negari non possit in Juliam eum de vi incidisse, & jus crediti amisisse.* Amissio autem hæc crediti præcise *in pœnam* aggressionis, *qua illicitæ* statuta est, & indiget Judicis declaratione, nec aliter obligat Creditorem ad restitutionem debiti, modo prædicto a coacto debitore recepti.

186. II.) Certum quoque est, Actus *ex occasione* causæ *necessariæ*, seu *non liberæ* metu gravi elicitos valere jure naturæ, sicut & omni alio. *Ratio* est; quia v. g. *mare sæviens* non causam: sed *meram occasionem* præbet Mercatori merces projiciendi in aquam, aut votum nuncupandi ob mortis metum. Non enim extorquet consensum in projectionem mercium, vel voti nuncupationem, nec agit propter finem & libere; sed *necessario physice*; neque intervenit injuria ex parte maris Mercatori illata, illud enim non minus *necessario* operatur dum quietum est, ac si sit turbulentum. Metus igitur ille ortus est mere ab *intrinseco*, cui mare solam *occasionem*, nullo modo autem *causam* projectionis præbuit, consideratur proin illa, ac si non fuisset, & votum ita factum, aut alia promissio valet, prout etiam declaratum legitur in *cap. 17. de Regular.*

187. III. ) Imo etsi metus proveniat *a causa libera* quidem: sed *non influente moraliter* in actum per modum causæ suadentis, solicitantis, cogentis &c. verum præcise *per modum occasionis*, non reddet actum metu provenientem irritum juræ naturæ. Si itaque Viator metum injustum a latronibus passus, ad evitandam mortem emittat votum, vel promittat quidpiam suo amico, ut hic sibi suppetias ferat contra Aggressores; metus mortis non reddet invalidos hos actus. Licet enim Viatorem ad eos eliciendos permoverit mor-

mortis evidentis timor, tamen hic non fuit *causa moralis per se talis* & intenta ab Aggressoribus, mortem enim isti intentarunt Viatori, nisi daret lytrum, at nullo modo extorquebant ab eo votum, vel suppetias amici, quibus posset liberari ab eorum vexatione injusta: igitur hæc *per accidens* solum, non ex causa: sed *occasione* tantum metus evenisse censetur, per se autem & directe provenerunt ex causa mere *intrinseca*, propria scilicet physice & moraliter liberrima voluntate metum passi, non aliter ac supra vidimus projectionem mercium in aquam, aut conductionem Medici ob metum imminentis periculi mortis. Occasio enim actus nunquam inter causas ejus referri potest. Ita quippe Axioma est: *occasio facit furem*, qualis fieri censetur, si v. g. stabulum sit apertum, unde furi ansa præbetur illud intrandi & æquum furandi: quia tamen *stabuli apertio mera est occasio*, hinc furti causa non ex apertione stabuli: sed aliunde repeti debet; scilicet ex liberrima ac intrinseca furis voluntate, cum sine alia concausa morali ad furti crimen sponte sua permovente. Id ipsum fit in casibus supra expositis de projectione mercium &c. &c.

188. IV.) Dubio quoque vacat, actum metu gravi injusto extortum tam extorquenti ipsi, quam & alteri alioqui indebitum, jure nat. irritum ac inutilem esse, si metus passus *nil aliud* per eum intenderit, quam *sui a præsenti periculo liberationem*. Nam naturali jure spectato, *Actus agentium non operantur ultra eorum voluntatem*, c. fin. de Præb. Hinc ex eadem naturali jurisprudentia desumptum est hoc brocardicum: *De pactorum interpretatione ubi agitur, potius inspici debet mens quam verba*. Cum igitur actus v. g. lytri solutionis latronibus a Viatore factæ habeat pro objecto tantum sui liberationem a vexatione injusta, eum exercens metum passus non est censendus velle se obligare, aut dominium transferre: sed *exterius* dumtaxat consentire, nam id satis illi fuit ad effugiendum periculum: Tanto minus contraxit aliquam obligationem, si eam positive exclusit, ut per se patet.

Nec refert, quod Aggressor injustus ex sua parte steterit promissis, v. g. vitam donando metum passo: nam ad hanc ei tollendam nullum jus sibi competebat, consequenter pro occisione hominis insontis, & facti sua natura turpis nihil exigere valide aut licite potuit; cum ad *malum omittendum* omni jure aliunde teneatur, §. 1. *Inst. de inutil. Stip.* In dubio quoque dum anceps heres, an consenseris in translatio-

nem

nem dominii: an meram tui liberationem a periculo intenderis: an etiam te serio obligare latroni volueris vel non? hoc injustæ extorsionis casu standum est potius pro immunitate ab omni interna obligatione, cum neque extra casum injusti metus & vexationis iniquæ obligetur quispiam ad debitum certum, ex obligatione aut probatione mere dubia & incerta: stat igitur pro eo possessio libertatis suæ. Solus itaque & potissimus controversiæ cardo vertitur circa quæstionem *seq.* §. mox tractandam.

## §. III.

*An Jure nat. valeat & obliget actus, si quis ad nihil alias iniquo Aggressori, vel cuipiam tertio obligatus, serio etiam interne consensit in obligationem, aut dominii translationem: non tamen ex alio motivo, quam præcise ad effugiendam v. g. mortem sibi hic & nunc metu injusto intentatam, aliudve grave malum sibi indebitum avertendum?*

189. GRavi ac injusto metu extorti actus extorquenti ipsi & cuivis alteri alias *indebiti*, & metu coactum *gravantes* ( quales sunt translativi dominii, remissivi juris, aut inductivi *novæ* obligationis ) non subsistunt Jure nat. nec pariunt obligationem, licet metum passus *directe* quidem & *serio* in dominii translationem metu interne *non deposito*, seu non purgato consentiat: id tamen non ex alio motivo, quam præcise *ad redimendam injustam vexationem* gravem, v. g. mortis certum periculum inferentem, ex metu tanquam causa morali *primario* ad consensum movente facit.

Ita sola naturali lege Magistra edocente sensit etiam Cicero *l.* 1. *offic.* dicens: *Illis promissis standum non est, quæ coactus quis metu promiserit*. Hujus opinionis fuit quoque Aristot. *l.* 4. *Ethic*. Naturale autem judicium hoc Gentilium Philosophorum manifeste secutus est & probavit D. Th. 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. *ad* 3. dicens: *quod in juramento, quod quis coactus facit, duplex fit obligatio. Una quidem qua obligatur homini, cui aliquid promittit: & talis obligatio* TOLLITUR *per* COACTIONEM, *quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur. Alia autem est obligatio, qua quis Deo obligatur, ut impleat quod per nomen ejus promisit. Et talis obligatio non tollitur in foro conscientiæ, quia magis debet damnum* tem-

*temporale sustinere, quam juramentum violare. Potest tamen repetere in judicio, quod solvit, vel Prælato denuntiare, non obstante quod contrarium juravit, quia tale juramentum vergeret in deteriorem exitum: esset enim contra justitiam publicam.*

Quo loco D. Thomas ex promissione metu gravi ac injusto in Virum constantem cadente *naturalem* obligationem nullam agnoscit: licet admittat aliquam debilem & revocabilem ex *sola Religione* erga DEUM ortam, si juramentum adjectum fuerit. Quod fit dispari ratione; quia promissio simplex, seu quæ solum hominem inique extorquentem respicit, non habet obligationem aliunde, quam a *sufficienter* libero consensu promittentis, & carentia injuriæ: at metus cadens in constantem virum tollit *sufficienter* liberum consensum & inducit formalem injuriam, ut infra probabitur, & supponit Doct. Angelicus *l. c.* ac deducit Azor *Inst. mor. tr.* 3. *p.* 3. *l.* 4. *c.* 23. *q.* 4. ex Silvest. v. *Restitutio* 2. §. *septimo*, Nav. *c.* 17. *n.* 30. hinc simplex promissio metu extorta manet absque omni obligatione. Contra autem quando promissio, aut donatio est *jurata*, habet obligationem aliunde, scilicet a juramento cum invocatione DEI (qui nullam injuriam intulit, neque coegit) promissioni adjecto, ac proin cum naturalis & Religionis obligatio a diversis principiis proveniant, hæc potest manere sine illa, quoties juramentum fit licite.

Quanquam Jus canonicum etiam Religionis obligationem ex inique coacto juramento valde tenuem agnoscat in *Cap. Verum*, versu: *non ob hoc sunt* 15. *de Jur. jur.* ac dein *Cap. Debitores* 6. *eod.* naturalem obligationem prorsus nullam esse declarat. Juxta hanc vero declarationem, ac juxta *Cap. cum contingat* 28. *de Jur. jur.* dicens, juramenta servari debere, NB. *Sine vi, metu & dolo SPONTE præstita;* sunt permulti DD. qui cum D. *Antonin. Panormitan.* Silvestr. v. *Juramentum* 4. *q.* 8. Rolando a Vall. *Azor.* tom. 1. L. 11. c. 7. q. 1. docent, nequidem Religionis obligationem oriri ullam, si ipsum quoque juramentum injuste incusso gravi metu extortum sit, eo, quod *cum principalis causa* (scilicet naturalis obligatio) *non subsistat, nec ea, quæ sequuntur locum habeant.* Ac proin in tali juramento dispensationem non esse *per se* necessariam putant: verum mere *per accidens*, si inquam sit periculum scandali ex parte eorum, qui sciunt juramentum adjectum fuisse pactis vel promissioni, ignorant autem *an sponte* & libere, vel an *ex metu*, eoque pur-

purgato vel non purgato præstitum fuerit, hoc casu dicunt: ad scandali periculum tollendum, dispensationis remedio locum esse, secus si nullum prudens ejus periculum fuerit. Jam

190. *Ratio* assertæ decisionis est I.) Actus ille metu gravi & iniquo extortus naturali jure non subsistit *ratione injuriæ*. Nemo quippe per injuriam alterius *consensum*, & inde jus sibi alias vel alteri cuicunque *indebitum* acquirere valide potest. Alioqui latrones & usurarii frustra ad restitutionem ante omnem Judicis sententiam tenerentur, imo illicite & invalide res suas ab illis invitis, non expectata rescissione actus, repeterent damnum metu injusto, vel usuraria pravitate passi: cum tamen hi, etiam juxta contrariæ opinionis Patronos, illas occulta quoque compensatione recuperare sine omni scrupulo possint.

Huc facit, quod lex nat. jubeat id solum ex *justitia* præstare ad quod alter jus habet, citra jus enim activum obligationi passivæ respondens nulla intelligi potest obligatio. Et nihil debeo, si nemo jure me poscere quidquam potest: Atqui v. g. latro ad lytrum requirendum, etiam supposito extorto consensu, nullum jus habet. Si enim id non dum efficaciter extorsit, tenetur abstinere, ne continuet peccatum: si vero jam extorsit, tenetur instantanee restituere, & oppressum Viatorem indemnem dimittere.

Neque actum hunc potest tanquam validum approbare Jus naturæ, id enim sicut rem ipsam, ita & consensum in eam alias indebitam, per vim vel metum iniquum extorqueri prohibet, & ob perpetuam turpitudinem in actu reperibilem irritat, juxta *n.* 166.) Non potest igitur firmitatem tribuere actui, quem reprobat & irritat, alioqui lex nat. ipsa ad sui destructionem inserviret, approbando, quod necessario prohibet & enervat. Sane cum usuras proprie tales lex nat. prohibeat, nunquam consensum Mutuatarii, gravi necessitate urgente, & iniquitate Fœneratoris ad eas *serio* promittendas adacti, tanquam validum & obligatorium approbare potest, ita, ut ius aliquod iniquo Fœneratori illas exigendi, vel retinendi inde oriatur: Sicut igitur *consensus Mutuatarii liber* alias nullum jus facit Fœneratori ad valide extorquendas vel retinendas usuras, ita, imo multo minus jus aliquod faciet latroni consensus Viatoris metu injusto & per injuriam extortus, ut lytrum requirat ab eo, vel retineat solutum.

191. Nec obstat 1. Quod filius, qui Patrem suum veneno e vivis sustulit, a nonnullis dicatur *per injuriam acquirere ejus hereditatem*: igitur & latro per injuriam poterit obtinere consensum Viatoris & dein lytri dominium acquirere. Contra enim est, quod jus hereditatis filio parricidæ non obveniat ex injuriosa parentis occisione; sed potius ex *filiatione*, titulum successionis ab intestato fundante, cui assistunt leges positivæ pro eo casu, quando de crimine parricidii manifeste Judici non constat. Alioqui *si injuriosa occisio Parentis* sufficeret ad hereditatem acquirendam, etiam quivis extraneus a filio & familia illo distinctus homicida, Patrem filii istius occidens posset jus hereditatis acquirere, siquidem occidendo injuriam intulit, & sola injuriosa Patris occisio sufficit ad hereditatem capiendam, juxta Adversarios. Ita autem latronum conditio fieret optima, cum multas hereditates adire possent.

Multo minus obstat 2. Quod *non injuria sit causa* immediata lytri, promissionis vel contractus: sed liber *consensus* contrahentis v. gr. Viatoris, qui absolute est præstitus. Quamvis enim hic non consensisset, si non fuisset coactus, tamen coactus consensit. Nam contra est, quod etiam usurarum proprie talium causa *immediata* sit non injuria & iniquitas Fœneratoris avari: sed liber (imo longe liberior) *consensus Mutuatarii* contrahentis, & quidem absolutus. Si enim Fœnerator enormes usuras a Mutuatario graviter indigente non voluisset, hic in eas nunquam sponte & libere consensisset, quia tamen ille voluit, nec aliter mutuum dare paratus erat, ideo Mutuatarius in eas absolute consensit; Nihilominus contractus usurarius *ipso jure nat.* est nullus, nec Usurario ullum jus tribuit. Contra est 2. Quod ipse consensus per injuriam sit extortus & deficiens uti mox constabit.

192. II.) Prædictus actus non subsistit Jure nat. defectu *consensus sufficientis* in obligationem novam, ac nullo jure alias debitam, quæ requirit plenam libertatem ab omni injuria immunem, ita ut etiam extrinseca coactionem a causa extrinseca libera eam injuste extorquente provenientem excludat. Cum enim gratuita promissio sit *onus quoddam, quod sponte suscipitur*, non debet coactive imponi, ita sentientibus Ethnicis etiam viris, quorum sententia a Constantino Imper. ex naturali Jurisprudentia in corpus Juris Romani cooptata est: *Rei suæ quilibet liber est moderator, & arbi-*

*arbiter, ut possit facere quidquid VELIT*, l. 21. C. Mandat. Hinc contractus, promissiones, & donationes circa res *meræ facultatis*, ac alteri nullo alias jure debitas, debent constare actu *spontaneo & libero*. Et quidem actus hujusmodi debet esse liber *libertate indifferentiæ*, & non tantum liber a coactione (cujusmodi etiam sunt actus ebriorum & amentium) debet enim esse actus imputabilis homini, quatenus *sponte* cedit aliquo jure suo, & obligationem neque *a natura*, neque etiam ab *extrinseco* sibi injuste *impositam* subit pro libitu:

Atqui v. g. consensus Viatoris & promissio donandi latroni 100. fl. metu mortis extortæ, neque est ita *spontaneus* actus, ut metum passus Viatór pro libitu suo de re disponat *quid quid velit*, vellet enim nihil solvere injusto aggressori, cum nihil debeat; cogitur tamen, non quod ille vellet: sed quod latro extorquet, facere. Neque est ita *liber*, ut obligationem ab *extrinseco*, vel à *natura* non impositam subeat: Hoc enim casu Viator *inter duo inevitabilia mala*, vitæ scilicet amittendæ, aut lytri solvendi evidens periculum constitutus, jure naturali *necessario* obstrictus est eligere minus malum, nempe amissionem potius 100. fl. pro lytro solvendorum, quam vitæ, cujus ipse non est dominus, habetque sibi a natura ejusque Auctore DEO *impositam gravem moralem obligationem*, illud malum præ hoc eligendi: Neque prudenter, ac *citra grave crimen* potuit mortem potius eligere, parcendo pecuniæ 100. florenorum: igitur non solum non fuit liber *a coactione externa*: sed nequidem a *necessitate morali* per legem naturalem imposita, atque adeo *non fuit sufficienter liber* libertate indifferentiæ, perinde ac si non fuisset liber: si latro concessisset ipsi liberam electionem, ut *ineluctabili necessitate* patiatur sibi unam e duabus manibus amputari, ille vero elegisset & consensisset in minus malum, amputationem scilicet sinistræ, ut dexteram, tanquam usibus magis servituram, conservaret.

Quid igitur hoc casu consensus (ut dicitur) liber operaretur, & quid efficeret ille in casu conscientiæ *perplexæ*, ubi quis inter duo moralia mala constitutus invincibili persuasione intelligit, se, hoc vel illud omittat, graviter peccaturum, hoc sive illud faciat, non amoturum evidens periculum; id ipsum operabitur & parem obligationem inducet consensus ille, metu gravi ac injusto extortus, si per eum *ex duobus inevitabilibus*, minus malum eligatur, utro-

bique enim *physice* quidem, non item *moraliter* est plene liber.

193. Neque dixeris, hunc Viatoris actum debere rescindi a Judice, ut desinat latroni obligari. Nam obstat *primo.*) Quod iniquus Aggressor, si jam quidpiam ex coacto illo consensu percepit, teneatur in conscientia *mox* restituere, non expectata ulla rescissione, quod etiam fatentur Adversarii. Hinc eruditissimus Tanner *To. 2. d. 2. n.* 327. ait, imperceptibile esse, quomodo contractus *ratione consensus liberi injuste extorti*, jure naturæ vel utroque valeat, & tamen alter e *vestigio* teneatur rem per contractum acceptam restituere: vel si nondum accepit, teneatur nunquam exigere?

*Secundo.*) Si talis consensus valeret usque ad rescissionem judicialem: pessime comparata foret Respublica humana. Sequeretur enim quod potentissimus Princeps, & omnis, qui præter DEUM, superiorem alium & Judicem non agnoscit, homini pauperi per injustum metum extorta nunquam in ullo foro teneretur restituere, cum nullus sit, qui auctoritatem judicialem in eum habeat; aut si pauper metu majoris mali, vel alio impedimento detentus actionem rescissoriam instituere nequeat. Porro rationi difforme est, ita de sapientissimo naturæ humanæ Gubernatore DEO sentire, quod ipse naturali lege *irrito tali actu facto*, non obstrinxerit hujusmodi iniquos aggressores metum injustum incutientes ad instantaneam restitutionem præstandam, non expectata alia sententia Judicis creati, pro qua obtinenda, metum injustum passus novo suo damno alias expensas judiciales subire deberet. Demum foveretur iniquitas multorum, qui hac ratione facile dominia acquirerent.

194. III.) Metu prædicto extortus actus Jure nat. nullus est defectu *Tituli justi*, qui supposita rerum divisione etiam de jure nat. necessarius est ad acquirendum rei dominium. Est enim ille *principium possessionis, sine quo nemo vere possidet*. C. Dilectio §. potest 6. q. 3. Porro latro deficit in hujus tituli justitia, sine qua ne quidem dominium *tenue* & *revocabile* acquirere potest. Tituli enim justitiam colligimus, si vi illius præscriptio inchoari possit, cujus incapax est latro ob defectum bonæ fidei, sine qua rem inique extortam detinet, eamque sine mora restituere obligatur. Neque *datio*, *acceptio* & *consensus* extortus eundem titulum fundare aut justificare possunt, sicut non fundant neque justificant similem in Usurario. Ac demum *datio* & *traditio*

non

non sunt tituli dominii acquirendi; nisi adfuerit justa causa dationis & traditionis factæ, alioqui jure nat. possent res alienæ donari valide & tradi aliis: quod rectæ rationi repugnat, ethnico etiam JCto declarante in L. 31. ff. de acquir. rer. dom. *Nunquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio, aut aliqua JUSTA causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur:* At quæ est illa *justa causa*, ubi miser Viator cogitur tradere marsupium latroni? & qui justa esse possit; cum extorquens graviter delinquat & ad restitutionem mox obligetur, perinde ac si fur esset?

195. IV.) Demum metu eodem extortus actus vel contractus non subsistit Jure nat. *defectu materiæ* circa quam est initus. Res enim *propria* Contrahentis *nullo* alioqui jure cuipiam debita in contractum deduci, ab eoque *valide*, emi, vel alio quovis modo acquiri jure naturali nequit; & id repugnat rationi: nam *quod meum est, ex alia causa fieri meum non potest, nisi desierit esse meum*, naturale axioma hoc explicante Pontifice in *C. Inter, 6. §. Cæterum, de Fide instrum.*

Atqui in omni actu per metum injustum incusso saltem implicite est contractus interdum *veræ*, interdum *quasi* emptionis-venditionis, vel certe contractus innominatus *do ut des, facio ut facias* l. 7. §. 2. ff. de pact. resque propria metum passi Contrahentis ab Aggressore injusto metum inferente in contractum deducitur. Latro enim v. g. *pro mea pecunia* quam accipit in lytrum, *vendit mihi meam vitam*, promittens se mihi eam jam non erepturum, in quam nullum jus habet: Item *pro meo* v. g. *equo*, quem a me inique extorquet, *offert mihi* ex sua parte *meam liberationem ab injusta vexatione sua*; Cum tamen liberatio & immunitas hæc mihi aliunde *omni jure* alias debeatur a quovis, qui nullum jus habet me divexandi. Hinc pro re mea nihil *de novo*, ut in omni contractu fieri debet, acquiro: sed rem meam pro re mea obtineo, porro tale commercium jure nat. non subsistit.

## §. IV.

### *Quænam sint exceptiones contrariæ pro valore prædicti actus metu extorti afferri solitæ?*

196. I.) PUtant non pauci eruditissimi Viri, actum vel contractum in prædictis circumstantiis jure nat.

nat. non esse irritum: sed solum venire ope Judicis irritandum, eo quod ita magis faveatur parti innocenti metum passæ, casu quo hæc voluerit contractum approbare & servare. Sed *contra* est. I.) id quod jam diximus hic *n.* 193.) Dein *contra* est. II.) quod hoc ipsum deberet procedere potiori ratione de contractu etiam usurario, ut hic ex parte Usurarii vel Mutuatarii; aut utriusque valeat, & obligationem inducat in Mutuatario, quod tamen juxta omnes falsum est, *Contra* est III.) Nam si contractus *noxius* est, melius fiet metum passo, si *per se* nullus sit, tunc enim non opus est adire Judicem, & ita parcetur expensis & temporis dispendio, quod litibus impendi solet. Si autem contractus *utilis* est metum passo eumque non gravat, hic omni jure valet, ut innuimus hic *n.* 185.) & fuse ostensum est *Erotem. theor. pract. a f.* 263.) atque ob hanc rationem valet *donatio.* v. g. 100. aureorum, si quis me gravi metu incusso cogat ad eos acceptandos: acquiro item dominium pecuniæ tuæ, si a te injuste coactus ad tibi colludendum chartis, lucratus sum a te aliquam summam: non item si tu a me lucreris; jus ullum acquires.

*Contra* est IV.) Emolumentum respectu metum passi est prorsus *per accidens*, & vix in praxi dari potest; cum quilibet metum injustum inferens suum potius commodum inquirat, non minus quam raptor, fur, usurarius. Et sane captum superat, quomodo v. g. Viatori utilis sit contractus cum latrone initus, ut hic sibi vitam non eripiat contentus lytro. Ille enim independenter ab omni pacto & mercede obligatus est vitam innocenti non eripere. Ac proin sive Viator velit, sive nolit contractum illum subsistere, adhuc iniquus aggressor jure nat. tenetur vitam ejus conservare, cum nullum jus in eam habeat, neque metum passus Viator jus aliquod ad se occidendum ei præbere potest.

*Contra* est V.) Ut metum inferens possit ad contractum obligari & eum observare teneatur, sufficit, quod illius consensus *spontaneus*, a metum passo fuerit acceptatus, nec opus est consensum reciprocum etiam ex parte metum passi fuisse validum. Latro enim cum ex sua parte *sponte & liberrime* consentiat in aliquid faciendum vel omittendum in favorem metum passi, actus hic latronis etiam de jure naturæ *vim liberalis donationis* habet, quippe *consulto dati donatio est*, l. 53. ff. de R. J. & reducitur ad speciem contractus *unilateralis ac mere lucrativi*, unam tantum partem, metus nem-

nempe incussorem obligantis. Consensus enim suus fuit plene liber, spontaneus, sine omni injuria præstitus, ac a Viatore metum passo acceptatus. Quod tanto magis habet locum, si metum passus obtinens jam Aggressoris sui consensum spontaneum, dein ex post facto, & metu *purgato* adjiciat etiam suum consensum libere factum, eumque retrotrahat ad tempus, quo Aggressor suus iniquus consensit, id enim metum passo omni jure permissum est, quamdiu certus est de Adversarii sui consensu, eumque in judicio probare potest. Imo Judex in pœnam delicti potest eum condemnare ad standum promissioni metum passo factæ, licet ille causaretur se eam jam revocasse, hoc enim sæpius contingit in praxi judiciorum.

197. II. ) Sunt adhuc qui ad auctoritatem Juris Romani confugiunt; quod cum per pacta metu extorta læsis beneficio restitutionis in integrum succurrat, utique videtur supponere; stricto jure ejusmodi negotiis vim obligandi inesse, sed juris rigorem æquitate Prætoris temperandum. Verum legibus Romanis facile sua constat ratio. Cum enim *non præsumatur* in Civitate degenti vim vel metum esse illatum, atque ea exceptio dubiam possit habere disceptationem, conveniens utique erat ejusmodi pacta, actus & contractus *tantisper sustineri*, donec a Judice super metu illato vel non, possit cognosci: *metus* enim *non præsumitur*: *sed probatur*, sicut & aliæ facti quæstiones. Ex quo tamen non sequitur ejusmodi actui aut pacto, pariter ac aliis negotiis, quæ per exceptionem peremptoriam possunt elidi, *intrinsecam* vim obligandi, & aliquem valorem inesse; cum istæ exceptionum ambages ad usum *fori Civilis*, non ad simplicitatem juris naturalis pertineant, præsertim inter eos, qui aut communem Judicem non agnoscunt, aut iis coram illo litigare non vacat.

Quando igitur Prætor auctoritatem suam interponit ad cognoscendum contractum vel pactum metu extortum, ille hoc casu nil amplius agit, quam quod ubi agnoverit metu inique extortum fuisse actum, eum de jure nat. nullum esse *declaret*, & obligationem *ex parte metum inferentis* præsuppositam in executionem deduci faciat, jubendo rem v. g. traditam cum multa restituere, prout facere solet, si in judicio alium quemcunque rei alienæ injustum detentorem deprehendat. Aliqui etiam textus Juris positivi loquuntur de metu *juste* incusso.

198. III. ) Ac proin naturalem ab hujusmodi obligationibus immunitatem minime infringit sæpissime ab Adversariis adduci solita *L. Si mulier 21. §. pen. ff. quod metus caus.* ubi legitur: *Si metu coactus adii hereditatem, puto me heredem effici: quia quamvis si liberum esset, noluissem; tamen coactus volui*. Textus enim hic pariter ac *l. 85. ff. de acq. hered.* & alii similes procedunt de metu *juste* incusso, ei scilicet, qui priusquam cogeretur adire hereditatem; jam supponebatur *heres constitutus*, ut notat Gl. in *cit. l. 85.*

Cum enim heres teneatur præstare factum defuncti, & sequi ejus voluntatem, hinc necessario debet, *vel adire, vel repudiare* hereditatem, ne voluntas Testatoris, quo ad fideicommissa, legata &c. impediatur. Quia vero ille nec adire, nec repudiare eam voluit, coactus est ad adeundam, id enim etiam jure naturæ justum fuit, ut ita cogeretur adire, ne Legatarios & Fideicommissarios fraudaret suis legatis aliisque relictis. Valuit proin metu justo coacta aditio, non valitura alias, si *injuste* cogeretur, v.g. cum non esset constitutus heres a Testatore, neque ab intestato succederet, aut si exclusa libertate repudiandi, determinate ad hereditatem adeundam cogeretur: nullo modo his casibus fieri eum posse heredem, apud omnes explorata veritas est, ut liquet ex *§. penult. Inst. per quas person. cuiq. acquir.* ac *l. 6. §. ult. ff. de acquir. hered.* Tunc enim naturale jus violaretur, cogendo hominem ad damnum alteri inferendum & alienam occupandam hereditatem, quæ ipsi non competit, aut adigendo illum ad eandem, cum hujus vires sint longe impares oneribus liquidis a Defuncto relictis. Quod si hereditas *legitime* competens foret, eaque pinguis sine notabili onere, metu facta aditio esset validissima jure naturæ; cum talis actus metum passo sit *utilis* absque injusto gravamine, & liber consensus in eum rationabiliter negari nequeat, ut innuimus hic *n. 196.*

199. Melius itaque jura positiva nostram firmant sententiam, ubi in casu *certo* a parte rei incussi, *& non præsumpti solum* ac dubii metus, declarant nullam prorsus naturalem manere obligationem in metum passo, ut liquet ex l. 9. §. licet, ff. quod met. caus. *Etiam actionem in REM dandam existimamus, NB. quia RES in bonis ejus est, qui metum passus est*: igitur res ex *injusto metu* tradita non transiit *ullo modo* in dominium metum inferentis: Cui enim actio *in rem* competit, huic rem jure naturali obstrictam esse nemo Prudentum

du-

dubitat. Imo per *l. 1. ff. eod.* res hujusmodi cum omnibus fructibus, etiam quos iniquus Aggressor actu non percepit, restituenda metum passo est, non aliter *ac si per furem* possessa fuisset; qui rem cum fructibus etiam illis, qui non quidem a fure percepti sunt, poterant tamen a Domino percipi, si res non fuisset illi ablata, restituere jubetur per verba sequentia: *non solum qui percepti sunt, verum si plus ego percipere potui*, NB. *& per metum impeditus sum, hoc quoque præstabitur*. Consonat *l. 17. ff. qui & a quib. manumiss.* ibi: *Si privatus coactus a populo manumiserit:* NB. *quanquam voluntatem accommodaverit, tamen non erit liber*. Concordat iterum l. 9. ff. eod. *Ille servus liber non erit, qui coegerit, ut eum Dominus manumittat, & ille perterritus scripserit liberum eum esse*. Quæ omnia *vim exempli*, non *limitationis* habent, pariter ac quod *eleemosyna* metu gravi extorta non habeat vim eleemosynæ: sed. jure nat. mox restituenda sit ab iniquo aggressore metum incutiente. Idem est de *donatione* &c. &c.

200. III.) Neque efficacius urget famosum illud vulgare; *Coacta voluntas est adhuc voluntas*. Nam Resp. 1.) calvinistice *coacta*, & jansenistice *necessitata* voluntas est adhuc voluntas: quid tum, nunquid ideo actus est liber, & inducens obligationem, vel meritum? absit. Si reponas: voluntas calvinistice coacta non est libera in actu *primo* proximo: Contra erit, quia si quis calvinistica coactione *disjunctive* cogeretur ad duo inæqualia mala, v. g. ad odium DEI vel proximi, aut ad duo inæqualia bona, amorem DEI, vel proximi; hic licet in actu *primo* proximo esset liber ad electionem alterutrius ex allegatis objecti, tamen adhuc libertas hæc *non esset sufficiens* ad inducendam obligationem reatus culpæ in eo, qui elegisset odium proximi præ odio DEI; neque ad inducendum meritum in illo, qui elegit amorem proximi præ amore DEI; quia non fuit in ejus potestate utrumque odium, & utrumque amorem omittere, eligereque quidquid sibi absolute placeret: hoc ipsum est in casu metu injusto extorti actus.

Resp. 2.) Allegato vulgari opponitur aliud, scilicet *Coacta voluntas non semper est voluntas*, ac proin distinguendum est circa objecta, ad quæ aliquis extrinsece cogitur. Hæc enim esse possunt vel *necessaria*, divino jure & nat. præcepta, prorsus vel *libera* & nullo jure *debita*. Si quis igitur metu mortis *vel* alterius mali consentiat v. g. in *blasphemiam, per-*

jurium, *mendacium, adulterium* &c. *coacta voluntas erit adhuc voluntas*, quia objecta hujusmodi *sunt necessaria fugæ* jure nat. absolute prohibita. Atque in hoc solo sensu procedit & verum est axioma prædictum, ut liquet ex *Can. Merito* 1. *caus.* 15. *q.* 1. ibi enim ex S. Aug. adductus textus loquitur *de perjurio* per coactionem externam facto, aitque, quod *coacta ad pejerandum voluntas sit adhuc voluntas*. Et patet ex *Can. Imprimis* 72. q. 1. *tom. c.* 24. *q.* 1. ubi dicitur, quod quis *debeat omnia mala pati, quam in malum consentire*. Hæc igitur procedunt *de præceptis juris nat. & divini*.

Contra vero: regula illa non habet locum in iis, quæ *jure mere humano* disposita sunt, nec vergunt in commune detrimentum, aut alterius scandalum. Multo minus illa obtinet in materiis *liberis* circa objecta *meræ facultatis*, ut sunt promissiones *sponte* faciendæ vel omittendæ, donationes, contractus ineundi, vel non, pacta nondum inita, ceterique actus; nemo quippe omnia tenetur potius mala pati, quam in lytri solutionem metu mortis consentire latroni.

Circa objecta igitur libera, ac a *jure naturali & divino* non præcepta si versetur *coacta voluntas* illa quidem est adhuc voluntas: *sed coacta, non sufficienter libera*, nec inducens jus in aggressore, & obligationem in metum passo, pariter ac nec in Mutuatario ob inevitabilem necessitatem consentiente in usuras enormes solvendas. Hic enim per talem voluntatem, vult aliquid; & vere consentit quidem in aliquid, scilicet ut evitet *majus malum* sibi indebitum *præ minore* etiam indebito & æque *inevitabili*; Verum hoc ipso quod inter duo mala inevitabilia constitutus eligat minus, adhuc non agit *sufficienter libere* ad obligationem contrahendam in materia *meræ facultatis*, ut supra ostensum est, & patet in eo, qui coactus ut vel in ignem se injiciat, vel in aquam præcipitet, eligitque potius aquam præ igne. Item in illo, qui laborat conscientia *perplexa* dictante, sive sacrum die festo omittas, sive moribundo Parenti non assistas, graviter delinquis, &c.

201. IV. ) Ex his autem sequitur resolutio alterius paremiæ: *Metus attenuat culpam: non tamen prorsus excludit: Diminuit voluntarium, non tamen tollit*. Hæc inquam vera esse in materiis *necessario* prohibitis vel præceptis jure nat. ac divino, non item in *liberis* ac meræ facultatis, modo supra explicato. Alioqui ob metum mortis a sicario inferendæ omittens audire Missam die festo deberet adhuc delinquere graviter ( quia ut AA. volunt ) actus adhuc est liber ac vo-

voluntarius simpliciter: & lex proin deberet pergere obligare illum, quamdiu voluntarie & libere eam transgreditur. Quodsi reponas: tali casu legem positivam Ecclesiasticam cessare obligare ad præcepti sui impletionem: Pari, imo potiori ratione dicam, quod jus quoque nat. cesset obligare Viatorem ad standum injuste extortis promissis, & ad inducendam *aliquam* in eo obligationem. Jus enim positivum non est æquius jure naturali. Si igitur lex humana consensum metu iniquo extortum contra sua præcepta non imputat ad obligationem & culpam: multo minus Auctor naturæ & lex ejus naturalis ullo modo imputabit, si hic ab homine inter duo mala sibi *indebita* & insuperabilia constituto factus sit cum electione minoris mali, circa materiam alias nullo jure *necessario* prohibitam vel præceptam, qualis est v. g. lytri promissio ob vitam conservandam &c.

## §. V.

### *An concupiscentia & ira jure nat. spectato causet involuntarium?*

202. I.) Nomine *concupiscentiæ* intelligitur *appetitus sensitivus*, qui *primo* sumitur pro ipsa *concupiscendi* potentia. Hæc cum sit homini intrinseca ac necessaria, sicut & potentia ratiocinandi, ridendi &c. *de se* non dependet a nostra voluntate, nec cadit sub ullam prohibitionem, ut vel ideo blasphemiæ & imperitiæ merito arguatur Lutherus *l. de libertate Christ.* dicens: *Æque nobis impossibilia sunt omnia præcepta, atque illud: non concupisces.* Nam præcepta naturalia & divina non potentiam *concupiscendi* de se indifferentem & a nobis inseparabilem: sed potius *actus concupiscentiæ* malos moraliter, qui in nostra potestate sunt, prohibent, & bonos præcipiunt, vel permittunt. Non enim potest esse peccatum in sola sensualitate, eo quod appetitus sensitivus rationem omnino præveniens non sit liber, sine voluntate autem libera peccari non posse, nemo prudens est, qui dubitet. Sumitur *secundo* pro ipso *actu vehementi* prædictæ potentiæ, qui si feratur in bonum *arduum*, pertinet ad appetitum *irascibilem*: si in bonum *delectabile*, spectat ad concupiscibilem. Concupiscentia autem alia est *antecedens* usum liberi arbitrii: Alia *consequens*, illa naturaliter exurgens præcedit, hæc autem præsupponit voluntarium, quia voluntatis arbitrio excitatur.

II.) Jam ad propositam quæstionem cum Aristotele respon-

respondet D. Th. 1. 2. *q.6. a.* 7. iram, concupiscentiam & quamvis aliam passionem non causare involuntarium: sed magis voluntarium. Et quidem si voluntarium *pro libero* accipiatur, dubio vacat, regulariter loquendo iram, concupiscentiam, aliamve passionem non ita perturbare mentem, quin voluntas libera relinquatur, ut possit passioni resistere, cum supponatur tunc adesse saltem semiplena advertentia, alioqui *physice* tantum non item *moraliter* esset voluntarium, eaque de causa recte dixit *D. Th.* concupiscentiam non causare involuntarium: sed magis voluntarium.

203. III.) Dubitatur tamen hic, an posito quod involuntarium non causet concupiscentia, minuat saltem illud? Ac respondeo, si voluntarium *pro libero aliquatenus* sumatur, sine dubio minuitur ex concupiscentia *antecedente* voluntatem. Concupiscentia enim alicujus objecti plenam deliberationem impediens non sinit intellectum difficultates considerare, quæ possent ab ejus prosecutione amovere, & consequenter non relinquit voluntatem ita expeditam ad libere operandum, ideoque dixit Philosophus: *Trahit sua quemque voluptas*. Hac ratione leviora judicantur peccata, quæ ex aliqua passione fiunt, quam ea quæ ex malitia sola procedunt. Hinc etiam juramenta & promissiones ex aliqua passione prædominante factæ facilius relaxantur, sine præjudicio tertii si fuerint.

IV.) Si tamen voluntarium accipiatur pro *plene libero*, quod oritur a principio intrinseco cum cognitione deliberata; concupiscentia, ira, & qualibet alia passio voluntarium augebit potius quam minuet. Quia experimento constat ea, quæ ex passione *deliberate* appetimus, efficacius appetere. Hinc contractus facti spe acquirendi aliquod lucrum validi sunt. Spes enim hæc non minuit voluntarium: sed auget & liberum non tollit. Demum extorta *blanditiis*, & amatoriis verbis obnoxia restitutioni non sunt. Ac proin si Meretrices blandis verbis aliquid extorqueant, restituere jure nat. non tenentur, quia nullo modo inferunt involuntarium. Secus si metu injusto per injuriam extortum fuisset, tunc enim consensus per injuriam extortus daret causam contractui juxta superius dicta.

§. VI.

## §. VI.

### *Quo sensu intelligendum sit vulgare illud:* primi impetus non sunt in nostra potestate?

204. UT assertum vulgare verum sit; intelligendum est de *primo primis impetibus* &c. motibus, qui omnem prorsus rationis advertentiam præveniunt, & neque in se ipsis saltem antecedenter, neque in sua causa deliberate posita voliti, aut sufficienter prævisi erant. Cum enim motus concupiscentiæ indeliberati & rationem prævenientes modo explicato non sint voluntarii, nequeunt esse peccata formalia; seu quæ homini eos motus non volenti imputentur. Lex enim naturalis non aliter nos in actu secundo obligat, nisi quatenus per dictamen rationis practicum fuerit nobis intimata; recte igitur dicuntur esse *primo primi* motus & non esse in nostra potestate. Hinc Concil. Trid. *S.* 5. *decr. de peccat. original.* §. 5. *de concupiscentia in baptizatis remanente* addit: *Quæ* concupiscentia *cum ad agonem relicta sit, nocere non consentientibus, sed viriliter repugnantibus non valet*. Recentius quoque damnatus est Jansenii error, quo ille *l.* 2. *de stat. nat. laps. cap.* 25. *col.* 14. falso asseruit, *per præceptum non concupisces, ipsi motus concupiscentiæ intelliguntur prohiberi*. Et in suo indice *ad tom.* 2. expresse ait: *Concupiscentiæ motus indeliberati sunt peccata*. Quæ Rigoristæ hujus commenta si vera essent, vix aliquis ex adultis salvus foret.

Cum vero hæc, quæ statuimus, pro foro *interno* locum habeant; hinc quod Judex ultimo supplicio nihilominus plectat eos, qui in gravi v. g. ebrietate, vel ex primo impetu homicidium perpetrarunt, ille ut plurimum recte agit, quia defectus advertentiæ pro *foro externo* non præsumitur, & alias laxarentur habenæ omnibus criminibus, si exceptio deliberationis, oblivionis &c. locum haberet. Jus igitur naturale non læditur hujusmodi justitiæ administratione, præsertim cum non minus homicidium, quam causa vel occasio ejusdem, scilicet ebrietas, in qua illud prævideri potuit & debuit, sit jure nat. prohibita. Ad prudentiam tamen Judicis spectabit dispicere, an homicida ejusmodi ab alio ad ebrietatem hanc inductus aut coactus sit, ut præter suum morem graviter inebriaretur: an a suo adversario exa-

exacerbatus violentas in eum manus injecit? &c. his enim & similibus casibus æquitas nat. mitiorem pœnam infligendam suadet.

## CAPUT IV.

*De statu ac fine naturæ humanæ, legisque naturalis.*

EXposuimus jam effectus legis naturalis, sequitur examinandum: effectus illi ad quem finem colliment; quæ utilitas nobis sit ex observantia juris nat. & an circumstantiæ status naturæ humanæ minuant, vel conferant aliquid ad legem hanc implendam & consequendum finem naturæ rationali præfixum.

### ARTICULUS I.

*De statu humano in genere.*

### SUMMARIUM.

205. &c. *Definitur & dividitur status hominum.*
207. &c. *Definitur & dividitur status naturæ.*
211. &c. *An status naturæ dicat vitam exlegem?*
213. &c. *An status in statu sit monstrum?*
217. &c. *An, & qualis corruptio naturæ ex peccato Adami secuta sit?*
219. *Natura lapsa per peccatum originale non est* intrinsece *infirmior facta.*
220. &c. *An hodie in statu naturæ reparatæ sola lex nat. adæquata sit* regula objectiva *morum?*
223. &c. *Quomodo intelligendum sit vulgare illud:* lex nat. semper est eadem?
225. &c. *An Jus nat. discendum sit pro statu* puræ naturæ?
228. *Leibnicii elegans responsio ad hanc quæstionem, & justa censura Puffendorfiani Juris nat. simul ac judicium illius de usu moderno juris nat. abstracti. Desideravit ille ut Jus nat. explicaretur juxta doctrinam Christianorum.*
229. &c. *Satisfit contrariis Naturalistarum rationibus.*
232. *An in statu naturæ homines secundum solam legem nat. vixerint?*

§. I.

§. I.

*Quid, & quis sit status hominum?*

205. I.) Status hominis est *certa conditio seu ratio per se stabilis vivendi*. Ita dicuntur vivere nonnulli in statu Ecclesiastico, religioso, matrimoniali, sæculari &c. Status generice spectatus duplex consideratur, *primigenius* & *adventitius*. Status naturæ & hominum *primigenius*, seu primis Parentibus nostris Adamo & Evæ *congenitus* ac *mere naturalis* est ille, quem homo habet *ab ipsa & sola natura*, independenter a facto alio libertatis congenitæ restrictivo. Exemplum primigenii hujus status præbent iidem Protoplastæ nostri Adamus & Eva, prout considerantur positi a DEO in rerum natura instructi facultatibus necessariis ad finem sibi proprium quærendum. Atque vi hujus status primigenii dicuntur omnes homines sibi esse *æquales*, neque alterius, quam solius Creatoris sui arbitrio & legibus cordi inscriptis subjecti.

II.) Status *adventitius*, seu qui naturali advenit, est conditio hominis in certis circumstantiis per factum sive proprium, sive alienum constituti, vi cujus obligatur ad certa officia in specie exhibenda, ad quæ non fuisset obligatus, si mansisset in statu naturali primigenio: habet quoque certa jura, alioqui non habenda, si hic & nunc non esset in hoc statu. Exemplum status hominum *adventitii* præbet status *societatis humanæ generalis*, quem unusquisque libere eligit, sive militiam militando, sive Religionem intrando, publicis aut privatis negotiis dando operam &c. Hic ipse *adventitius* status alius est *simplex*, qui scilicet non habet subjectos sibi alios minores aut diversos status. Talis est *societas conjugalis*, *societas familiæ*, seu œconomicus status, *status herilis*, & alii, qui dicuntur status adventitii simplices. Sicut a contrario alius est *compositus* seu *complexus* status, qui alios sub se habet, diciturque *societas composita*, constituens statum *adventitium compositum*. Hæc sub se diversos alios status societatum continet, uti est Respublica, Civitas, Ecclesia universalis &c. singulæ enim hæ societates continent sub se alios diversos status, qui dici solent *societas societatum*, aut *status in statu*.

206. III.) Quicunque autem fuerit status *adventitius* simplex vel compositus, ejus semper eædem sunt

pro-

proprietates. Scilicet 1.) Quod naturalem primigeniam obligationem nunquam tollat, cum hanc ex supra dictis immutabilem esse constet. 2.) Plerumque tamen status *adventitius* aliquid *extrinsece* addit, vel detrahit obligationi naturali, quatenus scilicet circumstantiæ extrinsecæ actus jure nat. præcepti vel prohibiti novæ accedunt, vel priores recedunt, & sic materia legis mutatur. Res pateat in exemplo. Ita enim ille qui uxorem duxit, cum non desinat esse homo, non desinit quoque subesse juri naturali, cui antea subditus erat: nihilominus detrahitur illius materiæ aliquid propter novas circumstantias: Primo enim *libertas* ipsi a Jure nat. *concessa* jam *restricta* est per vinculum matrimoniale, nec amplius permissum alium vitæ statum cum priore incompossibilem eligere, aut vitam solitariam vivere, quamdiu igitur manet in societate conjugali, debet omittere socius, quæ non omisisset solus. Secundo, *additur* dein aliqua nova naturalis obligatio, qua prius non tenebatur, scilicet amor specialis suæ conjugis, cura, auxilium & educatio prolis, regimen familiæ domesticæ, & ea omnia, quæ statum conjugis, Patris, ac Heri concernunt. Hinc licet omnia officia naturalia generice spectata manserint eadem, quæ fuissent in statu naturali *primigenio*: illa tamen in multis sunt mutata *extrinsece* accedente statu adventitio. 3.) Proprietas est, quod non omnis etiam stabilis mutatio faciat statum adventitium: sed illa sola, quæ bona est, seu apta ad finem naturæ humanæ obtinendum. Cum vero status *adventitius* nullus esse possit sine aliquo Superiore; sequitur, quod æqualitas hominum illa, quæ fuit spectato jure naturæ primigenio amittat suum æquilibrium; & unus alteri subordinetur. Multæ proin obligationes naturales in sua specie de novo accedunt, quæ ut impleantur, debet attendi ad leges Superioris legitimi, hæ enim interpretantur & declarant naturales obligationes circa officia statui adventitio convenientia, quales sunt obligationes circa varios contractus, promissiones, juramenta, vota, restitutiones &c. Hinc merito ridentur illi Naturalistæ, qui Jus nat. quo ad omnia ejus præcepta, & *pro omni humano statu* ex sola ratione naturali, exclusis aliis omnibus adminiculis docere non dubitant.

§. II.

## §. II.

### *Quid & quotuplex sit status naturæ?*

207\. I.) Habita aliqua status hominum notitia, statum naturæ exponendum aggredimur, qui triplex consideratur, scilicet naturæ puræ, integræ, & lapsæ. Status *naturæ puræ*, seu meræ est ille, qui concipitur & absque peccato originali, & absque ordinatione ad beatitudinem supernaturalem. Seu, in quo homo absque peccato originali existens habuisset quidem omnes facultates naturæ humanæ proprias: sed tamen sine ordinatione sui ad finem, seu beatitudinem supernaturalem per gratias supernaturales obtinendam, ita ut servatis naturæ legibus non aliam, quam mere naturalem & suo statui proportionatam felicitatem attigisset, iis vero non servatis eadem excidisset. Hic status naturæ *puræ* nec est, nec fuit, nec erit, est tamen & fuit possibilis, eo quod nullam involvat repugnantiam. Esset enim conformis perfectissimo dominio DEI, qui potest creaturam ordinare ad hunc vel alium finem, quin teneatur eam assumere ad filiationem cum jure hereditatis æternæ, & quod immunitas a morte, rebellione concupiscentiæ &c. non sint proprietas naturæ: sed dotes originalis justitiæ, ut certum est contra *Bajum* &c.

208\. II.) Status naturæ *integræ* seu innocentis, qui etiam *elevatæ* dicitur, est ille, in quo Adam a DEO creatus est in statu conformiter ad creationis finem perfecto, nedum corporis & animæ dotibus naturalibus: sed etiam supernaturalibus instructus; nempe habuit gratiæ sanctificantis habitum infusum, ac cum hoc alia dona potentias animæ ornantia accepit. Hinc voluntas fuit prædita caritate & spe beatitudinis futuræ supernaturalis: intellectus illustratus de mysteriis supernaturalibus quo *ad Divinitatem* &c. Hic accessit *specialis* providentia DEI cum immunitate ab errore, rebelli concupiscentia & morte, dein cum perfecta subjectione appetitus, aliarumque facultatum sensitivarum ad rectam rationem, & ipsius rationis ad DEUM, qua finem ultimum, cum exemptione a doloribus, & cæteris infirmitatibus corporis.

209\. III.) Status naturæ *lapsæ* est ille, in quo Adam justitiam originalem & integritatem in sui creatione acce-

ptam

ptam perdidit per peccatum, incepitque hic status a tempore prævaricationis. Hic consideratur prout naturæ lapsæ nondum reparatæ a Christo, & reparatæ. Demum idem status naturæ *lapsæ non reparatæ* cogitari potest aut respectivæ *ad legem nat.* aut ad *legem scriptam*. Statutus naturæ lapsæ *non reparatæ*, in quo homines vivebant *secundum legem nat.* & lumen rationis, duravit ab Adami peccato usque *ad diluvium*, & ab hoc usque *ad Moysen*, ubi DEUS legem in tabulis lapideis scriptam dedit. Status naturæ *lapsæ non reparatæ* respective ad legem *scriptam* consideratus duravit a Moyse usque ad Christum Dominum nostrum.

Itaque ab Adamo usque ad Moysen dicebatur *status naturæ*, eo quod homines sine lege scripta, naturali lumine eos dirigente viverent: Non tamen status fuit *puræ naturæ*; neque *naturæ non elevatæ*. Et quando Auctores dicunt: *status naturæ*, intelligendus est ille status ab Adamo ad Moysen, in quo sola ut plurimum lege nat. regebantur homines post lapsum ejusdem naturæ. Similiter ubi iidem mentionem faciunt *status naturæ non elevatæ*; intelligendi sunt loqui tantum in hypothesi, nempe: si daretur status puræ naturæ supra explicatus non elevatæ ad beatitudinem supernaturalem. Fæde enim errant *Protestantici*, qui cum Hobbesio, Puffendorfio & aliis imperite supponunt extitisse aliquando, vel existere naturam humanam ita *non elevatam*.

210. Quod itaque modernum statum concernit, hic est quidem status *naturæ lapsæ*: sed jam reparatæ per gratiam Salvatoris, hinc non dicitur amplius *status naturæ*: neque status *Legis scriptæ*: sed status *naturæ reparatæ*: status *Gratiæ*, eo quod gratia vicerit naturam per Christum reparatam quo ad infirmitatem *culpę*, licet non quoad infirmitatem *concupiscentię*, & *mortalitatis*, cum reliquis eam consequentibus vitæ hujus miseriis, a quibus contra naturæ exigentiam DEUS decreverat hominem servandum immunem, si non peccasset. Hæc circa diversitatem status naturæ si non ignorassent heterodoxi Naturalistæ, non ita turpiter halucinati fuissent, ubi de beatitudine naturali pro statu naturæ *elevatæ* ac *reparatę* ita loquuntur, ac si locuti fuissent, si in statu *purę* naturæ vixissemus, & præter *primigenium* nullus adventitius status naturalis hic & nunc daretur.

§. III.

## §. III.

### *An ſtatus naturę dicat vitam exlegem? Et an ſtatus in ſtatu ſit monſtrum; ut fingunt Proteſtantes?*

211. I.) IN hypotheſi ſi nunc viveremus in ſtatu *primigenio*, ſeu *mere naturali*, in quo vixerunt Protoparentes noſtri, eorumque deſcendentes, priuſquam hi Principem ſibi conſtituiſſent; certum eſt, quod ſtatus hic diceret vitam *exlegem poſitive*, id eſt nulli ſubjectus foret legi poſitivæ, *humanę* præſertim. Status enim *mere naturalis* ſeu *primigenius*, cum ex ſuo conceptu, ratione congenitæ libertatis denotet vitam omni lege *humana* exemptam, conſequens eſt eum huic non ſubjacere, quia hæc cum ſit *naturalis ęqualitatis & libertatis* congenitæ reſtrictiva, deberet infringere pleraque a jure naturæ conceſſa privilegia, & Rempublicam humanam omni ſuperioritate creata & ejus præceptis liberam ſubmitteret jugo obedientiæ hominis, quod repugnaret æqualitati ac libertati naturali. Nihilominus etiam in eadem hypotheſi ſtatus *primigenii & mere naturalis* humanum genus non eſſet exlex a *jure naturali*, nempe adhuc deberet neceſſario ſubeſſe legi naturali præcipienti & prohibenti. Hæc enim cum neceſſario imperet, nullà temporis & ſtatus circumſtantia extingui, aut ſuſpendi poteſt, quin obligare pergat, quamdiu genus humanum exiſtet. Imo non eſſet conveniens naturæ humanæ ita exlegem fieri, ut neque naturalibus præceptis obligetur, non enim ſaperet ſupra bruta rationis expertia, neque actus ſuos exerceret humano modo, ſiquidem eos non conformáret morum regulæ ab Auctore naturæ cordibus humanis inſcriptæ. Tanto minus autem nunc in ſtatu *adventitio* ſocietatis humanæ ſub Principibus & Magiſtratibus qua Eccleſiaſticis, qua Politicis conſtitutum genus humanum vitam exlegem ducere poteſt, cum non minus naturalibus, quam Divinis poſitivis & humanis legibus obſtringatur.

212. Nec obſtat, quod etiam in ſtatu quo nunc vivimus, poſſibile ſit dari *ſtatum* hominum *naturalem* ſaltem in *particulari*, eo quod a primis ſæculis extiterint, & nunc exiſtant multi, qui ſeu interveniente morte, ſeu conſenſu mutuo ſoluti erant & ſunt non modo patria, ſed & omni alia poteſtate humana, quales ſunt abſolutiſſimi Principes qui

qui solum DEUM superiorem agnoscunt, ac non pauci forte alii in silvis nati ac educati, in quorum notitiam nulla hucusque lex humana aut creati superioris auctoritas pervenit, Nam ex hac instantia nondum sequitur in præsenti providentia & statu *adventitio* dari quempiam exlegem. Primo enim obligantur hujusmodi homines jure nat. quod vero expertes sint legis ullius positivæ humanæ, est mere *per accidens*, neque ignorantia hæc potest constituere statum *per se* naturalem & primigenium. Deinde quod *absoluti* Principes ne quidem vi directiva, ut communius docetur, sui Regni, vel Territorii obligentur legibus *suis* civilibus extra casum *scandali & injustitiæ*, qualis esset in contractibus, rerum pretio, mensuris &c. id non provenit a Jure nat. sed ex defectu Superioris creati, qui illis imperare possit. Quidquid autem sit de lege humana, procul omni dubio nullus est immunis a lege *Divina positiva*, illa saltem, quæ præcipit aliqua *necessitate medii* necessaria, qualis est v. g. de baptismo suscipiendo, de qua ille indagare tenetur, ac ad supernam providentiam spectat, eam unicuique adulto mentis compoti, facienti quod est in se viribus gratiæ, quæ omnibus prompta est, notam perfectamque facere: quæ vel sola ratio sufficit ad demonstrandam falsitatem, quod in statu naturæ elevatæ possit dari status exlex, & saltem ab omni lege positiva etiam divina immunis.

213, II.). Ad alteram quæsiti partem affirmative respondent Protestantium Naturalistæ, qui ut perniciosum & homine usu rationis prædito indignum errorem suum inter Sciolos, & Catholicæ Religionis inimicos spargant, asserere non verentur: *statum in statu esse monstrum*, id est rectæ rationi repugnare ut in una eademque Republica, Imperio, aut Regno vel Civitate detur alius status *Politicus*, alius *Ecclesiasticus*, qui politico ac civili non sit *quo ad omnia*, ad similitudinem subditorum laicorum subordinatus. Hinc generatim concludunt; Religionem Christianam esse tantum *Collegium in statu civili*, non vero statum in statu. Sed quam frivole & imperite ab illis hæc dicta sint, inde colligere licebit. I.) Respublica universa, Imperium, Regnum secundum totam collectionem hominum spectatum est *status* hominum *adventitius compositus*, seu complexus, qui ex suo conceptu dicit plures alios status, ex quibus ille coalescit tanquam totum ex suis partibus, diciturque *Societas societatum*, quod idem est ac *status in statu*:

Atqui

Atqui status compositus seu complexus non tollit statum aliarum societatum simplicium, sed non nisi in aliquibus restringit, in aliquibus addit aliquid, nonnullis nec addit quidpiam, nec eos diminuit: Nihil igitur est, quod rectæ rationi repugnet, si in una Republica tanquam societate & statu *composito* coalito ex pluribus diversis, etiam Religio Christiana, ac Ecclesia Fidelium numero constans & legibus separatis munita, sit & dicatur *status simplex* in statu composito, seu societas Fidelium in *societate* ex pluribus aliis statibus *complexa*:

Imo rectæ rationi potius repugnaret, si daretur status adventitius *compositus*, & tamen nullos status alios in se contineret, pari ratione ac repugnat dari totum physicum, aut ex pluribus aggregatum, & tamen sine suis partibus. 2.) Fœderati *Belgæ* a duobus fere sæculis faciunt statum *compositum*, & tamen revera sunt status plures in unum coaliti, sunt igitur *status in statu*: Serenissimi item ac potentissimi Electores S. R. Imperii singuli cum Gente illis subdita sunt status in statu Imperii Germanici tanquam unius complexæ societatis. Imo in unaquaque Republica tanquam statu composito reperiuntur status Conjugalis, Familiæ, seu Oeconomicus, Herilis, Militaris, Politicus &c. tanquam status simplices contenti in statu generali. 3.) Hæc cum evidentia sint, præcipuum adhuc momentum præbet *Religio vera* Christiana, ex eo, quod cum revelata & supernaturalis sit, sit verus *status adventitius* hominis: Est enim *certa & stabilis ratio vivendi* superveniens naturæ, facto DEI revelantis & hominis credentis. Est quoque illa status *adventitius* superadditus societatibus aliis omnibus tam simplicibus quam complexis. Vix enim Puffendorfium & ejus sequaces contrariæ opinionis patronos nos latere potest, veram Religionem Christianam supervenisse societatibus hominum, aut carentium religione, aut falsa imbutorum.

214. III.) Neque in contrarium adducta Protestantium argumenta infringunt assertam & demonstratam veritatem. Falsum enim est *primo*.) Quod societas *complexa* absorbeat & tollat societates & status *simplices* in se contentos; cum pateat contrarium in Statibus S. R. Imperii, *unum statum* ejus *complexum* constituentibus, & in societatibus Familiæ, Herilibus, Conjugalibus aliisque, quæ in una eademque Republica aut Civitate manent integræ nec absorptæ. Et experimur in Republica Belgarum. *Holandi* enim socii facti *Ze-*

*landorum* & *Frisiorum* non desierunt esse Respublica, sed tantum in aliquibus renunciarunt libertati pristinæ, & per hoc majorem utilitatem ac perfectionem consecuti sunt, non minus ac *Lithvani* uniti *Polonis*.

Pari ratione, ex quo nationes Germanicæ in unam societatem consenserunt post cruenta bella, manent adhuc singulæ nationes proprii status; cum certum sit nec Bavaros Saxonibus subjectos esse, nec Suevos Bavaris: sed singulis sua separata jura constare, omnes vero tanquam uni novæ ac supervenienti societati conjunctos auspiciis gaudere Imperii Germanici, quæ non omnia conveniunt nationibus singulis: sed simul omnibus.

215. Nihil quoque facit ad rem *secundo*,) quod Ecclesia Christiana non sit a Christo instituta *per modum status*, seu cœtus præditi potestate aliqua externa, sibi propria, ac aliunde non dependente. Ex eo enim id solum sequitur, quod Christus non fuerit *fundator status politici & civilis*, ad felicitatem temporaneam intenti, non vero quod neque fuerit fundator *status Ecclesiastici* ad salutem animarum supernaturalem ordinati, ac non dependentis a statu politico. Neque sequitur ex Protestantium argumentis, *tertio*. Quod si Religio Christiana formaret statum in Republica, derogaret juri Imperantium summo *legitime competenti*: cum jus sacrum ex nullo titulo competat potestati politicæ, ut ostendimus in *Erotem. theor. pract. a. F.* 61. temporali autem Principum regimini non derogare Religionem Christianam, impios si excipias, nullus est qui inficias eat. Neque enim Religio Christiana *vera* perturbat bella eorum, nec potestati legislativæ resistit, dummodo hæc singula naturali & divino juri conformiter fiant, multo minus ad rebellionem in suos Principes commovet populum, vel tributa illis solvenda prohibet: quin imo religiose observat, ut hæc omnia sancte impleantur, ipso Christianæ ac *veræ* Religionis Auctore dicente, & simul statum politicum a statu Religionis distinguente his verbis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO*, Matth. 22.

216. Frustra etiam fingunt *quarto*) Adversarii, sequi ex nostra doctrina, quod si Religio Christiana factura sit statum in statu, debeant in una Civitate *duo oriri summa imperia*, & inde obligationes Civium secum pugnantes. Imperite enim ac perverse dictum est hoc: imperia quippe illa non in eodem: sed *in diverso genere* esse, vix aliquis, præter inimi-

cos

cos sanctæ Ecclesiæ, ita rudis est, qui nesciat: Consequens autem est, quod Civium obligationes cum tendant ad *diversa objecta*, minime sibi invicem opponantur, nam *hoc faciendum, & illud non omittendum*. Non igitur per hanc status Ecclesiastici a Politico distinctionem convellitur compages civilis vitæ, vel perturbatur tranquillitas publica, *si servetur subordinatio* de jure debita, ac Novatores, Libertini aliique sub Christiano nomine *veræ* Religionis Christianæ hostes eidem rebelles compescantur. Prout non fuit convulsa aut perturbata tranquillitas publica S. R. Imp. a tempore *Caroli Magni* super duplici statu politico & Ecclesiastico fundati; neque perturbaretur unquam, nisi *autonomica* libertas cum Luthero aliisque Sectariis e tenebris prorepsisset. Pluribus de his tractare ad Polemicos spectat, qui futiles Puffendorfii, Pfaffii, Henningii & similium Novatorum cavillationes jam dudum protriverunt.

## §. IV.

### *An, & qualis corruptio naturæ ex peccato Protoparentum nostrorum consecuta sit?*

217. Quia status *naturæ lapsæ* intelligi a Juris naturalis studioso nequit sine aliqua notione corruptionis ejus, & inde promanantium effectuum, hinc quantum nostrum forum permittit, paucis hac de re innuere placuit; hoc præsertim fine, ne Protestantium Naturalistarum a Lutheri, Calvini, Illyrici, & Pelagianorum hæresi mutuatis erroribus scatentia commentaria Juris nat. ad incitas & interitum deducant incautos Lectores.

Certum itaque sit, naturam hominis per peccatum Adæ *aliquo modo* fuisse corruptam, vitiatam, infirmatam, & debilitatam, docente D. Th. 1. 2. *q. 80. a. 3.* Totus autem corruptionis hujus effectus consistit *in pœnis*, quas peccatum illud originale traxit, & in Adami posteros *moraliter* cum suo effectu transfusum est. Pœnæ hæ variæ fuerunt I.) Quo *ad animam* privatio gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium: Item vulnera præcipuarum potentiarum, intellectus, voluntatis, memoriæ, appetitus concupiscibilis & irascibilis. II.) Quo ad *corpus*, mors, morbi, dolores, tædia & passiones aliæ afflictivæ. III.) His additæ pœnæ *quasi extrinsecæ*: inimicitia DEI, servitus dæmonis, persecutio hominum, subjecto variis

 infor-

Infortuniis, amissio *dominii jurisdictionis* in bestias, quas nunc nonnisi per vim capere possumus, alioqui sua sponte voci nostræ obedituras, calamitates a cælo, elementis &c. IV.) Secuta demum pœna alterius vitæ pedissequa, quam vocant *damni* respectu visionis beatificæ: non tamen *sensus* respectu tartarei ignis, ut probabilius docetur, nisi præter originale fuerit etiam actuale peccatum non deletum.

218. Corruptio hæc ita per suos effectus explicata dissolvit ac destruxit totam illam harmoniam quam justitia originalis tanquam donum quoddam divinum, & naturæ *indebitum* cum ordine supernaturali efficiebat in homine; ut scilicet & corpus animæ sine morbis ac moriendi necessitate, & sensualitas rationi sine inordinatione concupiscentiæ, & ratio ac voluntas DEO sine peccato ac peccandi *morali* necessitate plene subjiceretur.

Sequitur ex his: naturam humanam per peccatum originale non solum spoliatam *donis gratiæ*, seu sibi soli relictam fuisse, verum etiam extitisse vulneratam in suis *naturalibus bonis*, non quidem *corruptione interna* principii physici, seu arbitrii liberi: sed tantum *mere externe*, & hoc sensu: quod sit positive indigna, adeoque destituta *speciali* protectione DEI, & auxiliis *ordinis naturalis*, quæ naturæ integræ essent naturaliter debita, saltem debito quodam *morali* fundato in eo, quod sapientissimam DEI providentiam non deceat naturam rationalem innocentem destituere præsidiis, quibus posset finem suum naturalem, non solum physice: sed etiam *moraliter* & facile assequi.

Ex hac autem vulneratione sequitur *intellectus* nostri *ignorantia*, non talis, quasi nullum practicum verum naturaliter cognoscere possimus, ut Sectarii erronee putant; sed quod multa ignoremus, quæ si peccatum Adæ non fuisset, per fidem & prudentiam infusam, aliisve modis cognovissemus. Dein oritur *voluntatis* nostræ *major ad malum proclivitas*, memoriæ *debilitas* &c. In corpore etiam nostro major intemperies humorum, ex qua sequitur inordinatio operationum animæ. Et quod dolendum est! in statu naturæ lapsæ dæmones magis in genus humanum desæviunt, tum in pœnam originalis peccati, DEO id permittente: tum ex maiori eorum odio in hominem, cui invident elevationem ad finem supernaturalem, &c.

219. His tamen omnibus nil obstantibus natura lapsa per peccatum originale non est in se *intrinsece* infirmior, spectan-

stando vires naturæ integræ debitas, cum nihil perdiderit de viribus arbitrii liberi. Et sicut *Angelos* peccatum spoliavit quidem *donis gratiæ*, reliquit tamen illis omnia naturalia, ita similem sortem expertus est homo in sua prævaricatione, ut proin *natura lapsa* non aliter differat a *natura integra*, seu ante lapsum spectata, quam differt homo nudus ab homine vestibus pretiosis spoliato, & plagis affecto. Vulnera quippe enumerata cum sint mere *extrinseca*, statui ejus intrinseco nihil detrahere possunt: sed solum majorem difficultatem ad bonum, facilitatem autem ad malum, cum reliquis vitæ miseriis secum trahunt.

## §. V.

*An hodie in statu naturæ reparatæ, quo vivimus, sola lex nat. pro adæquata objectiva morum regula habenda sit?*

220. Affirmative quidem & audacter respondent Protestantes Naturalistæ secuti Puffendorfium, qui *l.* I. *de Offic. homin. c.* 4. *§.* 8. in appendice ad *Epist. Scherzerianam* circa *fin. F. m.* 90. asserit religionem naturalem intra vitæ terminos conclusam ita, ut *ea sola* hominem perfecte beatum naturaliter faciat. Hinc *Kemmerichius* ejus enucleator in *Elem. J. N. & G. c.* 4. infert: *Solam legis nat. observantiam, siquidem perfecta foret*, suffecturam *ad felicitatem hujus*, NB. *& FUTURÆ VITÆ*. Nec aliter sentit *VVernherus, Fleischerus* & alii *Puffendorfiani* paraphrastæ, eo collimantes, ut incautos Lectores in baratrum interitus æterni una secum deducant; persuadeantque iis, præcepta *positiva* Divina, & Ecclesiastica flocci pendenda, vitamque ita instituendam, quomodo ordinanda foret, si nunc in statu *puræ naturæ* ad finem supernaturalem non elevatæ, sine lege positiva divina & humana viveremus. Verbo: Novatores prætextu Juris nat. eo suas technas dirigunt, ut nedum Ethnicos & Infideles: sed totum etiam orbem Christianum ab omni lege positiva abstrahant, iisque *Indifferentissimum, Naturalismum, Deismum, Atheismum* & si quid aliud post Lutheri & Calvini errores insolens & absurdum est, persuadeant, quatenus ita solum credant, vivant, & sentiant, sicut illis *recta* (ut ipsi putant) *ratio naturalis dictat*.

221. Verum crassæ ignorantiæ mixtum errorem hunc da-

ptam perdidit per peccatum, incepitque hic status a tempore prævaricationis. Hic consideratur prout naturæ lapsæ nondum reparatæ a Christo, & reparatæ. Demum idem status naturæ *lapsæ non reparatæ* cogitari potest aut respectivæ *ad legem nat.* aut ad *legem scriptam*. Statutus naturæ lapsæ *non reparatæ*, in quo homines vivebant *secundum legem nat.* & lumen rationis, duravit ab Adami peccato usque *ad diluvium*, & ab hoc usque *ad Moysen*, ubi DEUS legem in tabulis lapideis scriptam dedit. Status naturæ *lapsæ non reparatæ* respective ad legem *scriptam* consideratus duravit a Moyse usque ad Christum Dominum nostrum.

Itaque ab Adamo usque ad Moysen dicebatur *status naturæ*, eo quod homines sine lege scripta, naturali lumine eos dirigente viverent: Non tamen status fuit *puræ naturæ*; neque *naturæ non elevatæ*. Et quando Auctores dicunt: *status naturæ*, intelligendus est ille status ab Adamo ad Moysen, in quo sola ut plurimum lege nat. regebantur homines post lapsum ejusdem naturæ. Similiter ubi iidem mentionem faciunt *status naturæ non elevatæ*; intelligendi sunt loqui tantum in hypothesi, nempe: si daretur status puræ naturæ supra explicatus non elevatæ ad beatitudinem supernaturalem. Fœde enim errant *Protestantici*, qui cum Hobbesio, Puffendorfio & aliis imperite supponunt extitisse aliquando, vel existere naturam humanam ita *non elevatam*.

210. Quod itaque modernum statum concernit, hic est quidem status *naturæ lapsæ*: sed jam reparatæ per gratiam Salvatoris, hinc non dicitur amplius *status naturæ*: neque status *Legis scriptæ*: sed status *naturæ reparatæ*: status *Gratiæ*, eo quod gratia vicerit naturam per Christum reparatam quo ad infirmitatem *culpę*, licet non quoad infirmitatem *concupiscentię*, & *mortalitatis*, cum reliquis eam consequentibus vitæ hujus miseriis, a quibus contra naturæ exigentiam DEUS decreverat hominem servandum immunem, si non peccasset. Hæc circa diversitatem status naturæ si non ignorassent heterodoxi Naturalistæ, non ita turpiter halucinati fuissent, ubi de beatitudine naturali pro statu naturæ *elevatæ* ac *reparatę* ita loquuntur, ac si locuti fuissent, si in statu *purę* naturæ vixissemus, & præter *primigenium* nullus adventitius status naturalis hic & nunc daretur.

§. III.

## §. III.

*An status naturę dicat vitam exlegem? Et an status in statu sit monstrum; ut fingunt Protestantes?*

211. I.) IN hypothesi si nunc viveremus in statu *primigenio*, seu *mere naturali*, in quo vixerunt Protoparentes nostri, eorumque descendentes, priusquam hi Principem sibi constituissent; certum est, quod status hic diceret vitam *exlegem positive*, id est nulli subjectus foret legi positivæ, *humanę* præsertim. Status enim *mere naturalis* seu *primigenius*, cum ex suo conceptu, ratione congenitæ libertatis denotet vitam omni lege *humana* exemptam, consequens est eum huic non subjacere, quia hæc cum sit *naturalis ęqualitatis & libertatis* congenitæ restrictiva, deberet infringere pleraque à jure naturæ concessa privilegia, & Rempublicam humanam omni superioritate creata & ejus præceptis liberam submitteret jugo obedientiæ hominis, quod repugnaret æqualitati ac libertati naturali. Nihilominus etiam in eadem hypothesi status *primigenii & mere naturalis* humanum genus non esset exlex a *jure naturali*, nempe adhuc deberet necessario subesse legi naturali præcipienti & prohibenti. Hæc enim cum necessario imperet, nullâ temporis & status circumstantia extingui, aut suspendi potest, quin obligare pergat, quamdiu genus humanum existet. Imo non esset conveniens naturæ humanæ ita exlegem fieri, ut neque naturalibus præceptis obligetur, non enim saperet supra bruta rationis expertia, neque actus suos exerceret humano modo, siquidem eos non conformaret morum regulæ ab Auctore naturæ cordibus humanis inscriptæ. Tanto minus autem nunc in statu *adventitio* societatis humanæ sub Principibus & Magistratibus qua Ecclesiasticis, quà Politicis constitutum genus humanum vitam exlegem ducere potest, cum non minus naturalibus, quam Divinis positivis & humanis legibus obstringatur.

212. Nec obstat, quod etiam in statu quo nunc vivimus, possibile sit dari *statum* hominum *naturalem* saltem in *particulari*, eo quod a primis sæculis extiterint, & nunc existant multi, qui seu interveniente morte, seu consensu mutuo soluti erant & sunt non modo patria, sed & omni alia potestate humana, quales sunt absolutissimi Principes

 qui

qui solum DEUM superiorem agnoscunt, ac non pauci forte alii in silvis nati ac educati, in quorum notitiam nulla hucusque lex humana aut creati superioris auctoritas pervenit. Nam ex hac instantia nondum sequitur in præsenti providentia & statu *adventitio* dari quempiam exlegem. Primo enim obligantur hujusmodi homines jure nat. quod vero expertes sint legis ullius positivæ humanæ, est mere *per accidens*, neque ignorantia hæc potest constituere statum *per se* naturalem & primigenium. Deinde quod *absoluti* Principes ne quidem vi directiva, ut communius docetur, sui Regni, vel Territorii obligentur legibus *suis* civilibus extra casum *scandali* & *injustitiæ*, qualis esset in contractibus, rerum pretio, mensuris &c. id non provenit a Jure nat. sed ex defectu Superioris creati, qui illis imperare possit. Quidquid autem sit de lege humana, procul omni dubio nullus est immunis a lege *Divina positiva*, illa saltem, quæ præcipit aliqua *necessitate medii* necessaria, qualis est v. g. de baptismo suscipiendo, de qua ille indagare tenetur, ac ad supernam providentiam spectat, eam unicuique adulto mentis compoti, facienti quod est in se viribus gratiæ, quæ omnibus prompta est, notam perfectamque facere: quæ vel sola ratio sufficit ad demonstrandam falsitatem, quod in statu naturæ elevatæ possit dari statùs exlex, & saltem ab omni lege positiva etiam divina immunis.

213, II.) Ad alteram quæsiti partem affirmative respondent Protestantium Naturalistæ, qui ut perniciosum & homine usu rationis prædito indignum errorem suum inter Sciolos, & Catholicæ Religionis inimicos spargant, asserere non verentur: *statum in statu esse monstrum*, id est rectæ rationi repugnare ut in una eademque Republica, Imperio, aut Regno vel Civitate detur alius status *Politicus*, alius *Ecclesiasticus*, qui politico ac civili non sit *quo ad omnia*, ad similitudinem subditorum laicorum subordinatus. Hinc generatim concludunt; Religionem Christianam esse tantum *Collegium in statu civili*, non vero statum in statu. Sed quam frivole & imperite ab illis hæc dicta sint, inde colligere licebit. I.) Respublica universa, Imperium, Regnum secundum totam collectionem hominum spectatum est *status* hominum *adventitius compositus*, seu complexus, qui ex suo conceptu dicit plures alios status, ex quibus ille coalescit tanquam totum ex suis partibus, diciturque *Societas societatum*, quod idem est ac *status in statu*:

Atqui

Atqui status compositus seu complexus non tollit statum aliarum societatum simplicium, sed non nisi in aliquibus restringit, in aliquibus addit aliquid, nonnullis nec addit quidpiam, nec eos diminuit: Nihil igitur est, quod rectæ rationi repugnet, si in una Republica tanquam societate & statu *composito* coalito ex pluribus diversis, etiam Religio Christiana, ac Ecclesia Fidelium numero constans & legibus separatis munita, sit & dicatur *status simplex* in statu composito, seu societas Fidelium in *societate* ex pluribus aliis statibus *complexa*:

Imo rectæ rationi potius repugnaret, si daretur status adventitius *compositus*, & tamen nullos status alios in se contineret, pari ratione ac repugnat dari totum physicum, aut ex pluribus aggregatum, & tamen sine suis partibus. 2.) Fæderati *Belgæ* a duobus fere sæculis faciunt statum *compositum*, & tamen revera sunt status plures in unum coaliti, sunt igitur *status in statu*: Serenissimi item ac potentissimi Electores S. R. Imperii singuli cum Gente illis subdita sunt status in statu Imperii Germanici tanquam unius complexæ societatis. Imo in unaquaque Republica tanquam statu composito reperiuntur status Conjugalis, Familiæ, seu Oeconomicus, Herilis, Militaris, Politicus &c. tanquam status simplices contenti in statu generali. 3.) Hæc cum evidentia sint, præcipuum adhuc momentum præbet *Religio vera* Christiana, ex eo, quod cum revelata & supernaturalis sit, sit verus *status adventitius* hominis: Est enim *certa & stabilis ratio vivendi* superveniens naturæ, facto DEI revelantis & hominis credentis. Est quoque illa status *adventitius* superadditus societatibus aliis omnibus tam simplicibus quam complexis. Vix enim Puffendorfium & ejus sequaces contrariæ opinionis patronos nos latere potest, veram Religionem Christianam supervenisse societatibus hominum, aut carentium religione, aut falsa imbutorum.

214. III.) Neque in contrarium adducta Protestantium argumenta infringunt assertam & demonstratam veritatem. Falsum enim est *primo*.) Quod societas *complexa* absorbeat & tollat societates & status *simplices* in se contentos; cum pateat contrarium in Statibus S. R. Imperii, *unum statum* ejus *complexum* constituentibus, & in societatibus Familiæ, Herilibus, Conjugalibus aliisque, quæ in una eademque Republica aut Civitate manent integræ nec absorptæ. Et experimur in Republica Belgarum. *Holandi* enim socii facti *Ze-*

*landorum* & *Frisiorum* non desierunt esse Respublica, sed tantum in aliquibus renunciarunt libertati pristinæ, & per hoc majorem utilitatem ac perfectionem consecuti sunt, non minus ac *Lithvani* uniti *Polonis*.

Pari ratione, ex quo nationes Germanicę in unam societatem consenserunt post cruenta bella, manent adhuc singulæ nationes proprii status; cum certum sit nec Bavaros Saxonibus subjectos esse, nec Suevos Bavaris: sed singulis sua separata jura constare, omnes vero tanquam uni novæ ac supervenienti societati conjunctos auspiciis gaudere Imperii Germanici, quæ non omnia conveniunt nationibus singulis: sed simul omnibus.

215. Nihil quoque facit ad rem *secundo,*) quod Ecclesia Christiana non sit a Christo instituta *per modum status*, seu cætus præditi potestate aliqua externa, sibi propria, ac aliunde non dependente. Ex eo enim id solum sequitur, quod Christus non fuerit *fundator status politici & civilis*, ad felicitatem temporaneam intenti, non vero quod neque fuerit fundator *status Ecclesiastici* ad salutem animarum supernaturalem ordinati, ac non dependentis a statu politico. Neque sequitur ex Protestantium argumentis, *tertio*. Quod si Religio Christiana formaret statum in Republica, derogaret juri Imperantium summo *legitime competenti*: cum jus sacrum ex nullo titulo competat potestati politicæ, ut ostendimus in *Erotem. theor. pract. a.F.61.* temporali autem Principum regimini non derogare Religionem Christianam, impios si excipias, nullus est qui inficias eat. Neque enim Religio Christiana *vera* perturbat bella eorum, nec potestati legislativæ resistit, dummodo hæc singula naturali & divino juri conformiter fiant, multo minus ad rebellionem in suos Principes commovet populum, vel tributa illis solvenda prohibet: quin imo religiose observat, ut hæc omnia sancte impleantur, ipso Christianæ ac *veræ* Religionis Auctore dicente, & simul statum politicum a statu Religionis distinguente his verbis: *Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt DEI, DEO*, Matth. 22.

216. Frustra etiam fingunt *quarto*) Adversarii, sequi ex nostra doctrina, quod si Religio Christiana factura sit statum in statu, debeant in una Civitate *duo oriri summa imperia*, & inde obligationes Civium secum pugnantes. Imperite enim ac perverse dictum est hoc: imperia quippe illa non in eodem: sed *in diverso genere* esse, vix aliquis, præter inimi-

cos

cos sanctæ Ecclesiæ, ita rudis est, qui nesciat: Consequens autem est, quod Civium obligationes cum tendant ad *diversa objecta*, minime sibi invicem opponantur, nam *hoc faciendum, & illud non omittendum*. Non igitur per hanc status Ecclesiastici a Politico distinctionem convellitur compages civilis vitæ, vel perturbatur tranquillitas publica, *si servetur subordinatio* de jure debita, ac Novatores, Libertini aliique sub Christiano nomine *veræ* Religionis Christianæ hostes eidem rebelles compescantur. Prout non fuit convulsa aut perturbata tranquillitas publica S. R. Imp. a tempore *Caroli Magni* super duplici statu politico & Ecclesiastico fundati; neque perturbaretur unquam, nisi *autonomica* libertas cum Luthero aliisque Sectariis e tenebris prorepsisset. Pluribus de his tractare ad Polemicos spectat, qui futiles Puffendorfii, Pfaffii, Henningii & similium Novatorum cavillationes jam dudum protriverunt.

## §. IV.

### *An, & qualis corruptio naturæ ex peccato Protoparentum nostrorum consecuta sit?*

217. Quia status *naturæ lapsæ* intelligi a Juris naturalis studioso nequit sine aliqua notione corruptionis ejus, & inde promanantium effectuum, hinc quantum nostrum forum permittit, paucis hac de re innuere placuit; hoc præsertim fine, ne Protestantium Naturalistarum a Lutheri, Calvini, Illyrici, & Pelagianorum hæresi mutuatis erroribus scatentia commentaria Juris nat. ad incitas & interitum deducant incautos Lectores.

Certum itaque sit, naturam hominis per peccatum Adæ *aliquo modo* fuisse corruptam, vitiatam, infirmatam, & debilitatam, docente D. Th. 1. 2. *q*. 80. *a*. 3. Totus autem corruptionis hujus effectus consistit *in pœnis*, quas peccatum illud originale traxit, & in Adami posteros *moraliter* cum suo effectu transfusum est. Pœnæ hæ variæ fuerunt I.) Quo *ad animam* privatio gratiæ sanctificantis, & aliorum donorum supernaturalium: Item vulnera præcipuarum potentiarum, intellectus, voluntatis, memoriæ, appetitus concupiscibilis & irascibilis. II.) Quo ad *corpus*, mors, morbi, dolores, tædia & passiones aliæ afflictivæ. III.) His additæ pœnæ *quasi extrinsecę*: inimicitia DEI, servitus dæmonis, persecutio hominum, subjecto variis

infortuniis, amifsio *dominii jurifdictionis* in beftias, quas nunc nonnifi per vim capere poffumus, alioqui fua fponte voci noftræ obedituras, calamitates a cælo, elementis &c. IV.) Secuta demum pœna alterius vitæ pediffequa, quam vocant *damni* refpectu vifionis beatificæ: non tamen *fenfus* refpectu tartarei ignis, ut probabilius docetur, nifi præter originale fuerit etiam actuale peccatum non deletum.

218. Corruptio hæc ita per fuos effectus explicata diffolvit ac deftruxit totam illam harmoniam quam juftitia originalis tanquam donum quoddam divinum, & naturæ *indebitum* cum ordine fupernaturali efficiebat in homine; ut fcilicet & corpus animæ fine morbis ac moriendi necefsitate, & fenfualitas rationi fine inordinatione concupifcentiæ, & ratio ac voluntas DEO fine peccato ac peccandi *morali* necefsitate plene fubjiceretur.

Sequitur ex his: naturam humanam per peccatum originale non folum fpoliatam *donis gratiæ*, feu fibi foli relictam fuiffe, verum etiam extitiffe vulneratam in fuis *naturalibus bonis*, non quidem *corruptione interna* principii phyfici, feu arbitrii liberi: fed tantum *mere externe*, & hoc fenfu: quod fit pofitive indigna, adeoque deftituta *fpeciali* protectione DEI, & auxiliis *ordinis naturalis*, quæ naturæ integræ effent naturaliter debita, faltem debito quodam *morali* fundato in eo, quod fapientifsimam DEI providentiam non deceat naturam rationalem innocentem deftituere præfidiis, quibus poffet finem fuum naturalem, non folum phyfice: fed etiam *moraliter* & facile affequi.

Ex hac autem vulneratione fequitur *intellectus* noftri *ignorantia*, non talis, quafi nullum practicum verum naturaliter cognofcere pofsimus, ut Sectarii erronee putant; fed quod multa ignoremus, quæ fi peccatum Adæ non fuifset, per fidem & prudentiam infufam, aliifve modis cognoviffemus. Dein oritur *voluntatis* noftræ *major ad malum proclivitas*, memoriæ *debilitas* &c. In corpore etiam noftro major intemperies humorum, ex qua fequitur inordinatio operationum animæ. Et quod dolendum eft! in ftatu naturæ lapfæ dæmones magis in genus humanum defæviunt, tum in pœnam originalis peccati, DEO id permittente: tum ex maiori eorum odio in hominem, cui invident elevationem ad finem fupernaturalem, &c.

219. His tamen omnibus nil obftantibus natura lapfa per peccatum originale non eft in fe *intrinfece* infirmior, fpectan-

ctando vires naturæ integræ debitas, cum nihil perdiderit de viribus arbitrii liberi. Et sicut *Angelos* peccatum spoliavit quidem *donis gratiæ*, reliquit tamen illis omnia naturalia, ita similem sortem expertus est homo in sua prævaricatione, ut proin *natura lapsa* non aliter differat a *natura integra*, seu ante lapsum spectata, quam differt homo nudus ab homine vestibus pretiosis spoliato, & plagis affecto. Vulnera quippe enumerata cum sint mere *extrinseca*, statui ejus intrinseco nihil detrahere possunt: sed solum majorem difficultatem ad bonum, facilitatem autem ad malum, cum reliquis vitæ miseriis secum trahunt.

## §. V.

*An hodie in statu naturæ reparatæ, quo vivimus, sola lex nat. pro adæquata objectiva morum regula habenda sit?*

220. Affirmative quidem & audacter respondent Protestantes Naturalistæ secuti Puffendorfium, qui *l. 1. de Offic. homin. c.* 4. *§.* 8. in appendice ad *Epist. Scherzerianam* circa *fin. F. m.* 90. asserit religionem naturalem intra vitæ terminos conclusam ita, ut *ea sola* hominem perfecte beatum naturaliter faciat. Hinc *Kemmerichius* ejus enucleator in *Elem. J. N. & G. c.* 4. infert: *Solam legis nat. observantiam, siquidem perfecta foret*, suffecturam *ad felicitatem hujus*, NB. *& FUTURÆ VITÆ*. Nec aliter sentit *VVernherus, Fleischerus* & alii *Puffendorfiani* paraphrastæ, eo collimantes, ut incautos Lectores in baratrum interitus æterni una secum deducant; persuadeantque iis, præcepta *positiva* Divina, & Ecclesiastica flocci pendenda, vitamque ita instituendam, quomodo ordinanda foret, si nunc in statu *puræ naturæ* ad finem supernaturalem non elevatæ, sine lege positiva divina & humana viveremus. Verbo: Novatores prætextu Juris nat. eo suas technas dirigunt, ut nedum Ethnicos & Infideles: sed totum etiam orbem Christianum ab omni lege positiva abstrahant, iisque *Indifferentissimum, Naturalismum, Deismum, Atheismum* & si quid aliud post Lutheri & Calvini errores insolens & absurdum est, persuadeant, quatenus ita solum credant, vivant, & sentiant, sicut illis *recta* (ut ipsi putant) *ratio naturalis dictat*.

221. Verum crassæ ignorantiæ mixtam errorem hunc da-

hinat communis rectius sentientium doctrina, quæ tradit? Quamvis in statu *puræ naturæ* ad finem supernaturalem non elevatæ sola lex nat. fuisset *adæquata* objectiva morum regula: hodie tamen in *statu naturæ elevatæ* & a suo lapsu *reparatæ*, legem naturalem esse solum *inadæquatam* honestatis regulam objectivam. Ac proin præter naturalia præcepta, vim regulæ morum directivæ habent omnes aliæ leges positivæ, adeo ut eas tam Christianus, quam Ethnicus & Infidelis, qui notitiam earum habet, iisque *respective* subest (a Divina enim etiam positiva nullus hominum immunis est) observare teneatur. Hinc *adęquata* ac remota moralitatis regula in statu *naturę elevatę* non in solo jure nat. sed *in complexo omnium legum* etiam positivarum consistit.

*Ratio* est, quia per *solam* legis nat. observantiam neque hujus, neque futuræ vitæ felicitas obtineri in statu naturæ *elevatę* ac reparatæ posset. Non *hujus vitę:* Quia status præsens in quo vivimus, non est status ille naturalis *primigenius*, in quo omnes homines sua conditione omnimode ęquales fuissent, nullumque Superiorem creatum, nullam legem positivam habituri: sed potius totum genus humanum vivit sub lege positiva, nedum Divina, verum etiam humana, adeo ut vix sub sole reperiri possit ita barbara *Natio*, quæ hominem (tanto minus DEUM) superiorem suum, consequenter legem positivam non habeat, & agnoscat, juxta illud Psalm. 9. *Constitue Domine Legislatorem super eos, ut sciant Gentes, quoniam homines sunt*. Atqui si sola legis nat. observantia contenti homines isti libere transgrediantur leges positivas, deest *felicitas hujus vitę* etiam mere politica & *civilis*, consistens in pace, quiete ac subordinatione inferiorum debita Superioribus; & in locum ejus succedunt rebellio, diffidia, bella intestina, ac dissolutio naturalis vinculi, quod in societate humana exigit mutuum amorem cum præstatione officiorum proximo nostro, Reipublicæ ac Civitati debitorum: Igitur &c.

222. Non etiam *futurę vitę* supernaturalis felicitas obtineri posset: Alioqui sequeretur, quod in statu naturæ *elevatę* ac reparatæ supernaturalis beatitudo solis naturæ viribus, ac *solius* naturalis legis observantia, atque adeo etiam sine Baptismo tam in re quam in voto, ac plane extra Christum Salvatorem obtineri posset. Demum, perfecta observantia legis natur. exigit, ut homo obediat nedum DEO Creatori suo: Sed etiam hominibus sibi præpositis, & impe-

imperandi potestatem ab eo habentibus: Cum igitur in statu naturæ reparatæ vix reperiri possit status hominis, qui non sit *adventitius* & alteri subordinatus: sequitur legem nat. in præsenti providentia *practicè* non posse abstrahi a toto complexo legum positivarum; tam Divinarum quam humanarum. Licet enim generalia juris nat. principia & conclusiones ex illis manifeste fluentes *per se* claræ sint, nec indigeant ullis per legem positivam enucleandis deductionibus; *obscuræ* tamen juris nat. obligationes, quibus unusquisque status hominum *adventitius* sibi proportionatis diversimode obstringitur, experientia teste, sine aliqua lege sufficienter percipi non possunt, uti patet in materiis contractuum, promissionum, juramentorum, sponsalium, damni dati, alimentorum &c. &c.

Quæ tamen omnia ut intelligantur & impleantur, attendi debet ad mentem Legislatorum, quomodo obligationem naturalem obscuram declarent, quid jubeant circa illam, vel prohibeant, aut permittant. Alioqui si quilibet nostrum juxta suum pruritum & dictamen interpretetur, infelicissimam constituemus Rempublicam humanam, in qua vivimus: Itaque non solum Jus naturæ: sed complexum ex omnibus Legibus positivis, quibus subjecti sumus, statui debet pro *adæquata* objectiva morum regula in statu naturæ reparatæ. *Confer n.69.*) ubi probavimus, quod lex nat. quo ad conclusiones particulares dubias transeat in materiam legis positivæ.

223. Nec obstat, quod lex nat. sit *una* omni ac pro omni tempore & statu humanæ vitæ, ac proinquod jus nat. corruptæ ac a lapsu reparatæ non sit diversum a jure naturæ integræ, vel *puræ* ac mere *hypotheticæ*. Nam patet jam ex dictis, quod unitas & identitas illa Juris nat. sit solum quo ad *principia generalia*, qualia sunt: *Declina a malo, & fac bonum: quod tibi non vis &c.* ac quo ad conclusiones *per se* & manifeste ex illis deductas, ut ait Suar. *de LL. lib.* 2. *c.* 8. *n.* 5. *fin.* & 7. non item quo ad conclusiones particulares, obscuras, vel dubias. Hinc *accessoriæ* obligationes a Jure Divino vel humano provenientes, quæ jus nat. obscurum declarant, sunt diversæ pro diversitate status *adventitii* humani, atque ideo materia legis nat. & conclusionum ex universalibus principiis ejus deducendarum non est eadem *adæquate*.

Quo fit I.) Ut jus nat. conveniens uni hominum statui *adventitio*, non mox congruat etiam alteri statui. Quia singuli status mere naturali seu *primigenio* statu posterioris in

eo consistunt; quod jus naturæ circumscribant in paucis vel in multis, ut patet in omnibus *hypotheticis* obligationibus, ex nostro facto, promissione, vel contractu provenientibus; pariter ac in omnibus officiis statui adventitio cujusvis hominis, in quo unusquisque vivit, proportionatis, uti constat ex *n.* 206.) Quæ igitur circumscripta, seu limitata, detracta, vel ratione immutatæ materiæ aucta sunt, hæc in posteriore statu non amplius pertinent ad jus nat. alterius distincti status.

Fit demum II.) Ut jus nat. semper & ubique sit *idem* modo jam explicato: at nondum sequitur, illud *solum* vim *adæquatæ* regulæ objectivæ habere, quæ dirigat actiones humanas, & ut in explicando eodem jure nat. abstrahamus a Legibus positivis, propter rationes jam adductas. Quæ omnia tanto minus adhuc sustineri possunt, quod jura naturalia *concessiva* non pro omni statu sint eadem. Multa enim mutato statu sunt illicita, quæ olim erant concessa. Ita in statu naturali valida erant connubia fratris cum sorore, uti patet in *Caimo*, qui aliam non habuit uxorem, quam sororem suam: in statu tamen naturæ reparatæ postquam genus humanum auctum est, libertas hæc naturalis, & hoc jus concessivum restrictum esse novimus. Denique in statu naturali primigenio esset penes quemvis *jus belli*; & omnem vim ac injuriam propria auctoritate propulsandi & vindicandi potestas, eo quod status ille esset *æqualitatis*, ac *libertatis*, ex quo nullus superior præter DEUM, nullus Judex & Magistratus se interponeret: id tamen in statu naturæ reparatæ locum non habet.

224. Perpendat eruditus Lector, quam imperite & perniciose Protestantici Moralistæ Commentaria sua de J. N. concinnata Orbi literato obtrudant, quibus docere audent: in statu naturæ reparatæ, quo nunc vivimus, naturalem disciplinam, & juxta hanc instituendam vitam, abstrahendam esse ab omni positiva lege, eo quia jus nat. quo ad principia *generalia* semper est idem: & quia, si in statu *puræ naturæ mere possibilis* essemus, sine lege positiva divina & humana, sine Christo, sine supernaturali fine, ac consequenter sine omni Sacramento, Ecclesia, Rege, Principe & superiore viveremus, nullam aliam habentes regulam objectivam motum humanorum directivam, quam solam & unicam rationem nostram: itaque nunc etiam ita vivendum. Quid aliud volunt Novatores hi, quam abolita Religione

reve-

revelata & omni lege positiva, subtili conatu *Naturalismum* inducere?

## §. V I.

### *Utrum jus nat. discendum & scribendum sit nunc pro statu puræ naturæ, aut integræ, vel altero mere possibili?*

225. ETiam hanc quæstionem utpote præcedenti affinem affirmative resolvunt supra laudati Naturalistæ, ea nixi persuasione: I. ) Quia status naturæ elevatæ ac a suo lapsu reparatæ non sustulit jus naturale, quale fuisset in statu *puræ naturæ*, si hic aliquando extitisset; cum autem in statu quo hodie vivimus, juxta illos, ita per omnia actiones humanæ *sola ratione* dirigendæ sint, ac dirigerentur in statu naturæ puræ: sequitur, discendum & scribendum esse jus naturale pro statu *puræ naturæ*, abstrahendo ab omnibus aliis circumstantiis modernæ providentiæ status elevati ac reparati. Ita enim adornatum serviet omni statui & tempori, quo natura humana extitit, existit, & existere potest.

II. ) Jurisprudentia naturalis est specie distincta disciplina ab aliis Facultatibus: non igitur confundenda est cum illis; verum ita separanda, ut illa per se & quam *purissime* tradatur per *solam* naturalem rationem adornata, scientia vero Juris positivi Divini, & humani aliunde petenda est.

III. ) Jus naturale scriptum pro statu naturæ reparatæ non servit pro Ethnicis, Turcis, Judæis ac barbaris nationibus, quæ hanc naturæ reparationem non magis in animum admittunt, quam Æsopi fabulas: Est proin inutile, ut Juris nat. scriptor se accommodet certo naturæ vel hominum statui. Ita Christiano-Protestantici Moralistæ ratiocinantur.

226. Sanior tamen naturalis Jurisprudentia contrarium docet. Scribere Jus naturale pro statu naturæ puræ, integræ, aut altero non existente & mere possibili, pariter ac ita scriptum discere vel explicare, est inutilem, imo perniciosam navare operam. Et quidem I. ) *Inutilis* labor est, quia jus hujusmodi abstractum est mere *speculativum*, quod ad praxim conferre nequit, cum tamen Jurisprudentia naturalis sit *peritia practice directiva actionum humanarum ad natu-*

*ralem*

ralem rectitudinem. Licet enim jus hoc quo ad sua principia generalissima in quolibet etiam pure possibili statu esset semper idem juxta *n.* 223.) illa tamen principia quamdiu considerantur ab actuali & practica operatione separata, sunt utplurimum mere *speculativa*, ac in praxi circa conclusiones obscuras ex illis non manifeste fluentes, actusque hic & nunc exercendos, ita sunt sæpissime perplexa, ut etiam optime dispositus intellectus difficillime statuere queat, quidnam obligationis ex illis concludi debeat.

Pateat id in exemplo: Pupillus pubertati proximus habens Tutorem, sine hujus auctoritate iniit contractum, quo suam conditionem fecit deteriorem: Filiusfam. inconsulto patre pro sua recreatione, cartiludio, saltu, compotatione &c. notabile contraxit mutuum: Filia iniit matrimonium cum consanguineo in secundo gradu lineæ transversæ; Quæro ex Scriptore Juris naturalis *pro statu puræ naturæ* adornati, & a *statu adventitio naturæ reparatæ*, ac ab omni lege positiva abstracti, quid *practice* censeat hic & nunc tenendum in Germania nostra circa obligationes prædictorum Contrahentium? an spectato Jure naturali de facto & certo obligentur illi nunc in conscientia?

Scriptor hic si non extreme rudis aut temerarius est, juxta suam *abstractam* Jurisprudentiam naturalem, deberet tanquam absolute & *practice* certam obligationem naturalem ex prædictis contractibus ortam affirmare: Sed responsio hæc præterquam quod risum Jurisperitis motura sit, probabit etiam ejus ignorantiam, ac eo ipso firmabit superius adductum argumentum, quod scil. lucubratio & studium hujusmodi juris nat. mere abstracti sit *inutile*, ac pure speculativum, nihil prorsus conferens *ad practicam directionem* conscientiæ, nisi Scriptor & studiosus hic se reflectat ad statum hominum *adventitium*, in quo nunc vivimus, & ad leges *positivas*, quomodo hæ *obscuras* obligationes naturales, ex illis alioqui per se notis *generalissimis principiis* deducant & declarent. Prout in casibus propositis declaratæ sunt *l.* 59. *ff. de* O. *&* A. *l.* 18. *ff. de SCto Maced.* & §. 3. *Instit. de nupt.* ac *tot. tit. de Consanguin. & affin.*

227. Si respondeas: pro resolvendis casibus propositis, ille studiosus, qui v. g. Juri naturali *Vvolfiano*, a DEO, lege positiva quavis, & omnibus circumstantiis practicis abstracto dat operam, debet insuper navare alteram illis Auctoribus, qui Jus naturale exponunt practice per respectum

ad

ad Jus positivum, naturales obligationes dubias declarans. Ad rem quidem nostram respondebis: sed tamen nugaberis: Cui enim bono duplici Jurisprudentiæ naturali, cum tantis sumptibus, jactura temporis, & multiplicato labore daturus est ille operam, si breviore via assequi finem suum possit, ut rejecto *inutili* jure *abstracto*, impendat conatus suos illis discendis Auctoribus, qui naturales obligationes per jus positivum sive Divinum, sive humanum declaratas tradunt ac docent? Hujusmodi autem Auctores totidem sunt, quot insignes Theologi *Catholici* de Jure & Justitia tractantes, vel Moralem doctrinam exponentes, & Eruditissimi utriusque Juris periti, qui de *obligationibus*, *restitutione*, *damno dato*, *compensationibus*, *juramentis*, *contractibus* aliisque Juris nat. cum positivo concurrentibus vinculis solide tractant.

Nomine omnium Protestantium respondet quidem *Heineccius* in præf. Element. Jur. N. & G. & per decursum operis sui sparsim: Jus illud naturale *abstractum* & pro Germania, aliisque Nationibus Christianis mere speculativum & *inutile*, saltem apud *Sinenses*, *Indos*, & *Garamantas* summæ fore utilitati, quia Gentes hujusmodi *sola ratione* diriguntur. Verum malæ causæ Advocatus facile refellitur, quia juxta n. 221. ) in præsenti providentia nulla datur Gens in statu *adventitio complexo* vivens, quæ *aliquem* Superiorem, consequenter legem scriptam, aut saltem moribus introductam non habeat, ac proin dubiæ & obscuræ obligationes naturales non ex Jurisprudentia Vvolfiana, similique alia mere *abstracta* & hypothetica: sed ex jure positivo illorum, aut communi moratiorum, vel vicinarum Gentium metienda erit. Quo ad principia vero naturalia *generalissima*, non est opus *abstractis* Protestantium Institutionibus Juris naturæ, quia illa per se nota sunt intellectui recte disposito: *Declina a malo, & fac bonum &c.* Igitur absolute *inutiles* sunt hujusmodi lucubrationes abstractæ.

228. II. ) Imo sunt etiam *perniciosæ*. Studium enim hujusmodi juris nat. *abstracti* & *pure hypothetici* seducit incautos Lectores, Juvenes præsertim in recta Morali nondum satis versatos, præbendo occasionem faciendi aliquid illicitum; v. g. desponsandi sibi sororem suam, aut illatam injuriam privata auctoritate vindicandi, nulli Superiori obediendi &c. Hæc enim & similia essent licita in statu *puræ naturæ* ubi nullus superior: sed omnes *æquales* essemus, quæ juxta speculativos Naturalistas etiam statui naturæ elevatæ adapran-

ptantur. Pernicies Jurisprudentiæ hujus *abstractæ* inde etiam evidens est: sui enim Auctores docent, vivendum nobis esse secundum *solam rationem*: secundum jus nat. abstractum ab omnibus legibus Divinis & humanis, quomodo vixissemus in statu naturæ pure hypothetico & possibili: hinc Moralis hæc facit homines rebelles DEO, Ecclesiæ, Principibus, Magistratibus eorumque legibus.

Ita teste eruditissimo Scriptore, ac recens electo Reverendissimo Abbate *Anselmo Desing* in Larv. detract. c. 3. th. 6. se scandalizatum ingemuit *Vvorcestriæ Comes* juvenis Atheus, qui cum rediisset ad cor, confessus est se protestantici Moralistæ *Hobbesii* Jure naturali deceptum fuisse, docentis abstrahendum esse ab officiis erga DEUM, ejusque ac aliis positivis legibus. Unde Comes ille primum officia hujusmodi omisit, demum frænis naturali libertati laxatis, ut conscientiæ stimulos aliquo modo eluderet, DEUM impie negavit. Hic est fructus abstracti Juris naturalis, ut Lectores suos a DEO, Ecclesia rectaque morum honestate abstractos cum suis Auctoribus trahat ad tartara.

Melius hac in parte sapuit, quanquam & ipse Protestanticus Naturalista *Leibnitius*, qui postquam in *præfatione ad Codic. Jur. Gent.* optasset *Jus naturæ & Gentium traditum, secundum disciplinam Christianorum*, in sua Epistola censoria libelli Puffendorfiani *de offic. homin. & civ.* f. m. 6. post refutatas ineptias hujus Protestantis, hanc reliquis adjecit censuram: *Plurimum referret parallela addi juris Civilis inter homines recepti, præsertim Romani, ipsiusque etiam Juris sacri: ita usus Juris naturæ apud Theologos & Jurisconsultos pronior futurus esset, quod nunc magis sermonibus celebratur, quam negotiis adhibetur*. Quod ipsum fusius damnat *Gundlingius* Puffendorfii & aliorum abstractiones perstringens in suo opere: Discours c. 1. §. 27. 39. quanquam hunc ipsum Censorem halucinari constat ex demonstratis hic supra *a n.* 125.

229. Neque moramur contrarias rationes, quarum *prima* jam est soluta a *n.* 223.) Id autem omnino erroneum est, ita nos per omnia nunc in statu naturæ elevatæ debere vivere juxta jus *solum* naturale, ac alias viveremus, si hodie in statu hypothetico pure naturali essemus. In statu quippe hoc non esset idem *adæquate* finis naturæ rationalis, qui nunc est elevatus ad beatitudinem supernaturalem: Consequenter non essent hæc media, quæ nunc dantur, neque

da-

darentur in hac hypothesi leges Divinæ & humanæ *positivę*, ut liquet *a n.* 221.) Docere igitur, quod in hac qua vivimus providentia & *adventitio* naturæ reparatæ statu, secundum *solam propriam rationem* jus nat. scribendum, explicandum, & vita instituenda sit: ineptientis cerebri est.

230. Nec sanior *altera* ratio: cum falsum sit, quod Jurisprudentia nat. quatenus est *practice directiva actionum humanarum ad naturalem rectitudinem*, alia quam ad summum *infima* specie distincta sit a Theologia *naturali* & *morali*, cum harum etiam objectum sit directio actionum humanarum, eo solo discrimine, quod probavimus *a n.* 18.) scilicet, quod *Theologia moralis* versetur *latissime* circa omnem legem ut directivam *honestatis moralis pro foro animę*, & in ordine ad *finem supernaturalem*: contra vero *Jurisprudentia* & *Theologia naturalis* solam quidem nat. legem *per se* pro objecto habeat, quo ad *principia generalissima* & conclusiones immediate ac clare ex illis fluentes: Quo ad *obscuras* tamen etiam hæ non differunt ullo modo a Theologia morali, cum declarationes obscurarum obligationum naturalium potissimum desumantur ex legibus *positivis*, qua Divinis, qua humanis, sub quibus hodie vivimus in statu naturæ elevatæ reparatæ. Quodsi Jurisprudentiam naturalem *pure speculativam* & *abstractam* intelligas, qualem *Puffendorfius*, *Volfius* & similes alii evulgarunt, facile concesserim esse distinctam a Theologia naturali & Morali, ac aliis Facultatibus: sed nullius momenti, imo perniciosam eam esse jam demonstratum est.

231. Neque sanius est *tertium* momentum. Non enim ex eo, quod Ethnici & Turcæ *statum naturę reparatę* impie non admittant, sequitur jus nat. scribendum & discendum esse pro statu puræ naturæ & abstractum. Nam 1.) Grotii, Hobbesii, Puffendorfii, Volfii &c. lucubrationes naturales non sunt scriptæ idiomate turcico, neque pro Turcis & Ethnicis; sed latino pro Juventute *Christiana*, & tamen ita sunt mancæ, mere speculativæ & abstractæ, ut tam Christianus lector, quam Turca & Ethnicus nihil *practici* ex illis circa honestatem actionis concludere possit, cum sint separatæ non minus a legibus Christianorum, quam cujusvis status *adventitii*, cui specialia juris nat. *hypothetica* præcepta adesse intelliguntur, nec circa ea quidpiam recte concludi potest, nisi dependenter a legibus positivis obscuras obligationes hujusmodi & præcepta naturalia hypothetica declaranti-

bus,

bus, uti patet in Matrimoniis, contractibus, stipulationibus &c.

2.) Dein quia etiam ab Ethnicis ac Turcis Jus nat. v. g. *Vvolfianum* rejiceretur, quia sicut a Christianorum ita & illorum legibus positivis abstrahit, disserendo de obligatione naturali hominum *pure possibilium*, qui neque Divinas, neque humanas leges ullas haberent. 3.) Demum, quia Ethnicorum & Barbarorum infidelitas legem divinam positivam jus naturale obscurum declarantem evacuare nequit: imprudens igitur consilium est, propter barbariem Infidelium, Christianis obtrudere schediasmata Juris nat. abstrahentia ab omni lege Christiana, imo & ab ipso DEO naturæ Auctore. Confer hæc cum sequentis quæsiti resolutione.

## §. VII.

### *An in statu naturę lapsę nondum reparatę homines secundum* solam *legem nat. vixerint?*

232. Quamvis a tempore prævaricationis *Adami* & *Evæ* usque ad legem scriptam Moysi datam, genus humanum sola lege nat. directum fuisse communiter dicatur: tamen præter illam naturalem etiam aliquas *positivas* leges habuisse dignoscuntur. Primi enim homines illi liberis suis ac posteris multa exemplo, institutione, ac more vim consuetudinis receptæ, seu *legis non scriptæ* moribus introductæ robur habentis tradiderunt. Hujusmodi autem leges consuetudinariæ utplurimum versabantur apud eos circa ritus nuptiarum, dotes sponsarum, jus crediti, jus promissionum, querelas injuriam passorum, ac plurima alia, quæ facile colligi possunt ex Sacro codice veteris Testamenti, præsertim ex libro *Genesis*, ubi crebra fit mentio, quod populi illi juxta introductam consuetudinem, exempla Majorum &c. negotia sua & vitam direxerint.

Dein recta ratio suadet, & consentiunt Theologi, in statu legis nat. etiam ante institutam Circumcisionem fuisse a DEO provisum aliquod remedium peccati originalis tollendi in parvulis, sub *præcepto gravi* adhibendum ab eorum parentibus. Qua de re D. Aug. *l. 5. contra Julian.* ait: *Non est credendum ante datam Circumcisionem famulos DEI (quandoquidem in eis erat mediatrix fides in carne Venturi) nullo*

Sacra-

*Sacramento opitulatos fuisse parvulis suis, quamvis quid illud esset: aliqua necessaria causa scriptura latere voluerit.* Et consentit D. Th. *in 4. d. 1. q. 1. a. 2.* fuisse quoque adultis revelatam, & a DEO *positive* præceptam fidem in venturum Messiam ad peccatum *actuale* per *viam contritionis* delendum, ut tradunt *Suar. Vasq. Lug.* Præter naturalem igitur legem populus ille habuit positivas, easque tam Divinas *aliquas*, quam humanas, sine ulla scriptura, de qua nobis constet, sibi promulgatas.

Nec obstat, quod status ille *status legis naturæ* dictus fuerit, quia ut ait *Az. Inst. mor. l. 1. c. 1. q. 8. fin.* id intelligendum est: non quia nullum aliud præceptum servaretur nisi legis naturalis: sed quia nondum erat lex Moysis scripta, & *quod magna ex parte sub lege nat. homines illi viverent*, quamvis aliqua Divini ac supernaturalis etiam juris præcepta ab iis servarentur, vel instituto & consuetudine Majorum, vel jussu etiam DEI. Quare ullo unquam tempore *per solam legis naturalis* observationem homines facti sunt justi coram DEO: sed per fidem, gratiam & merita Christi D. quem tunc venturum esse credebant. Mirum est! quod post Salvatoris adventum homines Protestantico-Christiani audeant nunc per *solam* abstractam Jurisprudentiam naturalem & ipsi velle perfecte beati effici, & alios ad beatitudinem perfectam sua doctrina & pseudo-magisterio perducere.

## ARTICULUS II.

### *De beatitudine & fine hominis naturali.*

### SUMMARIUM.

233. *Quid sit, & an detur aliqua beatitudo nat.*
234. *Perfecta beatitudo formalis non datur in hac vita.*
235. *An saltem detur imperfecta? Rationes dubitandi proponuntur.*
236. *Præmittuntur conditiones requisitæ ad beatitudinem etiam imperfectam.*
237. &c. *Statuitur: in moderno statu nat. nequidem imperfectam formalem* mere naturalem *beatitudinem ex solis naturæ viribus obtineri posse.*
239. &c. *Solvuntur contraria quæ opponi possunt.*
242. &c. *Satisfit reliquis instantiis Adversariorum.*
244. *Potest admitti imperfecta beatitudo natural. quatenus*

*eminenter continetur in supernaturali* inchoata, *hæc enim in hac vita obtineri cum possit: consequens est posse & illam: non tamen aliter.*

245. &c. *An beatitudo termino hujus vitæ sit clausa? Respondetur negative. Et enervantur contraria fundamenta.*

250. &c. *Quem fructum sperare possimus ex observantia legis nat.*

256. &c. *Quis intellectus sit axiomatis*: Facienti quod ex se est, DEUS non denegat gratiam?

§. I.

*Quid sit, & an detur in hac vita aliqua beatitudo?*

233. BEatitudo Auctore Boetio est *status omnium bonorum aggregatione perfectus*, & juxta D. Th. *est centrum cujus possessio totaliter quietat & satiat appetitum rationalem, sic, ut nihil amplius cum anxietate quærendum superfit.* Hinc illa dicitur *extremum & finis bonorum*, adeo ut hæc tria idem fere valeant, *Summum bonum: beatitudo: ultimus finis.* Hoc sensu *Cicero* scripsit quinque libros de *finibus bonorum & malorum*, id est de summo hominis bono & malo. Quod enim est *summum bonum hominis*, necessario est *ultimus ejus finis*, quia propter ipsum cetera sunt appetenda, ipsum vero bonum summum propter se: Qua in re consistit ratio ultimi finis. Rursum, quod est summum hominis bonum, in eo necesse est consistere ejus beatitudinem *formalem*, quę nihil aliud est, quam *summi boni tranquilla possessio.*

Non est autem hic quæstio, an detur in *hac vita* aliqua perfecta beatitudo *objectiva*, certum enim est dari DEUM O. M. qui solus est objectum omnis felicitatis, & finis noster ultimus *adęquatus*, non tantum supernaturalis: sed etiam naturalis, in illo enim solo reperire est omnes conditiones ad beatitudinem hominis objectivam requisitas, bonaque omnia cum perpetua stabilitate, per quorum possessionem homini potest *undequaque bene esse, ita ut nihil amplius cum anxietate quęrendum superfit.* Quæ ratio etiam pro statu *purę naturę* locum habet. In hoc enim quoque statu eadem foret capacitas naturalis tam intellectus, quam voluntatis: igitur pariter expleri haud posset, nisi bono universali continente omne bonum: eadem quoque forent bona creata, fluxa & defectuosa, quæ nunc sunt: Igitur nec illa possent satiare appetitum universalem & capacem boni infiniti, sicut non possunt nunc satiare in statu naturæ elevatæ lapsæ ac *reparatę.*

Solum itaque quæritur hic, an detur beatitudo *formalis* na-

naturalis? Imo neque venit hic in considerationem beatitudo *mere Civilis* consistens in pace publica, subordinatione Civium, & recta gubernatione Magistratuum. Hæc enim tantum per similitudinem, & improprie beatitudo appellatur, cum pax & subordinatio illa *exterior* nequeat esse summum bonum, quod plene satiet appetitum rationalem &c. His suppositis.

234. Dicendum est. *Perfecta* beatitudo *formalis*, quæ omne malum, omnemque molestiam & miseriam excludat, nec datur in hac vita, nec obtineri potest. Quod ipsa experientia satis probat, quidquid Puffend. cum aliis in contrarium statuat, nixus suo summo bono in *socialitate* humana erronee fundato, ac intra terminum vitæ hujus concluso. Nemo enim post peccatum Adæ unquam ita felix fuit in hac vita, quin multis doloribus & molestiis cum interius, tum exterius fuerit subjectus, teste Job c. 14. *Homo natus de muliere brevi vivens tempore, repletur multis miseriis*, quæ utique etiam mere naturali felicitati contrariæ sunt.

*Ratio* autem cur nemo in hac vita *perfecte* beatus esse possit, est: Quia perfecta beatitudo viribus humanis, sicut opes, & honores, obtineri nequit: sed a DEO tanquam præmium & merces bonorum operum expectanda. DEUS vero tanquam Remunerator statuit, ut tempus hujus vitæ sit destinatum certamini, quatenus unusquisque quamdiu in vitæ stadio versatur, usque ad extremum momentum possit illud præmium promereri: ac proinde etiam ab eo excidere. Quo posito decreto sane æquissimo & homini utilissimo, fieri non potuit, ut in statu naturæ lapsæ perfectæ beatitudinis præmium in hac vita mortali cuipiam daretur. Præmium enim certaminis non datur nisi finito certamine: atqui certamen non finitur nisi cum vita: Igitur præmium obtineri nequit nisi finita hac mortali vita, sicut & terminus viæ teneri nequit nisi decursa via.

Quo etiam facit, quod qualiscunque beatitudo *perfecta* hujus vitæ fingatur, illa in homine elevato ad finem *supernaturalem* non habeat rationem ultimi termini, seu perfectionis ultimæ consistentis in statu omnium bonorum aggregatione completo, vi cujus excludat omnem miseriam, talis proinde homo nunquam posset dici *simpliciter* beatus. Nulla itaque sive *naturalis*, sive supernaturalis beatitudo *perfecta* in hac providentia status naturæ lapsæ, durante mortali vita dari potest. Sed

## §. II.

### *An saltem detur imperfecta beatitudo mere naturalis?*

235. Ratio dubitandi est. Quia I. ) dari potest in hac vita beatitudo aliqua *supernaturalis imperfecta* consistens in *possessione mere inchoativa* DEI, quæ haberi potest per virtutes theologicas fidei, spei, caritatis *suo modo* perfectæ, ac inde promanantem puritatem conscientiæ: per hæc enim immediate & summo modo unimur Deo, quantum fas est in hac vita, & infallibiliter disponimur ad perfectam beatitudinem: Atqui homo ita dispositus vere potest dici *inchoative* beatus, etsi in multis afflictionibus versetur. Vera enim & perfecta beatitudo in istis animæ bonis & dispositionibus tanquam in seminibus vel radice continetur, & per eas jus datur ad illam summam & perfectam felicitatem: Sicut igitur datur *aliqua* beatitudo supernaturalis, quam per gratiam DEI consequi possumus in hac vita, ita etiam statuenda est quædam beatitudo naturalis saltem *inchoativa*, quam *viribus naturæ* possimus adipisci per amorem DEI mere naturalem, & alias virtutes huic commensuratas.

II. ) Cuilibet enim rei intra limites naturæ respondet sua completa perfectio, cujus naturaliter est capax, ad quam viribus naturæ potest pervenire; alioqui esset otiosa, utpote quæ nunquam posset intra limites naturæ perfici. Hinc apud Doctores est illa distinctio beatitudinis & ultimi finis in naturalem & supernaturalem: ac duplex illa consideratio DEI, quatenus scilicet iste finis est naturalis & supernaturalis hominis. Quæ distinctiones juxta Theologos locum habent etiam respectu Angelorum.

236. His dubitandi rationibus quo solidius satis fiat, præmitto ex *n.* 208. ) Naturam humanam dupliciter spectari posse, *primo* ) prout subest ordini præsentis providentiæ, sub quo nunc est a DEO constituta, & vocatur *natura elevata reparata*, seu status naturæ *humanę elevatę reparatæ*. *Secundo*, ) prout subest alteri ordini, quem DEUS intra limites providentiæ naturalis ut Auctor naturæ *potuisset* instituere, & dicitur status *naturę puræ*, seu non elevatæ, quem a *n.* 207. ) probavimus esse mere possibilem.

Jam ad propositum quæsitum plerique sunt, qui beatitu-

dinem naturalem etiam *imperfectam* absolute negant actu dari in hac vita, ex quibus post *Solonem*, *Platonem*, *Senecam*; & alios Ethnicos, Vasq. *disp.* 12. *c.* 3. ait: *Nihil esse posse; neque in Angelis; neque in hominibus; quod nomen beatitudinis mereatur; nullamque esse, neque in hominibus, neque in Angelis naturalem aliquam beatitudinem*. Idem tradit hic Theologus in 1. *p. disp.* 88. *c.* 1. & *disp.* 90. *c.* 14. cujus opinionis est etiam *Less.* nec pauci alii.

Quibus tamen contrariam tuentur Philosophi & Theologi permulti, quamvis nullus eorum indicare possit, quisnam ille ab Orbe condito fuerit, qui hujusmodi beatitudinem naturalem imperfectam consecutus sit, & in quo illa consistat? Cum autem non sit animus alterutram opinionem hic & nunc impugnandi, utraque tranquille relicta, viam mediam eligere placuit, ac proin:

237. I. ) Verisimilius est in statu *moderno naturę elevatæ* ne quidem *imperfectam* beatitudinem *formalem* mere naturalem, id est *solis naturę viribus* obtineri posse. *Ratio* est, quia etiam naturalis beatitudo hæc quatenus esse deberet actualis possessio & fruitio summi boni, consisteret non in alio, quam in *cognitione* & *amore* DEI *naturali*, statui suo proportionatis; cum repugnet dari aliud bonum cujus fruitio satiet appetitum rationalem: Ad quam beatitudinem hominis *naturalem* hæc *quatuor* requiruntur.

*Primo* Ut *cognoscat* DEUM primam omnium causam, & *amet* super omnia, quantum viribus naturæ cognosci & amari potest. In hoc enim consistit summa hominis perfectio naturalis. Aristoteles quidem *l.* 10. *Ethic. c.* 7. solum contemplationis DEI meminit, & in ea constituit felicitatem, quia amorem *amicitię* erga DEUM ignoravit: sed hic plane necesarius est, ut voluntas quoque optimo modo perficiatur, & de ipsis bonis divinis gaudeamus.

*Secundo* ) Ut secundum virtutem ita perfecte vivat, ut abstineat ab omni peccato, nam peccatum cum sit ingens miseria, magnumque luctum adferat, præsertim mortiferum, statui beatitudinis omnino repugnat, hinc de beatitudine hac naturali D. Ambros. *L.* 2. *offic. c.* 2. ait: *Vitam beatam in cognitione Divinitatis & fructu bonę operationis, qua DEUS amatur & colitur, positam esse.*

*Tertio* ) Ut corpore etiam bene sit constitutus: morbi etiam & dolores non parvæ sunt miseriæ.

*Quarto*) Ut hæc omnia firmiter teneat. Si enim facile pos-

set amittere, semper esset anxius, nec ullum solidum gaudium percipere posset exspectatione impendentis mali:

238. Atqui in statu naturæ elevatæ ac *reparatæ* assertæ conditiones non possunt ab homine *solis naturæ viribus* obtineri. Quia *primo* non potest ille ita vivere quin multis peccatis, morbis ac doloribus sit subjectus, quæ longe a statu vitæ beatæ abesse debent, plus enim ista continent amaritudinis, quam bona omnia naturalia dulcedinis. *Secundo*, quia ista bona firmiter teneri non possunt. Brevissimum enim illud tempus est, quo continenter contemplationi primæ causæ posumus intendere, & statim ad terrena, quæ sensibus sunt familiaria, relabimur. Unde necesse est illud, in quo potissimum be titudo collocanda erat, mox evanescere, quod tamen debet esse maxime stabile & *perpetuum*, vel saltem *diuturnum*. Pari modo gaudium animi & bona corporis firmiter teneri non possunt, præsertim in tot adversis, tantaque hujus vitæ brevitate & fragilitate.

Igitur ex *solis naturæ viribus* ne quidem *imperfecta* beatitudo naturalis reperi & acquiri potest. Cum ob continuam & insuperabilem miseriarum vicissitudinem *nunquam illa inchoari* queat solo naturæ auxilio. Alioqui in statu hoc elevatæ naturæ innatis & *propriis* viribus per *naturalem* amorem DEI super omnia, & per alias virtutes *naturaliter* inchoatas *positive* disponeretur homo ad beatitudinem etiam supernaturalem tanquam ad finem suum ultimum adæquatum, ad quem creatus & elevatus est: Porro dispositio hæc superat vires naturæ, quæ ad supernaturalia se per seipsam erigere nequit ita, sicut avis alis destituta nequit volare. Ac proin dispositionem hanc rationalis natura a supernaturali auxilio exspectare debet, quod nunquam deest ei, qui non ponit obicem.

239. II.) Imo, non solum *viribus naturæ* felicitas hæc *naturalis* in hac vita obtinere nequit: Sed neque etiam *auxilio gratiæ*, quæ *in præsenti providentia* datur, illa acquiri *saltem perfecte* potest. Quia gratia hæc non est ejusmodi, ut per eam continuo rerum divinarum contemplationi vacare, & omnia peccata ac simul omnes morbos, dolores & mærores possimus cavere.

Quodsi loquamur de hac eadem beatitudine obtinenda via meritorum; adhuc neque hic eam *perfecte* consequi possumus: Quia nulla sunt merita, quibus beatitudo *naturalis* per se & separatim a beatitudine supernaturali sit debita; verum

rum omnia merita justorum tendunt ad beatitudinem supernaturalem, in qua naturalis *eminenter* includitur, eorum autem qui se ad DEUM convertere serio nolunt, opera naturaliter bona, licet justitia divina compenset plerumque in hac vita aliquo felicitatis temporalis gradu, v. g. contemplatione scientiarum naturalium, numerosa prole, honoribus ac divitiis, vel longa & incolumi valetudine aut honoribus, &c.

Nihilominus hæc & similia nequidem *inchoatæ* & *imperfectæ* beatitudinis naturalis nomen mereri proprie possunt, cum peccata quibus illi gravati sunt, conjuncta vitæ brevitati, & continuo miseriarum variarum periculo, ac innatis homini anxietatibus, longe præponderent bonis illis, quæ a DEO justitię mere naturalis Remuneratore accepisse dignoscuntur. Et cum *bonum* non sit, nisi fuerit *ex integra causa: malum* autem æstimetur *ex singulis defectibus;* hinc per felicitatem illam, quam peccator in hac vel illa re experitur naturaliter, non potest dici inchoasse beatitudinem. Nam inchoatio hæc non tendit ad felicitatem omni bonorum aggregatione perfectam, qualem intelleximus hic supra in rationibus dubitandi, quibus satisfit per ea, quæ jam dicta hucusque sunt. Argumenta enim illa contraria in *solo statu puræ naturæ* aliquem locum haberent; ut constabit adhuc ex mox dicendis.

240. III. ) Si autem loquamur de *statu* mere hypothetico, scilicet *naturæ puræ*, non elevatæ ad finem supernaturalem, in hoc posset homo aliquo modo suam beatitudinem *solis naturæ viribus* obtinere. Quia potuisset DEUS hominem condere ad aliquem finem, qui limites naturæ non excedit, & tali providentia eum regere, ut hunc finem posset mereri; & simul cum solo *ordinario* concursu divino sine auxilio supernaturali cavere omne peccatum: vel si peccaret; pœnitentia quadam naturali resurgere, condonatione peccati gratis ad talem pœnitudinem obtenta. Quibus positis, si homo illam felicitatem eo modo quo poterat, bene operando meruisset, illa debita fuisse ex ordinatione divina. Atque hoc sensu & pro hypothesi status *puræ naturæ* concedi potest hominem *viribus naturæ* posse suam beatitudinem naturalem consequi, & distinctionem illam duplicis finis, & duplicis beatitudinis *numer.* 235. ) in rationibus dubitandi allatam in hac suppositione admittere nihil prohibet.

 241. An

241. An autem in hoc *puræ naturæ statu* totus homo esset futurus beatus, an solus *tantum animus*; consequenter an talis beatitudo dicenda foret perfecta, an vero imperfecta? est quæstio pure speculativa, in utramque partem disputari solita, quam relinquimus Theologis, ac Ethicis. Hic id solum non est intermittendum, quod ait Suar. tr. de Beatit. d. 4. S. 3. n. 4. *naturalem beatitudinem non mereri nunc beatitudinis nomen absolute dictæ, quia in homine elevato ad finem supernaturalem illa non habet rationem ultimi termini, seu perfectionis ultimæ, propter quod si aliquis homo fortasse illam habere posset absque alia (ut aliqui existimant de pueris excedentibus in solo originali peccato) non posset dici simpliciter beatus*, NB. *sed potius MISER, quia creatus est &c. &c.*

Si autem non obstante imperfecta beatitudine illa naturali (quam plerique adstruunt) adhuc *MISER* est, igitur frustra dicitur vel *imperfecte* beatus. Neque enim citra antilogiam intelligi potest beatitudo illa paradoxa, quæ staret simul cum miseria. Multo minus intelligi potest illa, quæ guttulam habet felicitatis naturalis, oceano autem amaritudinis cingitur; qualis est vita nostra in statu hoc *naturæ lapsæ*, si in eo constituti de beatitudine loquamur mere *naturalibus viribus* comparanda sine auxilio gratiæ, & virtutum theologicarum supra hic *n.* 205.) expositarum, quæ beatum efficiunt.

242. Nec obstat, quod cum hodierni, tum antiqui Philosophi admittant aliquam beatitudinem mere naturalem: Nam quod modernos concernit, isti si putent cum exclusione omnis auxilii gratiæ, viribus mere naturalibus ac *cum solo ordinario* Dei concursu eam posse obtineri, aut errant, aut pure speculative, & de sola *physica*, non item *morali* potentia, neque *proprie* loquuntur; aut demum si pro statu mere hypothetico *puræ naturæ* ita philosophantur, nihil contra nostram assertionem concludunt, ut jam patet ex *n.* 240.) Neque enim inutili occupamur hic & nunc quæstione indagando, quid fieret in statu *puræ naturæ*? verum potius inquirimus de beatitudine naturalis status *naturæ elevatæ* a suo lapsu reparatæ, saltem *imperfecta*, & eam negamus posse obtineri modo prædicto. Quia beatitudo etiam *naturalis* consistit in cognitione & *amore* DEI perfecto, dicente D. Ambrosio, hic sup. *n.* 237.) amorem autem *naturalem* consistere in *plena* observantia legis nat. nemo prudens dubitaverit: Atqui in statu naturæ lapsæ homo licet propriis viribus *poten-*

*tentia physica* possit servare totam collective legem nat. nequit tamen *moraliter* diu servare eandem sine gratiæ auxilio, juxta illud Sap. 8. *Scivi quoniam aliter non possem esse continens; nisi DEUS det*: igitur &c.

243. Quod autem ad Ethnicos Philosophos attinet: illi super hac quæstione in diversas abierunt sententias. *Solon* enim docuit beatitudinem contingere homini *tantum post mortem*. Plato in *Cratil. & Phædon.* clarius asseruit *eam reservari in sæculum futurum*. Illi itaque prudentiores Philosophi beatitudinem *inchoatam*, ac præsentis vitæ in *sola spe* futuræ felicitatis reponebant.

Aristoteles quidem 1. *Ethic. c.* 20. his videtur contrarius esse, ubi significat naturalem beatitudinem in hac vita esse comparandam: sed ubi subjungit: hic esse *aliqualem beatitudinis modum*, manifeste convincitur sentire cum *Platone*; quod tota hujus vitæ beatitudo consistat *in spe* futuræ felicitatis. Quæ tamen spes beatitudinis naturalis non recte dicitur beatitudo *imperfecta naturalis*: sicut spes divitiarum non recte dicitur *divitię*, spei enim objectum est bonum absens, vel mere futurum: contra autem beatitudinis actualis debet esse objectum præsens, &c. spes enim beatitudinis non satiat: sed irritat & inquietum reddit appetitum rationalem: porro omnis inquietudo repugnat beatitudini formali.

Quidquid autem sit de Ethnicorum hac in re opinionibus, id certum est, quod illi nullam ideam habuerint status *naturæ elevatæ* ac reparatæ; sed conceptus illorum fuerint mere abstracti, & cum naturali lumine plerique eorum judicarent animam hominis esse immortalem, concludebant: post ejus migrationem e corpore tot miseriis obnoxio, debere dari aliquam felicitatem, qua spiritus solus frueretur. Atque adeo etiam naturalem beatitudinem *futuram tantum* admittebant, *spe sola* ejus contenti & beati interim in hac vita. Unde etiam omnes dicimus: *beatitudinem naturaliter appeti*, seu desiderari; cum nemo Mortalium sit, qui eam non exoptet.

244. Theologi autem & Naturalistæ, qui tradunt dari aliquam beatitudinem naturalem, intelligendi sunt loqui *improprie*, nempe de beatitudine *Civili* consistente in pace externa & subordinatione Magistratibus &c. vel de mera capacitate humanæ naturæ, qualis posset actu beata effici in statu *puræ naturæ*: aut si loquantur pro *statu naturæ* etiam

*eleva-*

241. An autem in hoc *puræ naturæ statu* totus homo esset futurus beatus, an solus *tantum animus*; consequenter an talis beatitudo dicenda foret perfecta, an vero imperfecta? est quæstio pure speculativa, in utramque partem disputari solita, quam relinquimus Theologis, ac Ethicis. Hic id solum non est intermittendum, quod ait Suar. tr. de Beatit. d. 4. S. 3. n. 4. *naturalem beatitudinem non mereri nunc beatitudinis nomen absolute dictæ, quia in homine elevato ad finem supernaturalem illa non habet rationem ultimi termini, seu perfectionis ultimæ, propter quod si aliquis homo fortasse illam habere posset absque alia (ut aliqui existimant de pueris excedentibus in solo originali peccato) non posset dici simpliciter beatus*, NB. *sed potius MISER, quia creatus est &c. &c.*

Si autem non obstante imperfecta beatitudine illa naturali (quam plerique adstruunt) adhuc *MISER* est, igitur frustra dicitur vel *imperfecte* beatus. Neque enim citra antilogiam intelligi potest beatitudo illa paradoxa, quæ staret simul cum miseria. Multo minus intelligi potest illa, quæ guttulam habet felicitatis naturalis, oceano autem amaritudinis cingitur; qualis est vita nostra in statu hoc *naturæ lapsæ*, si in eo constitui de beatitudine loquamur mere *naturalibus viribus* comparanda sine auxilio gratiæ, & virtutum theologicarum supra hic *n.* 205.) expositarum, quæ beatum efficiunt.

242. Nec obstat, quod cum hodierni, tum antiqui Philosophi admittant aliquam beatitudinem mere naturalem: Nam quod modernos concernit, isti si putent cum exclusione omnis auxilii gratiæ, viribus mere naturalibus ac *cum solo ordinario* Dei concursu eam posse obtineri, aut errant, aut pure speculative, & de sola *physica*, non item *morali* potentia, neque *proprie* loquuntur; aut demum si pro statu mere hypothetico *puræ naturæ* ita philosophantur, nihil contra nostram assertionem concludunt, ut jam patet ex *n.* 240.) Neque enim inutili occupamur hic & nunc quæstione indagando, quid fieret in statu *puræ naturæ*? verum potius inquirimus de beatitudine naturalis status *naturæ elevatæ* a suo lapsu reparatæ, saltem *imperfecta*, & eam negamus posse obtineri modo prædicto. Quia beatitudo etiam *naturalis* consistit in cognitione & *amore* DEI perfecto, dicente D. Ambrosio, hic sup. *n.* 237.) amorem autem *naturalem* consistere in *plena* observantia legis nat. nemo prudens dubitaverit: Atqui in statu naturæ lapsæ homo licet propriis viribus *poten-*

*tentia physica* possit servare totam collective legem nat. nequit tamen *moraliter* diu servare eandem sine gratiæ auxilio, juxta illud Sap. 8. *Scivi quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det*: igitur &c.

243. Quod autem ad Ethnicos Philosophos attinet: illi super hac quæstione in diversas abierunt sententias. *Solon* enim docuit beatitudinem contingere homini *tantum post mortem*. Plato in *Cratil. & Phædon.* clarius asseruit *eam reservari in sæculum futurum*. Illi itaque prudentiores Philosophi beatitudinem *inchoatam*, ac præsentis vitæ in *sola spe* futuræ felicitatis reponebant.

Aristoteles quidem 1. *Ethic. c.* 20. his videtur contrarius esse, ubi significat naturalem beatitudinem in hac vita esse comparandam: sed ubi subjungit: hic esse *aliqualem beatitudinis modum*, manifeste convincitur sentire cum *Platone*, quod tota hujus vitæ beatitudo consistat *in spe* futuræ felicitatis. Quæ tamen spes beatitudinis naturalis non recte dicitur beatitudo *imperfecta naturalis*: sicut spes divitiarum non recte dicitur *divitiæ*, spei enim objectum est bonum absens, vel mere futurum: contra autem beatitudinis actualis debet esse objectum præsens, &c. spes enim beatitudinis non satiat: sed irritat & inquietum reddit appetitum rationalem: porro omnis inquietudo repugnat beatitudini formali.

Quidquid autem sit de Ethnicorum hac in re opinionibus, id certum est, quod illi nullam ideam habuerint status *naturæ elevatæ* ac reparatæ; sed conceptus illorum fuerint mere abstracti, & cum naturali lumine plerique eorum judicarent animam hominis esse immortalem, concludebant: post ejus migrationem e corpore tot miseriis obnoxio, debere dari aliquam felicitatem, qua spiritus solus frueretur. Atque adeo etiam naturalem beatitudinem *futuram tantum* admittebant, *spe sola* ejus contenti & beati interim in hac vita. Unde etiam omnes dicimus: *beatitudinem naturaliter appeti*, seu desiderari; cum nemo Mortalium sit, qui eam non exoptet.

244. Theologi autem & Naturalistæ, qui tradunt dari aliquam beatitudinem naturalem, intelligendi sunt loqui *improprie*, nempe de beatitudine *Civili* consistente in pace externa & subordinatione Magistratibus &c. vel de mera capacitate humanæ naturæ, qualis posset actu beata effici in statu *puræ naturæ*: aut si loquantur pro *statu naturæ* etiam *eleva-*

*elevatę*, ac præsenti providentia, loquuntur de beatitudine naturali, quatenus hæc *eminenter* continetur in supernaturali, tum hic *inchoata* modo supra *n.* 235.) exposito, tum continuanda in felici termino, quem expectamus. De tali quippe naturali felicitate Suar. *l. c.* ex *D. Th.* loquitur: *Non potest homo nunc non esse capax illius beatitudinis, seu perfectionis, quam haberet in puris naturalibus, quia nunc est eadem natura, & consequenter eadem capacitas: unde cum gratia non destruat naturam: sed perficiat, non privat illam hac perfectione naturali. Et ita certum est in supernaturali beatitudine habiturum hominem omnem perfectionem sibi connaturalem, quomodo probat D. Th. 1. p. q. 12. a. 12. hominem videntem DEUM non privari cognitione naturali DEI, quin potius maxime in illa perfici, & idem proportionaliter est de amore:* Porro cum amore DEI solis viribus naturalibus elicito nemo DEUM videre potest.

Colligis: non negari a nobis beatitudinem naturalem *imperfectam:* sed negari eam *viribus solius naturę* ac cum *solo concursu DEI ordinario* posse obtineri: Cum *extraordinario* autem, quo DEUS ex singulari sua providentia conferret homini dona ac privilegia etiam *mere naturalia*, quibus adjutus impleret conditiones *n.* 237.) explicatas ac ad naturalem beatitudinem requisitas, dubio locus non est, eum, nedum *imperfectam:* sed etiam perfectam *mere naturalem* beatitudinem consequi posse. Et in hoc sensu contraria sententia *imperfectam* naturalem beatitudinem admittens potest sustineri ut vera. Alioqui *Vasquezii* opinio *n.* 236. relata merito præferenda est.

## §. III.

*Utrum beatitudo naturalis termino hujus vitæ conclusa sit ultimus & adęquatus finis actionum moralium?*

245. Cardo quæsiti hujus in eo vertitur, an lex nat. ideo præcise observanda sit, ut in hac vita felices simus? Post Epicuræos & Atheos affirmat *Puffendorf.* pro fine adæquato actionum moralium adstruens solam felicitatem *mere civilem*, seu hujus vitæ termino conclusam. Hinc enim Naturalista *contra Josue Schwarzium in Apolog. f. m.* 60. ait: *Jus naturę, quod hoc libro traditur, ex lumine rationis cognoscitur, & tranquillitatem hujus vitę pro fine ultimo habet.* Et cum alibi sæpius, tum in *Epist. ad Amicos f. m.* 111.

111. dicit: *Juris naturalis, quatenus peculiarem disciplinam constituit, cujus principium est unicum lumen rationis, finis ac usus intra terminos hujus vitę coercetur*, quod etiam de Religione naturali intra terminos hujus vitæ conclusa docet, ut retulimus *n.* 220.) Fundamentum doctrinæ hujus in *cit. Epist. Ad amicos*, & in præfation. *de Offic. homin. & civ.* §.3. tum alibi passim adstruit ille: Quia alterius vitæ felicitas est æterna, & nonnisi supernaturali lumine cognita, spectatque ad *Theologiam moralem*, non autem ad jus naturæ.

246. Opinio hæc si vera esset, everteret legem naturalem. Quia I.) sicut recte disposita ratio convincitur, ac probe intelligit dari DEUM O. M. naturæ Auctorem, eumque justum, ac proin Remuneratorem bonorum & malorum: animam item humanam esse immortalem capacem præmii & pænæ æternæ, ita dictat quoque dari post mortem aliquod præmium *observantibus legem nat.* & pænam infligi eam libere *violantibus*: Admissa autem excentrica opinione Pufendorfii, quod scilicet homo pro sua legis nat. observantia nihil habeat quod speret; & pro transgressione nihil a quo timeat in *futura vita*: sequitur non dari ullum præmium æternum neque pænam in hoc naturæ statu, quo vivimus: consequenter neque animam esse immortalem, neque DEUM Remuneratorem bonorum & malorum *animę spirituali* correspondentium. Quem errorem, Epicuræos & Atheos si excipias, neque prudentiores Ethnici asserere ausi sunt.

II.) Imo excluso timore pænæ æternæ, nisi quis ita natus institutusve sit, ut insignem in virtute voluptatem, & in vitiis molestiam inveniat (quod non cuivis est datum) nulla ratione a magno scelere deterrebitur, quo minus temporanea hæc bona per fraudes, rapinas, usuras, vim & metum aliave crimina, impune sibi comparare audeat, ut Pufendorfiana beatitudine brutis communi frui possit: bonus autem, ex iis præsertim Philosophis, qui divitias contempserunt, nullum illicium haberet ad perficiendam virtutem, negato præmio æterno. Et tamen etiam juxta ethnicum Poetam:

*Oderunt peccare boni virtutis amore:*
*Oderunt peccare mali formidine pænæ.*

247. Demum III.) Nemo ambigit impios legis natur. transgressores plures reperiri, qui opibus, numerosa prole, longa & incolumi vita donati temporali hac beatitudine feli-

ces

tes se existiment; juxta illud Jerem. 12. v. 1. *quare via impiorum prosperatur?* Dantur autem e contrario multi legis nat. observandæ studiosissimi, qui tamen carent hujusmodi beatitudine vitæ hujus termino conclusa, dies suos in summa rerum penuria & tædiis animi viventes: Istorum igitur vana & sine omni præmio esset virtus tam in hac, quam in futura vita; illorum autem impietas & legis naturalis transgresfio beata foret, utpote bonis hujus vitæ & solatiis aucta: Puffendorfiana itaque beatitudo non in observatione, sed potius in transgresfione legis naturalis consistere deberet, & DEUS impios in hac vita bearet, *naturaliter* autem justos, neque in hac neque in altera. Verbo: everteretur finis *naturæ elevatæ*, quo DEUS hominem creavit non ad felicitatem hujus vitæ curriculo clausam: sed ad æternam. Neque finis hic ideo desinit, quod aliquis rudis, vel impius ignoret, aut nolit intelligere se ad eum creatum esse.

248. Fallitur adhuc IV.) Puffendorfius cum suis sequacibus, quod beatitudo hujus vitæ *angustiis conclusa* nomen beatitudinis mereatur, cum illa in solis terrenis objectis & *civili* felicitate sita nullo modo rationalem appetitum exsatiet, quinimo irritet eundem & inquietum reddat: Finis proin ultimus & adæquatus actionum moralium in *ea sola* constitui prudenter nequit: Sed potius hic statuendus est in ipso DEO, qui est centrum & unicum beatitudinis *etiam naturalis* objectum: Melius hac in parte ratiocinante D. Aug. *de constantia l.* 1. *c.* 4. & 5. qui diversas Philosophorum de beatitudine opiniones perpendens ait: *Dicebat Epicurus, mihi frui carne bonum est: dicebat Stoicus, mihi frui mea mente bonum est: dicebat Apostolus, mihi autem adhærere DEO bonum est. Errat Epicurus* (& cum eo Puffendorfius) *fallitur Stoicus; tunc enim recte anima vivit, si non secundum carnem, neque secundum se ipsam vivit: sed secundum DEUM: Sicut enim anima carnis, ita DEUS animæ vita est.*

Ita Beatus hic juris nat. interpres sentit de vera felicitate naturæ rationalis, qui dein *in l.* 14. *de Trinit. c.* 9. docet, justitiam hominis, naturalem non concludi hujus vitæ termino: sed eam in beata æternitate perfici, ubi explicans verba *Ciceronis* hunc in modum loquitur: *Ea est natura, quæ creavit omnes cæteras instituitque naturas, huic Regenti* (naturæ) *esse subditum si justitia est, immortalis est omnino justitia,* NB. *nec in illa esse beatitudine desinet: sed talis ac tanta erit, ut perfectior ac major esse non possit:* Igitur non expirat

pirat cum hac vita, nec ejus curriculo clauditur, uti errat Puffendorfius.

249. Nec facit ad rem contraria Protestantici Naturalistæ ratio; quod alterius vitæ felicitas sit æterna, & nonnisi supernaturali lumine cognita. Id enim alterum falsum esse probarunt ipsi Ethnici, qui pro salute patriæ prodegerunt vitam & opes, in quibus maxima pars beatitudinis Puffendorfianæ sita est: nisi igitur *solo naturali* lumine instructi æternam felicitatem sperassent, stulte temporaneam contempsissent. Et liquet ex *Solone*, *Platone*, *Seneca* hic *n.* 236.) laudatis Philosophis, qui præter æternam, nullam aliam dari docuerunt beatitudinem, & tamen ex revelatione divina notitiam hujus æternæ felicitatis non habuerunt: Igitur *non ex solo supernaturali* lumine idea illius haberi potest. Ac patet in simili exemplo. Præterquam enim quod *ex lumine fidei* credamus DEUM O. M. existere; etiam *naturali ratione* dari eundem demonstrant Philosophi &c.

A primo itaque ad ultimum, *naturalis* beatitudo est finis solum *inadæquatus* obligationis naturalis, & actuum humanorum moraliter rectorum, ultimus vero ac *adæquatus* cum omni felicitate in DEO reponendus est, etiam qua naturalis.

## §. IV.

### *Quem fructum sperare homo possit ex observantia legis naturalis?*

250. Utilissima quæstio hæc resolvitur in hanc alteram: an scilicet lex nat. sit medium aliquod perveniendi ad DEUM qua finem nostrum ultimum & adæquatum? Quotquot enim fædi errores *Seldeni*, *Hobbesii*, *Grotii*, *Puffendorfii*, *Thomasii*, *VVolfii* & similium Juris nat. Scriptorum in naturalem Jurisprudentiam irrepsisse deprehenduntur, iis ansam dedisse videtur, non tam forte malitia, quam hujus dubii resolvendi ignorantia. Illorum quippe cerebrum erronea præoccupavit opinio, quod legis nat. observatio nullam prorsus connexionem cum æterna beatitudine obtinenda habere possit eo, quia in hoc *naturæ elevatæ* statu æterna beatitudo aliter quam supernaturalis gratiæ auxilio obtineri nequit, & Ethnici ac Infideles legem natur. obser-

obſervant ſine ulla revelatione ſupernaturali de aliqua felicitate æterna.

Hinc ortum traxit ille error quo plerique Proteſtantium Moraliſtæ DEUM pariter ac directionem internam legis nat. excluſerunt a Juriſprudentia naturali: Unde religio ſolius intellectus lumine cognita, & beatitudo naturalis ultra terminum hujus vitæ non ſe extendit ulterius: hinc Theologia naturalis juxta ac Moralis, ſacra ſcriptura naturales obligationes declarans: imo & officia noſtra DEUM concernentia procul a diſciplina naturali exeſſe ab ipſis juſſa ſunt, ut liquet ex doctrina Puffendorfii *de offic. homin. & civ. l.* 1. *c.* 4. §. 8. dicentis: *Certum eſt effectum hujus religionis naturalis præciſe & pro præſenti hominum conditione conſideratæ intra ſphæram hujus vitæ terminari, ad ęternam autem ſalutem nanciſcendam nunquam valere.*

Paucis: quidquid abſurdi in naturalem actuum moralitatem, Proteſtantium ſcribendi libertas & pruritus invexit, omnia hæc ex iſto craſſæ ignorantię fonte emerſerunt, qui ut facilius obſtruatur, deſcendimus jam ad propoſitæ quæſtionis deciſionem.

251. Certum ſit itaque, ex *accurata* legis nat. obſervatione hoc ſequi commodum: quod etiam Gentilis homo, cui vera revelata Religio, & leges DEI poſitivæ ignotæ ſunt, poſſit ſalvari, ſi illam obſervet. Quamvis enim natura humana ad finem & ſtatum ſupernaturalem *ſolis* propriis viribus, abſque gratię auxilio ſe evehere nequeat, dicente D. Aug. l. de prædeſt. c. 2. *Quod ad religionem pietatemque attinet, non eſſe nos ſufficientes cogitare aliquid boni ex nobis, quaſi ex nobis*; nihilominus ſi Ethnicus quiſpiam rite ſecutus fuerit innatum lumen, *& fecerit quantum in ſe eſt*, ſtando præceptis naturalibus: DEUS infinite bonus, qui hominem condidit ad gloriam ſuam extrinſecam, perfectioneſque ſuas in eo manifeſtandas, & elevavit eum ad finem ſupernaturalem, ne illum ordinaſſe videatur ad tam ſublimem ſcopum ſine mediis idoneis, ſubminiſtrabit alia media, quibus ad ſalutem perveniat.

Submittet enim DEUS aut Apoſtolum aliquem, qui inſtruat, & ad verum DEI cultum perducat, aut Angelum, qui viam veritatis doceat, vel certe illuſtrationibus internis eum ipſe ita erudiet, atque intellectum illuminabit, ut verum DEUM, & modum rite eum colendi agnoſcat, inflammabitque voluntatem, ut Auctorem ſuum increatum,

amet,

amet; colat, sic autem Baptismi gratiam & dein salutem consequatur.

Quam ob rem D. Th. q. 14. *de Verit. a.* 11. *ad* 1. ait: *Si quis in silvis ductum luminis naturalis sequatur, in appetitu boni & fuga mali, certissime tenendum est, quod ei DEUS vel per internam inspirationem revelaret ea, qua credenda sunt, vel aliquem fidei prædicatorem ad eum dirigeret, sicut misit Petrum ad Cornelium, Act.* 10.

Et habemus etiam inter plura alia exemplum in Eunucho *Reginæ Candacis, qui venerat adorare in Jerusalem, Act.* 8. Et in *Sergio Paulo* Proconsule, homine adimplente legem nat. *qui subin credidit admirans super doctrina Domini*, ib. c. 13.

Quod ipsum exemplum præbent *Macedones* saltem aliqui, ad quos per visum missus est *Paulus*, ibid. c. 16. etsi prius prohibitus a Spiritu S. adiret *Bythiniam;* Magi venientes ab Oriente, & sic de aliis, quos nobis vetus etiam Testamentum exhibet, veluti de *Jobo Jdumæo*, Jetro Madianita primo ex alienigenis, qui *obtulit holocausta & hostias DEO* &c.

Recte proin D. Aug. *de temp. Christi relig.* & idem de *prædest. c.* 9. ait: *Salus Religionis hujus, per quam solam veram salus vera veraciterque promittitur NULLI UNQUAM defuit, qui dignus fuit, & cui defuit, dignus non fuit.*

252. Reclamat quidem his *Puffendorfius* loc. cit. dicens: Si naturalis legis observatio se extenderet ad vitam alteram, deberet esse *salvifica*, adeoque daretur via salutis æternæ *extra Christum*.

Verum clamor hic vox est, prætereaque nihil. Quia si naturalis legis observatio, qua *mere naturalis* est & ex *solis* naturæ viribus proveniens se extenderet *efficaciter* ad vitam alteram; utique certum est eam debere fore *salvificam*, & dari viam salutis æternæ extra Christum, quod repugnat huic providentiæ, & naturæ statui elevato, æque ac verbis ipsiusmet Christi D. Joan. 6, v. 44. *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.*

Et ratio est, quia omnis actus mere naturalis est ordinis inferioris; igitur per se non refertur ad finem supernaturalem, ac proin opus est aliis actibus supernaturalibus, qui per se ad eum finem referantur. Hanc ob causam Catholicum est dogma, quod dispositio ultima, seu *proxima* ad gratiam sanctificantem, per solas vires naturæ, sine aliquo gratiæ auxilio haberi non possit, atque adeo sine aliqua gratia excitante interna nullus peccator converti potest

test ad DEUM ita, ut ei justificationis gratia conferatur.

253. Hinc recte mendacii arguitur *Melanchton*, qui in *Apologia Confessionis Augustanę art.* 18. *de liber. arbitr.* de Catholicis Theologis absolute pronunciat, quod sentiant *homines non solum sine Spiritu sancto posse DEUM diligere, & praecepta DEI facere quo ad substantiam actuum: Sed etiam mereri gratiam ac justificationem operibus, quę ratio per se efficit sine Spiritu sancto.*

254. Contraria enim Catholica doctrina est, quod nec remota dispositio, quæ *per se* ac sua natura ad gratiam sanctificantem, vel etiam ad dispositionem ultimam aptat & disponit, ut sunt actus fidei, spei, actus attritionis, timoris servilis &c. ac denique ipse etiam affectus credendi, *solis* naturæ viribus sine gratiæ prævenientis auxilio elici aut haberi possit. Unde quod aliquando in Scriptura legamus etiam opera bona moralia habere effectum supernaturalem, ut *Tob.* 4. v. 11. *Eleemosyna ab omni peccato & a morte liberat*: Tum *Dan.* 4. v. 24. *Peccata tua eleemosynis redime*: Demum *Act.* 10. v. 3. *Orationes tuæ & Eleemosynæ tuæ ascenderunt in memoriam in conspectu DEI*; non est intelligendum de ejusmodi operibus, quatenus *præcise* ex viribus naturæ procedunt: sed quatenus mediante *auxilio gratiæ* oriuntur ex fide & spe obtinendi ejusmodi effectum.

255. Fallitur proin & fallit incautos Lectores suos *Puffendorfius* cum sequacibus, quod legis nat. observatio *quæ mere naturalis* est, & quatenus ex *solis* naturæ viribus proveniens se *efficaciter* extenderet ad salutem æternam a Gentili consequendam. Nam iste hoc casu, pariter ac supra vidimus de *Cornelio, Eunucho, Sergio Paulo*, non ex *solis* naturæ propriis viribus: sed auxilio supernæ gratiæ prævenientis, excitantis ac illustrantis trahitur ad DEUM verum agnoscendum, Religionem *salvificam* amplectendam, ac dein salutem æternam, mediante vita *veræ* Religioni conformata ulterioribus gratiarum auxiliis adjutus consequitur.

256. Verum itaque ac inconcussum Theologis juxta ac Naturalistis prudentioribus commune axioma est: *Si homo facit quod in se est, DEUS ei non denegat gratiam.* Et quamvis circa axiomatis hujus genuinum intellectum disputent Scholastici DD. aliis interpretantibus: *Si homo facit quod in se est per vires naturæ, DEUM daturum illi gratiam, id est auxilia supernaturalia, quibus sensim majora, ac tandem justitiam* obti-

*obtineri possit*. A contrario autem non paucis ex D. Th. 1. 2. *q.* 109. *art.* 6. *ad* 2. allegantibus: *Cum dicitur homo facere quod in se est, dicitur hoc esse in potestate hominis, secundum quod est motus a DEO*, quæ altera interpretatio etiam auxilium DEI inspirantis bonum propositum comprehendit.

Eodem modo exponit allatum axioma D. Bonav. in 2. *d.* 28. *a.* 2. *q.* 1. *ad* 4. ubi ait: *Liberum arbitrium gratia destitutum potest facere quod in se est, faciendo quod potest, quamvis illud non sit ordinatum ad gratiæ susceptionem*. Atque altera hæc interpretatio communior est, docens, facienti *cum auxilio gratiæ* prævenientis jam exhibito, quod in se est, DEUM ulteriora auxilia, quæ præterea ad salutem necessaria sunt, non denegaturum. Idque post alia fundamenta ex Scriptura petita, etiam desumitur ex D. August. *L.* 2. *contra duas Ep. Pelagii c.* 9. dicentis: *Avertat DEUS hanc amentiam, ut in donis DEI nos priores faciamus, posteriorem ipsum*.

Nihilominus illi Doctores Catholici, qui juxta priorem interpretationem asserunt, *DEUM facienti quod potest per vires naturæ, non deesse*, semipelagiani erroris minime damnari possunt. Qui enim ita docent, non excludunt auxilia *actualia gratiæ*, seu specialis providentiæ DEI: sed solum *gratiam habitualem*, quæ ante se supponit in adulto alias adhuc gratias supernas, nempe illustrantes, prævenientes ac excitantes ad bonum, per quas ad habitualem disponitur.

257. Quo etiam facit, quod aliud sit dicere: DEUM non deesse, seu gratiam conferre *ex solis* viribus naturæ facienti quod in se est; & aliud sit asserere; DEUM non deesse, seu gratiam conferre facienti quod in se est *per vires naturales*, seu per *sua naturalia opera*. Hæc enim altera verba non excludunt auxilium actualis gratiæ sicut priora. Unde etiam Gerson. *tr. de vita Spir.* illud: *facere quod in se est*, ita explicat, ut nihil aliud sit, quam *facere quod homo potest secundum vires, quas actualiter habet*. Ita enim faciens non ponit ullam *positivam* dispositionem ad gratiam supernaturalem: sed *mere negative* se disponit, quatenus amovet obstaculum gratiæ.

Cum igitur v. g. Gentilis naturales vires suas *diligenter* impendat ad observandam legem nat. & se abstineat a transgressione illius, hoc casu faciens viribus naturæ quod

potest, & eliciens actum *omni ex parte honestum*, eliciet hunc simul supernaturalem circa idem objectum formale per auxilium gratiæ, quod semper adest; non quidem ex merito istius conatus per vires naturæ: sed antecedenter ad illum vi liberalissimæ DEI providentiæ supernaturalis, quæ quantum in se est, *serio* vult omnes salvare.

Hæc si non ignorasset *Puffendorfius* cum suis *Amanuensibus*, naturalis legis observantiam fluxæ hujus vitæ ambitu erronee non conclusisset. Qui etiam errore suo contra naturalem & dogmaticam Theologiam asserto provocavit nos, ut ultra nostrum propositum, pro confutatione ejus ad Theologiam de gratia DEI tractantem recurrere coacti simus.

## SECTIO II.

*De obligationibus & officiis Jure naturę debitis DEO, nobis ipsis, & proximo.*

### CAPUT I.

*De officiis hominis erga DEUM theoreticis.*

### ARTICULUS I.

*De officio Religionis naturalis in genere.*

### SUMMARIUM.

258. *Connexionis ratio, Officii erga DEUM, & religionis nat. definitio exponitur, cum distinctione Officiorum* Theoreticorum *a* practicis.
259. &c. *Divisio Officii* in perfectum & hypotheticum.
261. &c. *An Jus natur. obliget hominem ad inquirendam de DEO notitiam? Resp. affirmativa.*
264. &c. *Confutatur ratio contraria.*
266. *Infertur: non debere a* DEO *abstrahi in tradendo & scribendo Jure nat.*
267. &c. *An DEI existentia sit lumine natur. nota: & sub quo conceptu?*
270. *An possit intervenire ignorantia invincibilis circa multitudinem Deorum?*
271. *An lex natur. præcipiat veram Religionem & cultum DEI naturalem? Refertur error* Gentilium.

272.

272. *Et etiam* Puffendorfii.
273. *Contraria his opinio est absolute certa.*
274. *Declaratur ratione & Auctoritate* Lactantii &c.

## §. I.

### *Quid, & quotuplex sit officium hominis? quid Religionis naturalis?*

258. Sectione præcedente egimus de principiis *constitutivis* & *indicativis* Juris nat. hujusque effectu, statu, fine ac obligationibus in genere, jam habita istorum omnium notitia, examinatisque prolegomenis, descendimus ad obligationes specificas ac officia particularia legis naturalis, indagaturi quid Jure hoc debeamus DEO, nobis ipsis, & proximo, seu Societati, ac Reipublicæ humanæ, Magistratibus, & Civitati, in qua vivimus. Cum autem obligationes hujusmodi communiter *officii* nomine compellentur, in ejus conceptum & divisionem ante alia inquirere volumus.

Hominis *officium* denotat hic *Actionem vel ejus omissionem legibus naturalibus conformandam*, & est multiplex. Scilicet I.) Cum legis nat. finis sit felicitas dependens ab objecto triplici, *DEO* nempe, *semetipso*, homine, ac *proximo*, triplex quoque esse officii genus constat, adeo, ut alia officia respectu DEI, alia respectu sui ipsius, alia respectu proximi præstanda ipsi incumbant.

Et quidem officium erga DEUM, est *Actio, vel ejus omissio ex debito conformanda legi nat. præcipienti religionem erga DEUM, in quantum naturalis ratio eam consequi potest.* Quæ religio naturalis in duabus obligationibus, seu officiis consistit, nempe ut de eo *recte sentiamus*, & actiones nostras, vel earum omissiones ipsius *voluntati conformemus*.

Illa priora officia dicuntur *Theoretica*, utpote in contemplatione intellectus nostri sita. Alia vero *practica*, quatenus consistunt in cultu DEI *interno & externo*, mediante nostra voluntate practice exhibendo. II.) officia hominis erga *seipsum*, sunt *actiones, vel earum omissiones, quas ex præscripto Juris nat. homo sibi ipsi debet.* Demum III.) Officia illius erga proximum sunt *ex actiones, vel earum omissiones, quas jure nat. debet exhibere alteri homini, tam unicuique in individuo, quam in communi, scilicet Magistratibus, Civitati, Reipublicæ.*

259. Hæc triplicis generis *officia* passim dividuntur in perfecta, & imperfecta. *Perfecta* sunt actiones vel earum omissiones Jure nat. ita præceptæ, ut alter cui debentur, eas *jus exigendi* habeat. Tale officium est: *neminem lædere, cuique quod suum est tribuere*, id est, ut Gentium Apostolus R. 13. v. 7. exposuit: *Reddite ergo omnibus debita; cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem*. Nec refert an *debita* hæc proveniant ex justitia particulari & *rigorosa* seu commutativa, an præcise ex præcepto, seu *justitia* naturali *legali*, quæ etiam *universalis* dicitur: Sufficit enim ad actum justitiæ, quod eum alter jure exigere possit tanquam sibi *debitum*. Unde hujusmodi actum culpa sua omittens dicitur *formaliter injustus*. Confer n. 300.)

Contra vero *Imperfecta* officia sunt actiones, vel earum omissiones, non ita quidem jure nat. præceptæ, ut alter etiam illas exigendi jus *semper* habeat, tanquam sibi *debitas*, nihilominus fundantur in *æquitate naturali*, ad quem reducuntur omnia illa officia, quæ dicimus *tantum ex caritate*, seu innato erga proximum amore ac *ex virtute* deberi, quin obligetur quis ad restitutionem, si omittat. Talia sunt, quæ aliis prosunt, & nos non gravant, v. g. *digito monstrare viam petenti Viatori: permittere haustum frigidæ ex meo puteo: dare consilium afflicto: permittere peregrino tectum, sub quo dormiat: succurrere indigenti etiam extra extremam necessitatem* &c. Obligatio hæc maior, minor, vel nulla erit secundum circumstantias proximi. Quæ si v. g. summa adfuerit, officia *imperfecta* degenerabunt in illa quæ diximus *perfecta*.

Alii Naturalistæ confundunt *imperfecta* hæc officia fundata in æquitate naturali, seu caritate proximi, cum illis, quæ proveniunt ex *honesto, decoro puro; & benevolentia*: sed merito rejiciuntur. Ista enim non ad naturalem: sed ad ethicam æquitatem spectare constat *a n.* 74.) & fusius de iis constabit ex infra dicendis de *imperfectis* officiis.

260. Demum alia hujusmodi officia sunt absoluta, alia hypothetica. Per *absolutum* intelligitur illa actio, vel ejus omissio, quæ DEO, nobis ipsis, aut proximo debetur secundum obligationem omnibus communem, nullo alio supposito jure per *factum nostrum* v. g. promissionem, votum, contractum &c. acquisito. Tale officium *absolutum* est DEUM colere, non blasphemare, non mentiri, nobismetipsis violentas manus non inferre, proximum diligere, eum sine justa causa non lædere &c. Hæc enim & similia præcepta &

pro-

prohibita sunt omnibus & singulis hominibus usu rationispollentibus, ante omnem eorum promissionem, pactum, contractum, aliamve proprii vel alieni *facti liberi* speciem.

*Hypotheticum* autem est officium, quod oritur ex hypothesi, seu suppositione facti proprii vel alieni. Ita v. g. Vota DEO libere ac de re meliori nuncupata, nedum ex *Religione*: sed etiam *jure naturæ* tenemur implere, cum juxta *num.* 53. *ac seq.*) conditio DEI hac in parte nequeat esse deterior conditione hominis promissarii, cui jure naturali hypothetico obligamur, usquedum obligatio illa legitime desinat, vel immutetur. Omnes quoque contractus, pacta, stipulationes, obligationes, item *ex damno dato*, aut ex statu hominis *adventitio* oriri solitæ, pariterac illæ, quæ sive pro interno sive externo simul foro procedunt *ex consensu* nostro libere præstito, ad *hypothetica* officia referuntur, de quibus agemus hic *Cap. IV. Art. IV.*

## §. II.

### *An jus naturæ obliget hominem ad inquirendam DEI notitiam?*

261. Diximus *num.* 258.) naturalia hominis officia erga DEUM consistere in Religione naturali, quam in *theoreticam* & *practicam* divisimus, de hac *seqq. Cap. II.* tractaturi, hic & nunc autem agendum est de sola *theoretica*, ut scilicet bene *de DEO sentiamus*. Cum autem de DEO suo Auctore sentire nemo possit, qui eum dari & existere ignorat: hinc prima se obtulit quæstio, utrum homo jure nat. *obligetur* ad inquirendam de DEO notitiam? Et quidem cuivis vere erudito facilis videretur responsio affirmativa, adeo ut forte miretur quispiam rem hanc in dubium vocari. Nihilominus quidquid sapientes & pii judicaverint: Protestantibus Naturalistis de obligatione hac sub Judice lis est; ex illis enim plerique respondent *negative*; eo quod ipsorum judicio notitia huiusmodi inquisitio non ad jurisprudentiam naturalem: sed Theologiam speculativam pertineat.

Hobbesius enim in *Elem. de Cive*, c. 14. §. 19. absolute fatetur, se *legem aliquam, juxta quam injustitiæ damnare posset Atheos, & diligentissime quæsivisse, & vehementer cupivisse*:

 *sed*

*sed invenisse nullam*. Unde loc. cit. c. 15. ait: *Homines in voluptatibus, divitiis, vel honoribus perquirendis continuo occupatos scire EXISTENTIAM DEI NON POSSE*, cum jus naturæ hanc notitiam non doceat, de positivo autem tanto minus illis certum sit.

*Puffendorfius* Hobbesio parum sanior in gratiam suæ *socialitatis* DEUM a disciplina juris nat. & officia hominis erga eum *sequestravit*, relegando ad Theologiam naturalem (quam inepte speculativam vocat & scholasticam) etsi alicubi *indirecte* solum attigerit, quem etiam imitatus est VVolfius. *Kemmerichius* autem in notis ad Puffendorfium de *offic. hom. l. 1. c. 3. §. 13. n. 2.* prædictam DEI notitiam a jurisprudentia naturali exclusam ad Theologiam remittit ideo, quod notitia hæc *sit actus intellectus: jus naturæ vero leges non intellectui; sed voluntati præscribat, neque veritates; vel opiniones intellectus legibus subjaceant, aut pœnis, vel præmiis corrigantur*. Thomasius cum naturalem religionem cum suis officiis *ad figmenta Catholicorum* rejecisset, ait: *deductionem omnem pertinere ad Dominos Theologos*. Jam vero in *secundis curis, fundam. J. N. & G. l. 2. c. 1.* se se corrigit, & officiis erga DEUM in jure naturali *locum ultimum* tribuit. Ita illi cum suis sequacibus.

262. Sanior autem Jurisprudentia naturalis tanquam absolute certum docet: Jus naturale *necessario* obligare hominem usu rationis præditum, ad DEI notitiam secundum naturæ vires inquirendam. Quod his momentis evincitur. I.) DEUS enim nostrum primum principium & finis ultimus etiam *naturalis* est, veraque felicitas hominis in recta ejusdem ad hunc finem suum ultimum habitudine, & perfectionum divinarum commendatione consistit: Atqui habitudo hujusmodi & perfectionum divinarum commendatio sine DEI notitia & agnitione, neque esse, neque concipi potest, nam *ignoti nulla cupido:* Cum igitur DEUS necessario præcipiat ea inquirenda, quæ ad veram hominis felicitatem, ac consequenter ad commendationem perfectionum divinarum in natura rationali requiruntur: manifeste sequitur, eum *necessario* agnitionem sui & notitiam inquirendam præcepisse. Alioqui improvide hominem ad gloriam suam & perfectiones manifestandas creasset, tanquam ad finem ultimum & adæquatum; ac minus consequenter obligasset illum tendere ad eundem, si cordi ejus per naturalem legem non inscripsisset media quibus ad eum pervenire

nire posſit: Porro hujuſmodi media ſine prævia DEI notitia dari evidenter repugnat.

263. Huc facit II. Quod negata naturali obligatione hominis ad DEI notitiam modo ſibi conveniente inquirendam, ſequatur nullum dari prorſus officium, quod vel nobis ipſis vel proximo jure naturali præcipiente ſit exhibendum. Nos enim ipſos & proximum lege nat. diligere jubemur propter DEUM abſolutiſsimum omnium Dominum, & propter manifeſtandas perfectiones ejus in nobis: ceſſante igitur officio & obligatione agnoſcendi ſummi dominii illius, conſequens eſt ceſſare cæteras obligationes, cum harum non ſit major naturalis neceſsitas ad finem ultimum obtinendum, quam illius.

Demum III.) Hac ratione DEUS naturæ rationali non præcipiens ſui agnitionem & notitiam, negaret ſeipſum, quia negaret ſibi neceſſario exhibendum eſſe aliquem ſaltem *in genere* cultum ab ea, qui utique ſine DEI notitia haberi nequit. Certe enim etiam creatus Princeps merito imprudentiæ argueretur, qui a ſuis ſubditis nullum actum exigeret, quo illi in agnitionem ſupremæ majeſtatis ſuæ perveniant. Proteſtanticos igitur Naturaliſtas rubore ſuffundere, & ſaniorem Jurisprudentiam naturalem docere deberet Ethnicus *Seneca*, qui Epiſt. 95. ait: *Primus Deorum cultus eſt credere Deos, deinde reddere illis majeſtatem ſuam, reddere bonitatem, ſine qua nulla eſt majeſtas;* At quo pacto DEI exiſtentia credenda eſt fide naturali, ſi ejus notitia non ſit neceſſario inquirenda?

264. Ratio in contrarium adducta fundatur in craſſo errore ipſis Gentilibus ſtomachum movente. Scire quippe prurientes auribus Magiſtri illi naturales debuiſſent, duplicem dari poſſe in homine DEI notitiam, *vulgarem* nempe, & eam quæ *magis exacta*, ac *amplior* dicitur. *Vulgaris* eſt, quæ ex obviis mediis haberi poteſt. Qualia media ſunt *Parentum inſtructio*: aliorum *teſtimonia*, & *exempla*: *communis ſenſus*: *ratiocinium* per conſequentiam quidem: ſed facilem, & cuivis etiam rudi obviam, ſcilicet ex *creaturarum conſideratione*: variorum *eventuum admiratione*, qui ſe mentibus humanis inſinuant quoties apprehendimus cælorum vaſtitatem & pulchritudinem, terræ ſoliditatem, mirum ordinem creaturarum & providentiam illas conſervantem, nutrientem &c.

Vulgarem hanc DEI notitiam ingerit nobis continua re-

rum vicissitudo & varietas, solis & lunæ nunquam interruptus cursus, ac tota cælorum machina, juxta illud Ps. *Cæli enarrant gloriam DEI*. Quæ media hoc ipso quod nobis *vulgariter* proponant existentiam DEI, indicant etiam simul perfectiones ejus, quas rudi, ut ajunt, Minerva facile comprehendere quivis possit; scilicet quod ille sit infinite *sapiens, justus, providus, immortalis, supremus Dominus, puniens malos, præmians bonos* &c. Hæc igitur vulgaris notitia DEI quatenus spectat ad actiones Religionis dirigendas ex *motivo justitiæ*, seu naturaliter debitas, pertinet immediate ad Jurisprudentiam naturalem, imo est pars maxima ejusdem.

Contra autem, notitia DEI *magis exacta* & *amplior* est illa, quæ per obvia media acquiri nequit: sed indiget majore studio; v. g. quod DEUS sit Ens omnis imperfectionis *etiam negativæ* simpliciter incapax: infinite *perfectus in omni genere*: bonus bonitate tam *respectiva* quam etiam *absoluta*: ad *intra* & *extra se* operans &c. Notitia igitur hæc de essentia ac attributis ejus *magis exacta*, etsi ratione mere naturali non sit superior: est tamen extra sphæram Jurisprudentiæ naturalis.

265. Falsa quoque est altera Protestantium persuasio, quod veri DEI notitia non sit lege nat. præcepta eo, *quod sit actus intellectus*. Nam actus quoque intellectus quatenus subsunt voluntatis humanæ electioni, ut homo eligat hanc vel illam de DEO opinionem; ut eum credat esse cæli & terræ Creatorem verum, potius quam Jovem, Mercurium &c. cadunt sub præceptum etiam naturale. Alioqui Infideles & Heterodoxi qui recte de Deo sentire nolunt, riderent omne pænarum periculum: Cum tamen naturæ Auctor dicat per Psaltem: *noluit intelligere ut bene ageret*. Et præclare hac in parte Lactantius *l. 5. Inst. c. 8.* ait: *Ideo mala omnia rebus quotidie ingravescere, quia DEUS mundi hujus effector & Gubernator derelictus est: quia susceptæ sunt contra quam fas est IMPIÆ RELIGIONES*. Utinam saperent & intelligerent hæc perversæ naturalis Jurisprudentiæ Pseudomagistri, qui suis lucubrationibus Christianam Juventutem inficiunt, libertatem de Religione, quidquid libet sentiendi omni studio instillantes, & avertentes hominem a naturali cognitione sui Creatoris &c.

266. Ex his autem deducitur: in tradendo & discendo Jure natur. non debere, nec citra impietatem posse abstrahi

ſtrahi a DEO & officiis erga eum. Ab his quippe dependent reliqua; neque cuipiam poſſumus ſolide exponere legem nat. circa prudentem ſui ipſius & proximi amorem, tanquam neceſſarium ad finem ultimum naturalem conſequendum, ſi naturæ Auctorem, qui omnia propter ſe ipſum operatus, & finis noſter adæquatus ac ultimus eſt, excludamus.

Hinc Plutarchus *in lib. adverſus Colotem*, prope fin. ait: *In legum conſtitutione primum eſt & maximum de Diis opinio. Quam ob rem & Lycurgus Lacedæmonios, & Numa Romanos, & Jon antiquus Athenienſes, & Deucalio Græcos fere univerſos Diis conſecraverunt.* Concludit demum ethnico Philoſopho & Naturaliſta dignam ſententiam pronuncians: *Facilius urbem condi ſine ſolo, ſaxis & lateribus poſſe puto, quam opinione de Diis penitus ſublata Civitatem coire, aut conſtare.* Hac autem ratione ſola *ſocialitas* Puffendorfianum obligationis naturalis principium elumbe momentum eſt, propter quod Deum a Juriſprudentia naturali plerique Proteſtantium excluſerunt; ſola enim *ſocialitas*, pariter ac Civitatis conſtitutio, ſine officiis DEO debitis nec dari, nec concipi, etiam Gentilium Sophorum judicio, poteſt.

## §. III.

*An DEI exiſtentia ſit lumine naturæ nota; & ſub quo conceptu?*

267. DEum naturæ Auctorem exiſtere lumine nat. notum & cognoſcibile eſt. I.) Ex eo, quod omnibus rite perpenſis recta ratio agnoſcat *Univerſum hoc, in quo vivimus, non eſſe a caſu fortuito.* Quia caſui proprium non eſt agere *ordinate & uniformiter:* ſed inordinate & confuſe, miſcere omnia abſque ratione proportionis, ordinis ac finium, ſic ut prodire non poſſit, niſi diſparata & perturbata quædam congeries. Multo minus res a caſu fortuito conſervari, nutriri & propagari poſſunt &c.

Hinc contra Epicuræos, & Atheos Mundi machinam fato adſcribentes ait Chryſoſtomus in Pſ. 13. *Non eſt fundamentum: & quomodo ſtat ædificium? non eſt carina: & quomodo conſiſtit navigium? non eſt fabricator navis: & quomodo navis comparata eſt? non eſt ædificator: & quomodo domus facta eſt? non eſt qui provideat: & quomodo per omnia pervadit providentia?*

Solo

Solo quoque naturali lumine instructus post alios Gentiles, agnovit Cicero *lib.* 1. *Tusculan. quæst.* dicens: *Cum videamus tum arbores frondescere, segetes largiri fruges, florere omnia, tum multitudinem pecudum, hominem ipsum contemplatorem cæli, possumus ne dubitare quin his præsit aliquis vel Effector, vel Moderator tanti operis?* concludit demum risu explodens Epicuræorum commentum, docentium Mundi machinam ex corpusculis variis *effectum esse nulla cogente natura: sed concursu quodam fortuito;* ubi ait: *Non temere, nec fortuito sati & creati sumus: sed profecto fuit quædam vis, quæ generi consuluit humano.*

268. II.) DEUM sub conceptu *naturæ Auctoris* existere certo & evidenter probat ratio deducta ex rerum creatarum *contingentia*. Omnibus enim compertum est creatas hasce res existere, easque contingentes esse. Videmus quippe eas nasci, interire ac corrumpi: porro hoc ipsum Entis summe necessarii existentiam evincit: qualibet enim res creata potest existere vel non existere: igitur cum in prædicatis ad rei essentiam pertinentibus ratiocinatio rite procedat a distributivo ad collectivum; tota creaturarum collectio erit contingens, ac poterit existere vel non existere.

Jam vero si nulla creatura existeret, tunc procul dubio creaturæ a se effici non possent, quia nihil se ipsum efficere valet, cum nihil possit esse simul prius ac posterius se ipso: Igitur quidpiam contingens non creatum admittere oportet, a quo effici creaturas posse dicamus. Suppositione autem illa concessa, hoc ipsum profecto, a quo cetera prodire possunt, esset *Ens summe necessarium* & a se, atque adeo DEUS. Nam ut ait Richard. Victorin. l. 1. de Trinit. c. 8. *Si nihil a semetipso fuisset, non esset omnino, unde ea existere potuissent, quę suum esse a semetipsis non habent, nec habere valent.*

269. Demum III.) Existere DEUM sub ratione *Legislatoris supremi:* Entis *omniscii, justi*, ac *providi*, quod mala puniat, bona præmiet, est lumine nat. notum. Tum quia, si impios quosdam excipias, agnoscit id uniuscujusque *conscientia* stimulis malæ vitæ exagitata, & communis hominum consensio. Porro ut ait Tullius loc. cit. *Omnium consensus naturæ vox est*. Et lib. 1. de natur. Deor. dicit: *De quo autem omnium natura consentit, id verum esse necesse est: esse igitur DEUM confitendum est*. Ex hoc conscientiæ remor-

su

fu exiſtentiam DEI poſt alios intulit *Eurip. Phryxo* græcus Poeta tragicus dicens:

*Advertite, eſſe DEUM qui non creditis,*
*Pravaque mente duplicatis crimina,*
*Eſt, eſt profectò.*

Tum quia, quod exiſtat *legislator ſupremus, omniſcius, juſtus, providus, mala puniens* &c. veritas hæc fundamentum eſt omnis honeſtatis, eſtque medium *indiſpenſabiliter neceſſarium* ad finem, & vitam ſecundum rationis leges ab homine inſtituendam: debet igitur eſſe principium lumine naturæ notum: Alioqui natura deficeret in neceſsariis, nec eſſet homini proſpectum de mediis *indiſpenſabiliter* requiſitis ad finem & honeſtatem, eſsetque miſerior brutis, quæ melius conſtituta novimus ad ſuum finem.

## §. IV.

*An poſſit intervenire ignorantia invincibilis circa multitudinem Deorum.*

270. PLerique Naturaliſtæ ſuo cerebro confiſi cum *Hobbeſio, Kemmerichio, Vvolfio* & his ſimilibus, Ethnicos idololatras, etiam ſapientes, ſine ulla diſtinctione conantur juſtificare in admiſsa Deorum pluralitate, eo quod de revelata religione nihil ipſis conſtiterit, naturalis autem ratio potuerit *invincibiliter* errare. Verum in reſolvenda quæſtione hac limitatione opus eſt. Si quis enim habeat aliquam cognitionem *unius* DEI, & erret putando eſse alios Deos, quibus divinus cultus tribuendus ſit, nullo modo poteſt per ignorantiam invincibilem excuſari. Sic enim dicit Apoſtolus *ad Rom.* 1. fuiſse inexcuſabiles Philoſophos, *qui cum cognoviſſent Deum, non ſicut DEUM glorificaverunt* &c. Quia ipſamet exiſtimatio *unius veri DEI* erat ſufficiens ad illam ignorantiam expellendam, ſi vellent advertere. Nam qui credit, & agnoſcit eſse in Republica unum ſupremum Regem, quomodo ignorare poteſt peculiarem honorem illi debitum non eſse alteri tribuendum?

At vero ſi quis omnino ignoret DEUM verum, & unitatem ejus, excellentiamque ſupremi Numinis; pro ratione talis ignorantiæ vel a culpa, vel a *tanta* culpa colendi plures DEOS excuſari poſset. Quia ſi illa ignorantia culpabilis ſit, non excuſabit quidem culpam, tamen quatenus igno-

ignorantia est, *aliquo modo* minuet illam: Si vero contingat ignorantiam esse *invincibilem*, excusabit omnem culpam. An autem talis ignorantia contingere queat; colligi potest ex dictis *a n.* 170. ) Nempe, illa vel nunquam dabatur & datur, vel saltem *rarissima* est, & non potest inveniri, nisi in homine adeo rudi, ut vix censeatur habere plenum usum rationis, præsertim in his rebus, quæ sensum fugiunt. Prout contingere potest in aliquo Gentili, qui & nullam rectam instructionem habet, & per se unum ex alio inferre non valet, ut aliqui dicuntur reperiri inter Abyssinos, Brasilios, Hurones & alios barbaros.

Quidquid autem de his sit, id certum est, quod neque hi neque hi longo vitæ suæ tempore hac ignorantia laborent, ut liquet ex *n.* 251. ) & nostro *Erot. theor. pract.* 3. *n.* 12. ) alias deficerent in medio *absolute* necessario ad finem ultimum obtinendum, quod sapientissima DEI gubernatio non patitur in creatura rationali, dicente Augustino: *ut habeat unde eam judicet*. Quo etiam fit, ut Plato, Cicero, Seneca & alii Philosophi apud D. Aug. *l.* 7. *de Civ. c.* 12. non excusentur a culpa, qui cum agnovissent unum summum DEUM, omnium rerum Conditorem, nihilominus plures minores Deos admiserunt, quos *Intelligentias*, sive *Dæmones*, aut alio nomine *Populares Deos* vocabant, inter quos etiam ponebant quorundam mortuorum hominum animas *divinitatis* participes effectas.

## §. V.

### *An lex nat. præcipiat veram religionem & cultum DEI naturalem?*

271. PRo decisione hujus quæsiti juvat nosse quid Gentiles senserint de Religione. Nempe juxta Ciceronem l. 2. de invent. *Religio est, quæ superioris cujusdam naturæ, quam divinam vocant, curam cæremoniamque affert*. Illa proin DEUM ejusque cultum respicit. Ad cognatos autem nobisque conjunctos pietas, vel amicitia, aut observantia haberi dicitur, non autem religio, nisi fortasse quatenus vel per exaggerationem, vel per translationem, quidquid magna cura & studio animi fit, ex religione, vel religiose fieri asseritur. Hac definitione præmissa, ad quæsitum:

Non-

Nonnulli quidem Philosophi negative responderunt. Illi inquam; qui non agnoverunt naturalem obligationem religionis & cultus Divini, hunc enim ipsi penitus abjecerunt, ut testatur Lactantius *l.* 2. *divin. instit. c.* 3. Quia cum ratione naturali cognoscerent falsas esse religiones plurium Deorum, quas Gentiles profitebantur, & veram non valerent attingere: sine religione manserunt. In istorum errore Caietanus 2. 2. *quæst.* 85. *artic.* 1. suspicatur fuisse Aristotelem.

Verum hi omnes, ut ait Apostolus ad Rom. 1. *Dicentes se esse sapientes stulti facti sunt*. Nam si illi credebant nullum esse verum DEUM, quid magis stultum cogitari potest? Si autem agnoscentes aliquem esse verum DEUM, a cujus potentia & providentia pendemus, nihilominus senserunt non esse eum colendum: contra omnem etiam naturalem rationem locuti sunt. Nam si ratio naturalis dictat parentes esse honorandos, multo magis dictat DEUM verum esse colendum.

272. Ab erronea Gentilium quorundam opinione haud longe discessit *Puffendorfius* cum suis sequacibus, qui religionem omnem a Jurisprudentia naturali vel simpliciter rejecit, vel tantum indirecte a Jure naturæ attingi contendit, ut innuimus *a n.* 261.) & videri commenta ejus possunt in *Erice scandica* §. 6. ubi ait: *Cultus DEI per se consideratus ex altiore* ( supernaturali ) *principio est derivandus*. Jam autem in Spicilegio *Jur. nat.* §. 16. *f. m.* 295. audacius dicit: *Sane nec de religione, quatenus ad salutem animarum post hanc vitam facit, agere, ad disciplinam Juris nat. pertinet: & religioni naturali peculiaris a me disciplina assignata fuit*, solius nempe *Socialitatis* humanæ studium fundans beatitudinem belluinam, cursu hujus vitæ terminatam.

273. Adductæ opinioni contraria & certa est recte sentientium doctrina tradi solita: Lege naturali *absolute* præceptam esse veram Religionem & cultum DEI. Cujus veritatis deductio patet ex *n.* 262.) ubi demonstravimus hominem Jure nat. obstringi ad inquirendam notitiam de existentia veri Dei, sine qua nullus religionis cultus subsistere potest. Quibus addendum est I.) Quia illud a Jure nat. directe & absolute præcipitur, sine quo finis naturalis humani generis nullo modo obtineri & conservari potest, ut liquet ex superius dictis: Porro eum *sine religione naturali* nullatenus haberi & conservari posse, inde patet: quia illa negata desi-

ceret

ceret omnis obligatio *interna universalis* & *efficax* naturali juri competens ex voluntate divina, eique simpliciter necessaria. Deficerent quippe officia erga DEUM: hæc enim repugnat ei posse exhiberi extra veram naturalem religionem.

Deficerent quoque officia debita proximo & Reipublicæ ac Civitati. Non enim posset subsistere *intrinseca* earum firmitas, quia nec Imperantium nec subditorum sat certa foret fides, atque securitas: consequenter deficeret quoque pax *externa* generis humani, ac proin rueret tota felicitas, utpote deficiente vinculo societatis humanæ, quod a religione, cultu, amore, & timore DEI dependet; ut liquet ex verbis Plutarchi *n.* 266. ) relatis.

274. Dein II.) Exclusa omni religione, & cum hac metu divini Numinis, nihil est, quod non audeat libertas naturalis; & ubi quis propriis viribus confisus fuerit, imbecillioribus quælibet pro libitu inferet, & honestatem, pudorem, fidem inter inania vocabula reputabit. Sine religione enim nulla est conscientia refrænans a malo, cum nihil sit, quod ei metum incutiat, & a crimine retrahat. Temporalis autem a Magistratibus inferendæ pœnæ metus non arcebit *occulta* crimina; in *manifestis* quoque puniendis Judices parum erunt soliciti, si persuasi sint nullam DEO deberi religionem: proin nec timorem nec amorem ejus, quo ad rite Magistratus sui obeundum munus invitentur, habebunt. Judices proin ipsos & Superiores torpere necesse est, aut cum perversis perverti, si eos timor DEI non coerceat, juxta satyram Juvenalis *VI. vers.* 346. & 347.

*Pone seram, cohibe: sed quis custodiet ipsos*
*Custodes?*

Igitur sine naturali religione nec in Principem fidelitas, nec in parentes pietas, neque ullus recti amor & vita homine digna intelligi posset, dicente Lactantio *in Epitom. c.* 1. *Quid enim tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quam DEUM cognoscere ut parentem, venerari ut Dominum, ejusque legi aut præceptis obtemperare?* Et lib. 5. ait: *Ignorat justitiam, qui religionem DEI non tenet.*

An vero lex nat. præcipiat cultum DEI tam *internum* quam *externum*: resolvitur quæstio hæc *seq. cap.* 2. ubi de officiis erga DEUM practicis tractatur. Hic & nunc sufficiat probasse Jure nat. præceptam esse *veram religionem* inquirendam & amplectendam, simul ac *aliquem* cultum DEO exhi-

exhibendum: deinceps autem examinabimus, qualis ille cultus in specie tribuendus sit spectato Jure naturæ.

## ARTICULUS II.

*De religione naturali* in specie *exhibenda DEO per Officia theoretica.*

## SUMMARIUM.

275. *Officia* theoretica *consistunt in recte* sentiendo *de DEO.*
276. *Exponuntur quæ sint de illo naturaliter sentienda.*
277. *Credi debet ejus* existentia, *quam suadet communis sensus.*
278. *Eadem demonstratur* ex structura Universi.
279. *DEI* unitas *demonstratur ex ejus* necessitate.
280. *DEUS* qua Creator *demonstratur* ex Mundi machina.
281. *Ejus* Providentia *naturali ratione evincitur.*
282. *Et illius* Justitia.
283. Imperfectionis *exclusio in DEO ostenditur.*
284. *Ex prioribus* quatuor *alia attributa DEI demonstrantur, nempe quod sit* invisibilis.
285. Æternus.
286. Omnipotens.
287. Omniscius,
288. Summe bonus *bonitate respectiva,*
289. *Supremus* Legislator.

275. LIquet jam ex *n.* 258. *ac seq.*) religionem naturalem consistere in *recte sentiendo* de DEO, & *agendo.* Recte sentire de illo spectat ad officia *theoretica*: agere autem *practica* religionis officia concernit, de his *seq. cap.* agemus; de illis autem innuimus jam *Art. præced.* ubi decidimus, an homo Jure nat. obligetur ad aliqua *in genere* officia erga DEUM *theoretica*: Ad quæ vero in *specie* exhibenda teneatur, mox determinandum superest.

### §. UNICUS.

*Quænam sint ea, quæ homo etiam rudis de DEO recte sentire obstringitur, & an illa sint lumine naturæ nota?*

276. OBligatio hujusmodi unumquemque hominem rationis compotem adstringens regulariter ad *quatuor*

*tuor* præcipua capita reducitur. Scilicet Jure nat. obligatur homo noſſe & ad notitiam hanc contendere. I.) Quod DEUS exiſtat: iſque ſit unus. II.) Mundi Conditor, III.) Providus, juſtus, atque hinc bona præmians, mala puniens. IV.) Quod omnis imperfectionis ſit expers. Hæc cum ſint lumine nat. nota, ut mox oſtendemus, & *vulgarem* DEI notitiam non excedant, ab homine uſus rationis compote, ſine ignorantia, vel errore vincibili *diu* neſciri haud poſſunt.

Ex his autem enumeratis *quatuor* attributis ſequuntur alia illis comprehenſa, & ſine magna difficultate intellectui recte diſpoſito, etiam rudi, *cogitanti tamen* manifeſta. Scilicet *immortalitas* DEI, *inviſibilitas*, *omnipotentia*, *bonitas*, *omniſcentia*, *immenſitas*, *æternitas*. Quæ omnia fluere ex prioribus *quatuor* perfectionibus, pariter ac ſingula hic enumerata lumine naturæ innotuiſſe etiam Ethnicis ſcriptoribus palam fiet ex ſequentibus deductionibus.

## EXISTENTIA DEI.

277. PRimum, ad quod nos lex nat. obligat, eſt noſſe DEUM exiſtere, quod innato lumine notum & cognoſcibile eſſe oſtendimus *an.* 267.) unde etiam legem nat. præcipue circa hujuſmodi notitiam perfecte acquirendam verſari ibidem demonſtratum eſt. Inter plurima autem argumenta primam cauſam, ſeu Ens ſupremum dari probantia, principem locum apud Gentiles Philoſophos tenuit *communis* hac de re *moratiorum* hominum *ſenſus*, teſte Seneca *Ep.* 117. dicente: *Deos eſſe inter alia ſic colligimus, quod omnibus de Diis opinio inſita ſit, nec ulla gens uſquam eſt, adeo extra leges moreſque projecta, ut non aliquos Deos credat.* Cujus ſententiæ fuit etiam Oratorum Princeps l. 1. de LL. c. 8. *Nulla gens eſt tam immanis, neque tam fera, quæ non, etiamſi ignoret qualem Deum habere deceat; tamen habendum ſciat.* Et patet ex *Athenienſibus*, qui teſte Apoſtolo Paulo, aram *Ignoto DEO* erexerant.

Et quamvis plerique Ethnici in ſuo diſcurſu errarint in *hypotheſi*, ſeu circa propoſitionem, quam ſcholæ vocant *Minorem*, determinando in particulari hunc aut illum eſſe verum DEUM; nempe alii Jovem, alii Mercurium, Martem, Solem &c. nihilominus in *theſi*, ſeu circa *Majorem* fere omnes, præter paucos Atheos, conveniunt, lumine naturæ per-

persuasi, deberi aliquod Ens supremum, quod sibi & aliis sufficiat adesse & conservari. Imo quod multi perverse de DEO sentiant, id non intellectus: sed voluntatis vitio adscribit Cicero *l.* 1. *Tuscul. q.* dicens: *Multi de Diis prava sentiunt; id enim vitioso more effici solet: omnes tamen esse vim & naturam divinam arbitrantur.*

278. Alii quoque Gentiles ejusdem Entis supremi existentiam ex *universi* hujus *structura* concluserunt, teste *Mercurio Trismegisto in Pimandro* (vel si quis alius libri hujus auctor est) *cap.* 5. dicente: *DEUS per singulas Mundi partes ubique splendet, atque adeo se notum præstat, ut non intelligere modo: sed manibus etiam ipsis, ut ita dicam, contrectare liceat: cum undique nostris oculis obverſetur, seque objiciat & inculcet ejus imago. Nihil est in rerum natura, quod non aliquam præseferat Divinitatis imaginem*, id est, quod non aliquam perfectionem divinam nobis insinuet.

Ita quippe docet Aug. *serm.* 141. *alias* 55. *de verb. Dom.* ubi ait: *Invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur. Interroga Mundum, ornatum cæli, fulgorem, dispositionem siderum, solem diei sufficientem, lunam noctis solatium. Interroga terram &c. Interroga mare &c. Interroga aera; quanti volatilibus vigent! Interroga omnia, & vide, si non sensu suo tanquam tibi respondent: DEUS nos fecit. Hæc Philosophi nobiles quæsierunt, & ex arte Artificem agnoverunt.*

## UNITAS DEI.

279. DEmonstrata DEI existentia, etiam *unitatem* ejus lumine nat. notam & cognoscibilem esse evincimus. I.) Summa quippe DEI *necessitas* eum unum demonstrat. Nam si sunt duo summe necessarii, vel ita sunt, ut unus possit existere sine altero, vel alterius, ut existat, ope indiget: si *primum?* satis est ille unus, & alter supervacaneus est. Si *secundum?* nullus est DEUS; quia nullus ex iis est Ens summe necessarium. Quod enim est naturæ summe necessariæ, alterius ope ut existat, non indiget.

II.) Id ipsum manifestius demonstrat DEI *omnipotentia*. Etenim DEI appellationi subjecta notio ejusmodi est, ut infinitum aliquod, & infinita vi præditum ad agendum pariter ac resistendum significet. Hoc est, prorsus insuperabile, & quidquid voluerit, summa potestate ac feliciter perficiens: Porro non possunt duo hujusmodi esse;

## CREATIO UNIVERSI.

280. Alterum, in quo DEUS cognoscendus nobis a natura proponitur, est, quod *Creator sit omnium* extra se. Cum enim manifesta ratio persuadeat omnia visibilia haud extitisse a se ipsis; consequens est, ut pulcherrimum totius mundi opificium primæ causæ omnium causarum, atque adeo soli Enti supremo DEO O. M. attribuamus, quod multi ex Ethnicis confessi sunt. Ita enim Sophocles *carm. comic.* canit:

*Cœli solique machinam qui condidit,*
*Vadumque ponti cæruleum, & vim spiritus:*

De prima autem creatione hominis audi Ovidium *in metamorph.* canentem:

*Natus homo est: sive hunc divino semine fecit*
*Ille Opifex rerum, mundi melioris imago.*

His consonat *Arat. Phæn. in princip.* dicens:

*- - - qui compita Numine magno*
*Conciliumque Virum complet pelagusque profundum,*
*Et pelagi portas: fruimur Jove, & utimur omnes:*
*Nos genus illius.*

Per Jovem enim DEUM verum Opificem intelligi debere, testis est Apostolus Paulus *Act. 17. v. 28.* Reliquæ demonstrationes DEI *qua Creatoris* universi, colligi possunt ex discursu *a n. 269.*) pertractato, ubi dum existentiam Entis summe necessarii lumine nat. cognoscibilem ostendimus, ex hac ipsa etiam Creatorem universi inferre facile est.

## PROVIDENTIA & JUSTITIA DEI.

281. Tertium quod naturalis ratio de DEO non obscure dictat, est, recte persuasum esse de ejus *Providentia* & *Justitia*, hoc est, quod DEUS res omnes humanas cum summa Justitia procuret, præmians bona, puniens mala.

Quod providentiam concernit, eam definit Boet. *in quarto de consolat. prosa 6.* dicens: *Providentia est ipsa illa Divina ratio in summo omnium Principe constituta, quæ cuncta disponit.* Dari hanc certo convincitur intellectus humanus I.) ex hac ratione: DEUS Creator est universi hujus, ut supra demonstratum est: igitur non potest ejus curam non habere. *Quis* enim *Operator* (ait Ambr. l. 1. de off. cap. 13.) *negli-*

visum iri Reipublicæ. Quo facit; quia si fingamus DEUM non præmiare bona & non punire mala, necesse est cessare totam legem naturæ, & finem rationali creaturæ præfixum extingui, ut ostendimus *a n.* 247. ) Et eleganter ait Epictetus: *Pietatis hoc principium : bene sentire de Diis, qui & sunt, & res omnes juste ac recte administrant.* In quam sententiam abiit *Plaut. capt.* dicens; *Est profecto DEUS, qui quæ nos agimus audit & videt.* His accinit Ovid. metamorphos. *Aspiciunt oculis Superi mortalia justis.*

## IMPERFECTIONIS EXCLUSIO.

283. *Quartum*, quod Jus nat. unumquemque de DEO sentire jubet, in eo situm est, ut naturali lumine adjuvante persuasi simus *nullam imperfectionem in DEUM cadere*: sed potius omnem perfectionem in eo reperiri; puta: de illis perfectionibus, quæ *vulgari* de DEO notitiæ *a n.* 264. ) explicatæ, & captui rudium magis accommodatæ sunt. Inter quas recensentur: quod DEUS sit justissimus, omnipotens, sapientissimus Gubernator; mentiri, simulare, decipere, & decipi, ignorare hominis facta & cogitata, male regere mundum, odisse quæ fecit, velle damnationem nostram *quantum in eo est*, non possit: Demum, quod invidia, livore, æmulatione & similibus aliis non moveatur.

Quamvis enim verissimum sit, nullam in DEUM tam *positivam*, quam *negativam* & *mixtam* imperfectionem cadere posse: nihilominus lege naturali eas solas nosse jubemur, quæ ordinariis mediis, & secluso longo studio ac labore, solius rationis *vulgaris* ope percipi possunt. In reliquis autem *subtilioribus* perfectionibus Divinis ratio humana singulari studio, aut speciali DEI auxilio non adjuta cum errare facile possit; eas jure naturali *explicite* scire non obligamur, dummodo *positive* nullam DEO imperfectionem affingamus, negando quod est, aut affirmando quod illi non convenit.

Asserta autem omnis imperfectionis exclusio, quatenus innato lumine percipi potest, hac ratione evincitur: Intellectus recte dispositus demonstrationibus supra adductis, & communi hominum sensu certo persuasus est, DEUM esse *Ens summe necessarium*: consequens est igitur, ut etiam concludat nullam dari in eo imperfectionem: Alioqui Entis hujus summa necessitas alicui imperfectioni

*DEO clausum est, interest animis, & mediis cogitationibus intervenit*; ubi etiam eundem *Lucillum* discipulum suum Philosophiæ Candidatum ad DEI præsentis memoriam habendam adhortatur his verbis: *Quid tibi videbitur divina lex, cum illa suo loco videris? Hæc cogitatio nihil sordidum animo subsidere sinit, nihil humile, nihil crudele: DEUS omnium rerum esse testes ait*. Præclare etiam canit Comœdus Menand. *in comic.*

*Nec acus filum Pamphile concuperis,*
*Quando ipse præsens DEUS inspectat omnia.*

288. V.) Summam *Bonitatem* divinam, præsertim *respectivam* Gens quæ non prædicet, nulla datur, teste Synesio *in orat. de regno*, ita dicente: *Bonum DEUM prædicant omnes ubivis terrarum populi, tam sapientes, quam imperiti, iique universi mutuo consensu, atque una voce profitentur: licet quod ad alia pertinet, variis de DEO sententiis discrepent*. De hac Bonitate dixerat Iphigenius: *Nullum Deorum quippe crediderim malum*. Et Menand. *in comic.* ait: *Qui sit DEUS, bonum idem sit necesse est*. Bonitas hæc sequitur ex exclusione omnis imperfectionis superius demonstrata.

289. VI.) Jam ex omnibus his divinis perfectionibus lumine naturæ notis, & etiam Ethnicorum testimonio evictis duo consectaria materiæ legis nat. apprime necessaria inferuntur. *Primum* est: DEUM esse *supremum legislatorem*, uti enim Cicero *in somn.* ait: *Est rationi vel maxime conveniens, ut ille, qui viget, qui meminit, qui regit & moderatur, atque ita perfectus est, mundo quem condidit, legem ponat*. Huic simile *alterum* est: quod DEUS utpote Creator totius mundi, in omnes homines non tantum *summam* habeat *potestatem*: sed etiam *supremum* in res a se creatas *dominium*. De quo *Eurippid. Phœnis.* ita canit:

*Non possidemus propria Mortales bona,*
*Sed jus Deorum: nostra dispensatio est,*
*Et commodata cum volunt, repetunt Dii.*

Atque hæc sunt officia *theoretica*, quæ homo jure naturali DEO exhibere obligatur *recte sentiendo* de eo. Tractandum jam incumbit de officiis *practicis*, seu in *agendo* consistentibus, qua scilicet ratione homo agnitum Numen colere & amare debeat.

# CAPUT II.

## *De officiis hominis erga DEUM practicis.*

## ARTICULUS I.

### *De cultu naturali* in genere, *DEO practice exhibendo.*

### SUMMARIUM.



### §. I.

*Quænam præcepta naturalia deriventur ex notitia DEI?*

290. CUm *nihil sit volitum nisi cognitum*: & *ignoti nulla sit cupido*; hominem, priusquam sine sua culpa in notitiam veri DEI venisset, a cultu ei reddendo, facile excusari potuisse, nemo est qui inficias eat, ex quo autem pervenit in agnitionem ejus, tanquam Entis summe necessarii, ne

ne cognitio illa sit pure speculativa & inutilis: qualem fuisse in Ethnicis Philosophis observavit Apostolus ad *Rom.* 1. dicens: *qui cum cognovissent DEUM, non sicut DEUM glorificaverunt, aut gratias egerunt: sed evanuerunt in cogitationibus suis*; proxime & in actu *secundo* obligatur ad officia practica ei exhibenda per *rectum illius cultum*, qui nihil aliud est, quam *cogniti Numinis veneratio, certis naturæ legibus definita*. Et dividitur in *internum*: Qui est *veneratio mentis DEO devotæ internis tantum actibus concepta*. Ac in *externum*: Qui est *veneratio mentis DEO devotæ externis quoque signis exhibita*. Ex hoc autem *generali* Juris nat. præcepto sequuntur *specialia*, tam *affirmativa*, nempe Amoris, honoris, & obedientiæ; quam *negativa* præcepta prohibentia quidquid cultui divino adversatur, quæ omnia uno verbo dicuntur *Religio in DEUM*. Ita docente Lact. *l.* 5. ubi ait: *Si est pietas agnoscere DEUM, cujus cognitionis hæc summa est, ut eum colas: ignorat utique justitiam, qui Religionem DEI non tenet*.

Hanc ipsam religionem *Seneca tragædus* reponebat in puritate animi ab omni noxa liberi, dicens: *Optimus animus pulcherrimus DEI cultus est*. Recta quippe religione habita & animi puritate approbata veluti in vasculo fluctus complectetur homo ea omnia, quæ Auctori & supremo Legislatori suo debet. Demum satisfaciet naturali obligationi tendendi ad finem proprium sibi a Creatore præfixum, scilicet ad felicitatem naturæ rationali consentaneam, quæ acquiri aliter quam per conjunctionem *moralem* hominis cum DEO, & exhibitionem officiorum ei debitorum, non potest. Quo autem plenius exponantur practica erga DEUM officia, hic in præceptis *generice* adductis afferta: decidenda occurrunt nonnulla dubia circa obligationem cultus interni & externi DEO exhibendi. Hinc

## §. II.

### *An lex nat. præcipiat cultum & adorationem DEI per actus tam internos quam externos exhibendam?*

291. Quidquid aliqui e Protestantibus Naturalistis hic infra refellendis, erronee in contrarium sentiant, certum est omnibus vere doctis & piis utrumque cultum & adorationem DEI tam internam quam externam, seu *mixtam*, homini lege nat. præceptam esse tunc, *quando præcepti natu-*

*naturalis observatio urget, ut eum etiam externe colamus*; quod communiter ex his motivis deducitur.

I.) Quia cum homo anima & corpore constet, & utrumque a DEO habeat: utrumque debet DEO exhibere hostiam viventem, ac ei placentem, in cultum & adorationem ejus. Neque enim est ratio cur sola anima, & non etiam corpus ab illa animatum hac cultus divini lege obstringatur.

II.) Moraliter & humano modo loquendo, non facile possumus reverenter ad DEUM accedere, nisi corpore ipso signa reverentiæ exhibeamus, & per corpus ipsum etiam animum componamus: hic est enim modus homini maxime connaturalis. Et licet interdum possimus per spiritum ad DEUM ascendere sine compositione corporis; raro tamen & ex longa adorandi consuetudine facilitas hæc oriri potest. Hinc cultus exterior homini præcipitur tanquam maxime connaturalis.

III.) Cultus religiosus exigit, ut homo etiam exterius se ostendat servum ac cultorem DEI: & hoc quoque etiam ipsa ratio dictat; ostendit autem se talem per veri Numinis verum cultum exteriorem: Igitur hic modus DEUM colendi sub juris nat. obligatione continetur. Legi hac super re potest D. Th. 2. 2. *q.* 84. *ar.* 2. tum *Picard.* de ceremonies & coutumes religieuses, *Simancas* in Catholic. Instit. tit. 10. num. 5. *Suar.* tom. 3. p. 3. d. 37. f. 3.

292. Non tamen ita intelligendus est cultus *mixtus* a lege nat. esse præceptus, ut æstimetur homo obligari ad utendum semper hoc genere cultus & adorationis: Est enim hoc præceptum *affirmativum*, quod non pro semper obligat, & hinc sicut potest homo multis temporibus non adorare DEUM, ita potest, si velit, sæpe adorare sola mente, sine usu membrorum corporis, quia adoratio & cultus interior prior est, & non dependet a posteriori. Imo utilissimum est sæpe exercere animum in hoc interni cultus modo, ut homo assuescat contemplationi primæ causæ, possitque DEUM suum adorare etiam ubi non est commoditas exercendi externa signa adorationis. Ac proin.

293. Non obstat, quod cultus DEI externus sit a jure *positivo* divino, vel humano præceptus. Nam cultus DEI externus *communis* appellatus, *quatenus est interni complementum & index*, seu *mixtus* signis naturalibus expressus, non est juris positivi ullius: sed *naturalis*: bene autem cultus exter-

externus *specialis* dictus, seu prout est arbitrariis ritibus definitus. Qualis est ille, qui certa Sacrificia & sollemnitates ac ritus, & cæremonias determinat, a solo jure positivo procedit. Cultus itaque externus *communis* in quantum pertinet ad jus nat. consistit in actionibus *externis*, interna officia repræsentantibus. Et quidem I.) In obsequiis *debiti amoris*, faciendo *generaliter* ea, quæ per rationis lumen dictat Creator: *v. g. obeundam mortem* propter ejus veram existentiam, gloriam, religionem &c. II.) In *officio laudis*, honoris & reverentiæ indice. III.) In invocatione pro beneficiis accipiendis, & gratiarum actione pro acceptis. IV.) In officiis *debiti timoris*, fugiendo & impediendo ea, quæ DEO ingrata nobis ipsa ratio promulgat, & sic de multis aliis:

Atqui enumerata officia cultus externi erga DEUM sunt nat. jure præcepta. Quia singula hæc determinate exiguntur ab amore, in ordine ad felicitatem, seu pacem cum DEO habendam *simpliciter* necessario. Nam I.) determinate exiguntur *respectu hominis*, qui obligatur ad aliqua officia Creatori suo exhibenda. Amor enim necessarius DEO a rationali creatura simpliciter debitus exigit *cultum* particulariter consistentem *in observantia* omnium *legum naturalium*, ut per se patet: porro impossibile est absque actionibus externis observare omnes naturæ leges, maxime *affirmativas*: Igitur hac ex parte exigit cultum DEI externum.

Prout autem cultus hic consistit in *laude & gratiarum actione externa* &c. eum exigi ab amore DEO debito, hunc in modum probatur: Amor necessarius, DEOQUE *simpliciter* debitus est *procuratio boni*, seu cultus non qualiscunque: verum DEO simpliciter competentis respectu *totius* hominis, cujus ille est Creator, & conservator; Atqui talis non est solus cultus internus, quia respectu hominis *qua talis*, seu qua compositi ex anima & corpore *insufficiens*, nec completus in suo genere, nisi sit externo conjunctus: Itaque cultus respectu hominis, qua compositi ex anima & corpore, DEO simpliciter competens debet esse internus externo conjunctus. Neque enim concipi potest, quomodo quis v. g. mortem pro DEO, & ejus laude oppetat *mere interne*, in illis circumstantiis, quando præceptum naturale urget pati tormenta, & mori pro illo: talis autem præcepti naturalis observatio est verus & practicus DEI cultus.

294.

284. Deducitur etiam II.) quod cultus DEI naturalis externus *communis* interno conjunctus consistens in impletione legis naturæ, exigatur ab amore per *respectum ad officia proximo nostro* exhibenda. Amor enim necessarius, DEOQUE simpliciter debitus exigit cultum DEO *positive* competentem non modo respectu sui: sed etiam respectu proximi. Quia homo obligatur jure nat. ut ob amorem DEI diligat etiam proximum suum, eique in plerisque casibus sit auxilio in illis, quæ necessaria sunt ad notitiam DEI acquirendam; ad veram religionem insinuandam, vel ad errantem in via salutis reducendum in semitam rectam, & scandala ab eo amovenda: Prout obstringuntur parentes liberis suis prodesse bona educatione, in illis saltem quæ naturalem religionem concernunt; unusquisque etiam obligatus est bona de se exempla præbere aliis, fidem in rebus honestis & licitis datam sancte tenere: in jurejurando nedum veritatem asserere: sed etiam in ejus executione fidelitatem observare, &c.

Hæc omnia & singula prout *ex obedientia* erga DEUM rationalis naturæ Auctorem & Legislatorem fieri debent, sunt aliquis cultus DEI: Atqui non est cultus solummodo *privatus, internus, occultus*, quia *insufficiens* ad hunc finem, DEOQUE non satis dignus, nisi sit *externo* conjunctus, uti fert vulgare illud: *juste jurare, est DEUM adorare*, qualis adoratio sine externa Numinis invocatione fieri utique in juramento nequit, prout nec in danda eleemosyna, quando eam dare jure nat. obligamur: &c. Igitur cultus *respectu proximi* DEO simpliciter ab homine debitus est internus externo conjunctus, in iis casibus, quando naturale præceptum urget hujusmodi actus exercendos.

395. Deducitur quoque *tertio.*) Prædictum cultum exigi ab amore, quem homo exhibere tenetur *immediate ipsi DEO*, persolvendo ei officia specialiter debita. Quia *primo*: DEUS qua sapientissimus Conditor formando hominem *compositum ex anima & corpore*, evidenter habuit, & etiam habere debuit finem, non qualemcunque; sed respectu talis compositi sibi congruum, secus enim redundaret imperfectio in Creatorem: Igitur debuit pro fine intendere bonum sui, non qualecunque: sed ratione talis compositi sibi specialiter competens: Atqui tale bonum non est cultus solum *internus*; quia respectu hominis qua corporei non completus, nec sufficiens; Itaque DEUS formando hominem qua anima &

corpo-

corpore constantem, non solum habuit pro fine cultum *internum:* sed etiam internum externo conjunctum, animo & corpore exhibendum. *Secundo:* Cultus solummodo *internus, occultus ac privatus*, neque respectu *hominis*, qua anima & corpore constantis, neque respectu proximi est sufficiens & completus, neque DEO sat dignus & competens: Igitur DEUS non modo exigit: sed & exigere debet *respectu sui* cultum quoque externum, seu *mixtum*, in illis circumstantiis, quando legis nat. observatio urget, ut eum externe exhibeamus.

## §. III.

### *Quid alii Naturalistæ de cultu DEI externo sentiant?*

296. Commentatores Puffendorfii in varias circa hanc materiam abiere opiniones. Thomassius enim in *Jurisprud. divin. L. 2. c. 1*, negat cultum DEI *externum* naturali jure praeceptum, I.) Eo quod *ratio sibi soli relicta nihil deprehendat respectu DEI, unde inferat eum coli velle*, hujus ipsius causam assignans: quod *DEO opus haud sit cultu exteriore*. II.) Quod ratio neque aliquid deprehendat *respectu hominis* ipsius, ex quo concludat cultum exteriorem; quia signa externa *laudationis, invocationis, gratiarum actionis* inter homines quidem sunt necessaria, cum hi aliorum actus internos non introspiciant; hæc autem ratio cessat in DEO cordium scrutatore. III.) Quod eadem ratio sua neque aliquid deprehendat respectu *socialitatis* humanæ, ex quo cultus DEI externus *veluti debitus* inferri possit. *Tum quod* socialitas humana vitæque tranquillitas, etiam omisso hoc cultu *per se* ac *necessario* nil lædatur. *Tum quod* socialitatis humanæ finis *primarius* sit felicitas: *secundarius* vero cultus DEI externus, tanquam *medium* promovendæ felicitatis. *Tum* demum, quod cultus externi finis sit *beatitudo æterna*, non autem socialitatis humanæ felicitas. Ex his præmissis concludit ille dicens: *Nullam esse divisionem religionis in naturalem & revelatam*, cum omnis religio prout denotat cultum DEI externum, *sit revelata*.

Thomassii in Puffendorfium commentaria & commenta secutus est Engelbrechtus Dunze *disp. 4. ad fin. Jurisprud. Thomassianæ*, ubi defendit hanc thesin: *Homo ex ratione sibi relicta non potest demonstrare DEUM cultu externo esse prosequen-*

*sequendum*. Ejusdem mentis est post alios Kemmerichius; qui in *Elem. J. N. & G. c.* 4. *ad* §. 7. *f. m.* 65. scribit: *Respectu DEI ratio nullam cultus externi necessitatem videt, quia DEUS est scrutator cordium, cui non opus est interna animi sensa per externa signa revelari*, &c. Horum vestigia sequitur *Fleischerus* cum reliquis Thomasii Amanuensibus.

297. Nihilominus ratiocinatio Naturalistarum hujusmodi inconcussam veritatem nixam fundamentis hic *a nu.* 291.) adductis minime enervat. Momenta vero a *Thomasio* congesta facili negotio diluuntur. Nam ad I.) Respondent Eruditi ac pii Viri: ex eo, quod *DEO opus haud sit cultu exteriore*, imperite concludit Auctor, hunc ei jure nat. non deberi: Ille enim neque *cultu interno opus habet*, quem tamen admittit hic Moralista. Ad II.) Utor verbis D. Th. 2. 2. *q.* 91. *a.* 1. dicentis, quod cultus etiam exterior jure nat. exhibendus sit DEO, *non quidem ut ei, qui est inspector cordium, nostros conceptus manifestemus: sed ut nos ipsos & alios ad ejus reverentiam inducamus. Et ideo necessaria est laus oris* (& similis alia exterior) *non quidem propter DEUM: sed propter ipsum laudantem, cujus affectus excitatur ad DEUM ex laude ipsius*. Homo enim cum animam & corpus habeat a DEO, utriusque hujus substantiæ facultatibus obligatur exhibere debita officia Creatori suo.

Ad III.) Rationis ultimæ cum suis confirmationibus adductæ falsitas inde patet *primo*.) Quia etiam juxta ipsummet Thomasium *l. c. n.* 22. cultus DEI est *fundamentum omnis obligationis ac fiduciæ mutuæ* in socialitate humana necessariæ: igitur cognitus & sufficienter declaratus esse debet. Alioqui nedum læditur socialitas humana: sed prorsus tollitur, quia hoc casu fieret *belluina* & irrationabilis sine officiis erga DEUM completis. Confer saniorem hac in parte Gentilis Philosophi Plutarchi opinionem, supra hic *n.* 266.) laudatam, *secundo*.) Enorme est assertum Christiani Naturalistæ, quod socialitatis humanæ finis *primarius sit felicitas*: jam vero *secundarius* cultus DEI externus: Ille enim pervertit ordinem & dispositionem humanæ naturæ Conditoris, qui *totam* ejus felicitatem naturalem in impletione suę divinæ voluntatis per lumen rationis intimatæ consistere voluit. *Societas* autem *humana*, prout consistit in vita, mutuo amore, pace & quiete tranquilla, est potius *effectus* impletæ divinæ illius voluntatis, ad normam ejus societatis, qua fruuntur Cælestes incolæ in beata patria.

298.

298. Ac proin *tertio.*) non subsistit ultima confirmatio: Cultus quippe externi finis idem est ac interni, hoc enim atque illo tenemur servitutem nostram, non minus quo ad animam, quam quo ad corpus exhibere Creatori nostro debitam: Atqui spectato præcise jure nat. finis interni cultus est felicitas *naturæ rationali proportionata*, sic, ut *temporaneę* sit finis secundarius, *spiritualis* vero, etiam ultra hanc vitam extensa sit finis primarius, ut ostendimus *a n.* 246.) igitur &c. Reliqua Protestantium Sophorum & Theosophorum momenta, si quid probarent, id solum evincere possent, quod jus nat. præcepto suo *affirmativo* non determinaverit *certum stabilem modum* cultus & adorationis *externæ*, quanquam nec *internæ*, quo constanter & immutabiliter DEUM colamus, vel adoremus: sed illum reliquerit arbitrio uniuscujusque hominum pro statu naturæ *primigenio:* pro statu vero *hypothetico* & *civili* voluerit eum dependere qua ab arbitrio proprio, qua a jure positivo, qua a circumstantiis eum exigentibus, ut fit, dum obligamur DEUM profiteri coram Tyranno, & mori pro eo, si opus fuerit. Tunc enim adest præceptum naturale determinatum, externa hac professione internæ conjuncta colendi Creatorem &c. Verum cum hæc certa nobis sint, facile in unam conspiraremus sententiam, si his solis contenti forent Adversarii. Interea tamen ex illorum supra adductis argumentis minime sequitur tam internum quam externum cultum DEI non esse jure natur. etiam *in genere* præceptum, quod iis negantibus, serio & constanter defendimus ac profitemur.

## §. IV.

### *An aliquis cultus, seu officium practicum debeatur DEO ex justitia?*

299. EX quo utrumque cultum internum juxta ac externum DEO jure nat. deberi conclusimus, oritur inde quæstio: an ille debitus sit ex *justitia*, vel sola naturali *religione*: aut ex *mero decoro* aut *honesto*, cum etiam ex his solis motivis exerciti actus dicantur ex jure nat. provenire, quatenus naturali rationi sunt conformes?

Ansam autem quæsito huic præbuit *Fleischerus* cum suis sequacibus, qui in *Inst. J. N. & G. l.* 2. *c.* 1. §. 49. *f. m.* 235. ait,

ait, ad cultum *internum* nos obligari ex *regula justi esse absonum dicere*, eo quod *regulæ justi supponant læsionem*: Deus autem a creatura lædi haud possit. His non contentus addit; neque ex *regulis decori* nos obligari *spectata ratione*, eo: quod DEUM bono aliquo afficere neque ejus conceptus, neque virium nostrarum imbecillitas admittat. Cultum igitur DEI *internum ex solis regulis honesti* deducit, verum cum hac digna Christiano Naturalista limitatione: *ut ne nobis falso persuadeamus, acsi illum hanc ob causam instituere debeamus*, NB. *ut DEI gloriam promoveamus. Imo acsi gloria DEI promoveatur, agendo justa, honesta, ac decora, vanissima persuasio, ac nonnisi ingenio SUPERSTITIOSO digna*. Præoccupando autem tela contraria, addit: *Neque contradicere Apostolum* 1. Cor. 10. ver. 31. dicentem: *sive ergo manducatis, sive bibitis, sive aliud quid facitis, omnia ad gloriam DEI facite*. Cur autem Apostolus per hujusmodi verba non contradicat assertæ doctrinæ suæ; mox affert rationem: *Cum hoc saltem dicere videatur, quod bonis concessis uti debeamus, ut alii videant nos magni facere concedentem*.

Morali huic subjungit Fleischerus ibid. *omnes eos, qui ubique circa actiones suas gloriam DEI crepant, hoc ideo agere, quod facile convinci queant, actiones eorum, neque vere honestas, neque justas, neque utiles esse. Confugiunt* (inquit) *hanc ob causam ad rem sublimem, & STULTITIAM suam tegere satagunt gloriæ divinæ prætextu*. Hæc ille de cultu DEI *interno*, quid autem de externo sapiat; patet jam ex præcedente quæstione.

300. Sanior autem Jurisprudentia natur. detestatur hunc Protestantici scriptoris DEO injurium, & veritati contrarium errorem. Omnes quippe vere Prudentes ad propositam quæstionem respondent: Cultum & officia perfecta jure nat. *præcepta*, qualia sunt v. g. *DEUM agnoscere* ut naturæ Auctorem, *non blasphemare*, eum *timere*, *revereri* &c. esse illi debita *ex justitia*. Uti enim liquet ex *n. 74.*) Omnis obligatio naturalis fundatur *in debito naturali necessario*, ac obligatione indispensabili; *sub reatu culpæ & pœnæ necessario explenda*: pront patet in exemplis. Sive enim obligatio hæc provenerit ex justitia *mere legali naturali*, quam universalem vocant, a qua *prohibetur* v. g. blasphemia, infidelitas, desperatio &c. ac *præcipitur* agnitio DEI, rectus de eo sensus, & fides vera, spes &c.

Sive

Sive demum procedat obligatio hæc ex justitia commutativa seu *stricta* ac *rigorosa*, qualibet ex his uti *necessario* ad actum vel ejus omissionem obligat: ita *necessario* ac ex justitia executioni per creaturam rationalem mandanda est; idque ob hanc rationem: Quia omnis actus, quem DEUS qua naturæ Auctor & supremus rerum omnium Dominus *necessario* potest exigere a sua rationali creatura, est ei ex justitia debitus: Atqui inter officia hominis erga DEUM jure naturali præcepta, sunt tales actus, quos DEUS qua naturæ Auctor *necessario* exigere potest; imo defacto *exigit*, ne blasphemetur, ut pro vero DEO & Domino agnoscatur, timeatur &c. & quidem exigit *necessario*, nisi enim hæc exigeret, negaret seipsum, ut patet ex *n.* 263.

Hi igitur & similes actus sunt illi ex justitia *universali* debiti. Juxta dicenda enim hic *c.* 4. *art.* 4. Justitiæ naturalis universalis, seu legalis prout distinctæ a commutativa, objectum immediatum est *observatio juris alicuius*, vi cujus potest quis v. g. a me exigere actum sibi debitum.

301. Nec refert, quod DEUS non possit a creatura lædi: id enim solum de *entitate divina* verum est, seu quod *in se ipso*, ac bonis suis *intrinsecis* læsioni nullo modo sit obnoxius. Lædi tamen adhuc potest, imo sæpissime ab ingrata creatura sua læditur in bonis suis *extrinsecis*, ac jure quod habet adversus illam sibi lege naturali obligatam, ut eum agnoscat, amet, revereatur, colat & timeat implendo naturalia officia sua erga eum. Alioqui non esset ratio, cur blasphemos, perjuros, idololatras, Atheos, ac *meros Naturalistas*, aliosque sibi debita officia jure nat. præcepta non persolventes, & ab his alios, qua dictis, qua scriptis impie avertentes puniat?

302. Falsum quoque est, quod *regula justi* semper supponat actu existentem *læsionem*: id quippe habet locum in restitutione, compensatione, ac reparatione juris alieni læsi, supposito facto aliquo damnum inferente & injuriam: Ante læsionem tamen eius, circa persolutionem debiti, justitia universalis, seu in genere sumpta, cum sit *virtus moralis observativa per se juris alicujus*, seu cum per *lib.* 10. *ff. de J. & J.* sit *constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, illa potius attendit *ad æqualitatem actionis* cum jure alterius exigente eam, nec ullam præsupponit, aut prærequirit læsionem: sed potius exigit debiti actus solutionem, seu exhibitionem, *ne alter in suo jure lædatur*

ter ejus culpabilem omissionem. Si autem casus versetur circa obligationem ex justitia *commutativa* ortam, tunc hæc prout est *observativa juris proprietatis*, attendet ad *medium*, seu *æqualitatem rei*, quæ alteri debetur.

Quodsi forte lis moveatur *de nomine*, opponendo: justitiam proprie & stricte talem non habere locum in officiis erga DEUM, sicut nec erga *seipsum*; eo, quia non ad *æqualitatem cum jure alterius* fiat. Contra erit: Etsi enim non habeat locum *æqualitas cum jure* divino *proprietatis*: bene tamen adhuc habebit *æqualitas cum jure* Divino *exigente certam actionem* sibi *necessario* debitam, juxta dicta *nu. præced.* Quia licet forte non haberetur justitia *rigorosa* proprie talis ac *commutativa* inter DEUM & hominem: optime tamen adhuc justitia naturalis *universalis*, quam etiam *suo modo* esse rigorosam, utpote eam, quæ *necessariam* debiti obligationem inducit, cum *D. Thoma* defendunt graves Theologi, & nos infra probabimus *a n.* 554. *&* *n.* 648.)

Quanquam ex communi sententia etiam justitia *commutativa* seu rigorosissima datur *in creatura rationali* erga DEUM, imo etiam *erga seipsum*, quatenus homo respectu corporis, vitæ & talentorum non agit dominum: sed merum administratorem ac *usuarium* salva rei substantia, quam si destruat, v. g. culpabili actione mutilando, vel occidendo seipsum, inferet injuriam DEO, penes quem vitæ & membrorum homini concessorum *directum* dominium manet.

303. Ex hoc discursu sequitur: internum pariter ac externum DEI cultum, quoties hic spectat ad officia perfecta, seu in naturali debito *necessario* fundata, deberi illi ex justitia: Contra vero, si fuerit cultus ille mere *supererogatorius*, & liberaliter assumptus, hic procedet ex regulis solius *decori* & *honesti*, prout non fundati in debito naturali absolute necessario.

Excipe tamen adhuc eos actus, qui *liberaliter* quidem erga DEUM exerciti, aut promissi sunt: sed jam transierunt sub jus nat. *hypotheticum*. Exempli gratia: si votum de re meliori DEO mere liberaliter factum est; factio ejus fuit quidem ex solo *decoro* & *honesto* non fundato in prædicto debito naturali: impletio tamen ejus debita jam erit etiam ex *justitia*, & non ex sola religione; juxta naturale axioma: *Contractus, pacta, & promissiones acceptatæ ac honestæ ab initio sunt voluntatis: ex post facto necessitatis*. Neque enim DEI conditio potest hic esse deterior conditione hominis: At-

qui

qui promissio mere liberalis homini spontanee facta honesta, & ab altero acceptata inducit obligationem juris nat. *hypothetici*, seu ex suppositione liberi consensus ortam, ac constituit interdum eam, quæ spectat ad justitiam *commutativam*, si scilicet promittens intenderit se ita obligare: interdum illam, quæ ad solam justitiam *universalem* naturalem reducitur, qualis est, si promissor se ex *sola fidelitate* obligavit, quin ad restitutionem ullam teneatur &c.

Igitur sicut actus hujusmodi, quamvis alias priusquam essent promissi, non spectabant ad actus justitiæ, & poterant ex alio titulo exerceri: nihilominus ex allegata hypothesi consensus, spectant ad aliquam justitiæ naturalis speciem; ita actus DEO promissi, præter titulum religionis, spectabunt pariter ad obligationem alicujus justitiæ, ut docet *D. Th.* & liquet ex dictis *a n.* 578. *&* 648.)

304. Quod autem *Fleischerus* cum similibus aliis Naturalistis invehatur in eos, qui per actus suos legi naturali conformes ac DEO debitos conantur quantum in iis est, *gloriam ejus promovere*, illosque *stultitiæ* damnet, ac verba Gentium Apostoli ad suum errorem perverse detorqueat: alia confutatione non eget, quam ut opinio ejus recte disposito intellectui hominis Christiani, imo & Ethnici, qui non omnino rudis, aut temerarie impius est, trutinæ relinquatur. Sana enim ratio cuique suasor est: hominem esse creatum ad DEI perfectiones manifestandas ejusque Gloriam, pariter ac v. g. avem esse creatam ad volatum, & pro utilitate hominum, vel ad decorem Universi:

Sicut igitur volucres naturæ suæ *necessitate* illis funguntur officiis ad quæ creatæ sunt: ita homo naturalem suam *libertatem* obligatur eo impendere; ut per officia sibi propria tendat ad finem sibi a suo Creatore præfixum: consequenter, quantum in illo est, ac naturaliter potest, manifestare perfectiones divinas, ejusque Gloriam promovere obligatur.

Nec obstat quod DEUS promotione hac, & gloria non indigeat: etenim patet jam responsio *a n.* 297.) ex *D. Th.* & etiam ethnicis Sophis adducta; quod promotio hæc gloriæ divinæ non quidem DEO necessaria sit: bene tamen homini ipsi, cui naturali lege *necessitas* hæc officiorum erga suum Creatorem juste imposita est. Et certe neque Rex aliquis creatus indiget, ut subditus suus homo rusticus se agnoscat pro supremo Principe, aut tenue tributum dimi-

dii v. g. floreni fideliter solvat: subditus tamen quia subditus est, ex sua parte obligatur hæc implere, & quidem ex *aliqua* justitia.

## ARTICULUS II.

*De officiis naturalibus in sua* specie *practice exhibendis DEO.*

## SUMMARIUM.

305. *Ad quæ officia* practica *erga DEUM obligemur?*
306. *DEUS potest credi fide naturali.*
307. *Homo in fide naturali fundatus debet tendere ad finem suum per media proportionata.*
308. *Amor DEI naturalis est unum ex præcipuis mediis.*
309. *Qui amor sufficiat ad præceptum nat. implendum?*
310. *Decernitur quæstio contra* Jansenium &c.
311. *Satisfit contrariis.*
312. *DEUS diligendus amore natur. nedum* concupiscentiæ: *sed etiam* benevolentiæ, *eoque* summe appretiativo *naturaliter.*
313. Pœnitentia *post peccatum jure nat. præcipitur. Et quid de mortificatione dicendum?*
314. *Quæ sint vitia officiis DEO debitis contraria?*
315. *Atheismus tolerandus a Protestantibus asseritur.*
316. Atheus *in Polonia vivus exuritur.*
317. &c. Polytheismus, infidelitas, perjurium, voti violatio *probibentur.*

### §. I.

*Quæ sint officia practica de jure nat. per actus qua internos, qua externos DEO exhibenda.*

305. Loquendo de actibus *internis* patet jam ex *nu.* 261.) hominem jure nat. obligari I.) ad notitiam & agnitionem DEI secundum vires quibus pollet, inquirendam & habendam. Hæc enim est fundamentum omnium aliorum officiorum, & felicitatis naturalis, ac initium æternæ, juxta explicationem adductam hic *num.* 256.) Debet quoque

que II.) perfectiones divinas agnoscere eas, quæ lumine naturæ agnosci possunt, aut saltem ex notione *Entis absolute necessarii* facile perceptibiles sunt, quales supra a *num.* 276.) ostendimus: *Existentiam*, & *unitatem* DEI, qua *Creatoris, Gubernatoris, providi, justi mala punientis, bona remunerantis*. Qui cum sit *invisibilis*, debet igitur III.) de existentia ejus, & prædictarum illius perfectionum haberi *fides naturalis*, cujus firmitas fundatur in demonstrationibus superius adductis, ac argumentis, quæ recta ratio cuique insinuare potest.

306. Nec obstat *Puffendorfii* & ejus sequacium persuasio, volentium DEUM non posse credi fide naturali, eo quod donum fidei ex supernaturali revelatione habeatur. Contra enim est, quod actus hujusmodi procedere possint ex diversis principiis, ita ut qua parte procedit ex motivo mere naturali, sit naturalis; supernaturalis vero quatenus ex motivo supernaturali veracitatis, infallibilitatis, revelationis divinæ oritur. Et ita pleraque objecta ex fide divina credimus, quæ tamen naturali ratione scimus, ut docet D. Th. 1. 2. *q.* 63. *art.* 3. *ad* 4.

Tanto minus solida est ratio illa Protestantium, qua hi falso supponunt actum fidei naturalis de DEI existentia semper fieri, vel esse debere supernaturalem. Ita quippe illi de suo (ut dicunt, ac si Superis placet) *beato* Luthero habent firmam fidem, quod cælesti beatitudine jam fruatur: & tamen actus fidei hujus certo *non est supernaturalis*, ut per se patet intelligentibus: imo *nec naturalis*: cum ex nullo principio lumine natur. noto per conclusionem absolute certam procedat.

307. Ita autem modo præallegato homo in animo suo comparatus per actus *theoreticos*, ac in fide naturali de DEO solide fundatus obstringitur IV.) practice tendere ad *finem suum naturalem*, vitam suam & actiones conformando voluntati Creatoris sui agniti per lumen nat. ejusque legem nat. implere per ea, quæ diximus *a num.* 290.) Ac proin tenetur V.) *spem suam summam & ultimam*, non in divitiis, vanitate & fluxis rebus: sed in solo DEO naturæ Auctore plene reponere. Quia spes *objectiva* ultima & summa hominis, etiam abstrahendo a supernaturali statu spectati, nequit esse alia quam ipse DEUS, qui unice est *summum bonum* ejus, & *finis adæquate ultimus*: Igitur extra hunc solum spem *summam* & *ultimam*, sive for-

tet ex his momentis. I.) Tenetur ita amare amore *concupiscentiæ*: Connaturale enim homini est, ut amet eum, quem bonum erga se experitur, vel sperat. Atqui ille bonitatem hanc DEI *respectivam* in omnibus, quæ habet, & sperare potest, liberalem experitur, confitente vel ipso Satana, Job. c. 1. v. 10. *Vallasti eum beneficiis*; Cum itaque bonum naturaliter non possit non amari; sequitur hominem naturali præcepto obstringi ad amandum DEUM amore prædicto.

II.) At neque amor *benevolentiæ* illi negari potest: Cum lumine naturali doceamur Ens summe *bonum in se ipso*, & ipsam substantialem bonitatem propter *se ipsam* amandam esse. Id enim etiam absoluta rationalis creaturæ erga DEUM, qua suum ultimum & adæquatum finem obligatio exigit. Contrarius vero Heterodoxorum error ad Atheismum viam sternit. Qui apud Habert. *theol. dogm. t. 3. de spe. c. 2. f.* 597. his terminis exprimitur: *Amor nostri est velut prima radix, ex qua oriuntur & crescunt cæteri amores: ac proinde una est ratio amandi DEUM, scilicet bonitas ejus relative ad nos spectata, fictitiumque ac prorsus impossibile, amare DEUM quatenus præcise bonus in se est*. Absurdo huic errori convulso alias per D. Th. 1. *p. q.* 60. *a.* 5. Puffendorfius, Thomassius cum reliquis sequacibus suis superædificarunt *socialitatis* suæ principium, ad quam ut omnium corda & animos converterent, DEO debitum *benevolentiæ* amorem cum aliis officiis a Jurisprudentia naturali exclusum ad moralem Theologiam imperite relegarunt.

311. Opponent quidem illi, in præsenti statu naturæ lapsæ homo sine speciali gratia non potest aliquem actum amoris supernaturalis elicere: ad imposibile proin nequit obligari. Sed prætextus hic errorem eorum non sanat. Quia Jus nat. non obligat hominem ut amore *benevolentiæ* ac *amicitiæ* DEUM amet super omnia *etiam supernaturaliter*, ac determinate, licet non sit instructus mediis supernaturalibus: Sed potius adstringit eum, *ut faciat id quod potest*. Ita quippe & nos debitores nostros, qui toti debito solvendo non sunt, obligamus adhuc ad solvendum id, quod possunt: Porro potest homo lapsus *solis* naturæ viribus amare DEUM super omnia *amore naturali*, tum *benevolentiæ* & *amicitiæ* efficaci quo *ad affectum*: id est tali, ut cum eo stare non possit voluntas peccandi mortaliter; adeoque etiam quo *ad effectum*, pro *brevi tempore*, quo durat.

Nam potest homo in præsenti statu naturæ lapsæ non adjutus auxilio sibi indebito cognoscere DEUM, ut primum principium & finem ultimum in esse naturæ, adeoque ut summe & super omnia bonum bonitate tum respectiva tum absoluta: Igitur cum DEUS repræsentatus sub tali ratione boni contineatur intra objectum naturale voluntatis, etiam potest (seclusa gravi tentatione aliove impedimento) solis naturæ viribus in illum sic cognitum ferri amore proportionato, eoque *efficaci* saltem ad *breve tempus*, cum nullum adsit fundamentum dicendi, quod id vires ejus superet. Hinc damnata est a Pontifice *Bajana* prop. 36. *Amor naturalis, qui ex viribus naturæ oritur, ex sola Philosophia per elationem præsumptionis humanę cum injuria crucis Christi defenditur a nonnullis Doctoribus.*

312. Quod etiam III.) DEUS jure nat. diligendus sit amore summe *appretiativo*, id est ita, ut paratus sit vitam & omnia sua bona amittere potius, quam legem ejus deliberate transgredi: res probatione non eget consideranti DEUM esse largitorem & Dominum omnium, ac nihil esse bonum, cui DEUS eique debita obedientia postponi queat.

## §. III.

*An ad naturalia officia hominis erga DEUM spectet, post peccatum pœnitentiam agere?*

313. QUamvis sæpius hic laudati Naturalistæ cum *Thomassio* & *Fleischero* quæstionem hanc ad superstitionem & stultitiam relegent, nihilominus prudenti dubio vacat: hominem in peccatum mortale lapsum jure nat. obligatum esse ad agendam pœnitentiam.

Quia I.) Id necessario exigit officium amoris, quem peccator Creatori suo naturaliter debet, & requiritur ad felicitatem naturæ humanæ propriam; seu ad pacem cum DEO habendam est actus simpliciter necessarius: Jam vero uti eleganter ait *Cicero* lib. I. de natur. Deor. *Nemo restitit DEO & pacem habuit*, ac Regius Psaltes ait: *non est pax impiis.*

Huc facit II.) Quod pœnitentia sit virtus una ex moralibus, quæ spectant ad justitiam naturalem, pariter ac aliæ hujusmodi virtutes, uti sunt *Obedientia, timor DEI &c.* III.) Illam agnoverunt Ethnici, ut videre est apud Stobæum

*serm.*

*serm.* 44. *in proœm. legum Seleuci & Charondæ*, Platonem *l.* 10. *de legib.* & L. B. de Cherbury *de Relig. Gent. c.* 15. *f.* 263. Unde Augustinus *lib. de duab. animab. contra Manich. c.* 14. ait: *Vox est ista naturæ, neminem stultum rei hujus notitia deseruit. Hoc nobis nisi penitus insitum esset, periremus. Potest aliquis dicere, nec se peccare: non autem sibi esse, si peccaverit, pœnitendum; NULLA BARBARIES dicere audebit*, id tamen & dicunt & scribunt Protestantes cum *Thomasio, Fleischero* &c.

Nec refert, quod peccator *solis* naturæ viribus non possit redire in amicitiam cum DEO offenso. Quia non ideo naturalis obligatio pœnitendi desinit ex parte hominis: immensa autem Misericordia divina in nullo statu naturæ defuit, neque deest cum auxilio gratiæ suæ his, qui conantur ea, quæ actu possunt, ut colligi potest ex decisis *a n.* 251.

Certe enim Gentiles ante Christi adventum nihil audiverunt de auxilio *supernæ gratiæ*, & tamen *pœnitentiam* post crimen admissum agendam, naturali lumine edocti existimabant. Etenim præter eos quos hic supra in testimonium adduximus, *Ovid.* projectæ alioqui vitæ Ethnicus, ubi quadantenus ad cor rediit, suasit eam nedum serio instituendam; sed etiam de die in diem *non differendam*, ac peccatorum occasiones fugiendas. Ita enim canit *l.* 1. *de Remed. amor.*

*Principiis obsta: sero medicina paratur,*
*Cum mala per longas invaluere moras,*
*Sed nec te incertus venturas differ in horas:*
*Qui non est hodie, cras minus aptus erit.*

Et *Periander* Atheniensis Philosophus monet; *cum peccaveris, subeat te pœnitentia*. Horatius quoque L. 3. *Carm.* 24. coævos suos docuerat, veram pœnitentiam fieri non posse, nisi cupiditatibus fræna imponantur:

*Scelerum si bene pœnitet,*
*Eradenda Cupidinis*
*Pravi sunt alimenta.*

Hoc autem loco suboritur quæstio: An *pœnitentiæ externæ*, seu corporis mortificationes sint licitæ & jure naturali conformes? Negant quidem cum *Puffendorfio, Thomasio, Vvebero, Vvolfio* Protestantium Naturalistæ, eo quod jus nat. prohibeat sui ipsius occisionem, mutilationem, percussionem, inedia confectionem, & omnem injuriam in suum corpus ac vitam, cujus homo non habet dominium: & quod DEUS ipse displicere sibi *externas* pœnitentias non ob-

scure

scure significet, ubi ait *Joel* v. 12. *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra.*

Verum contra sanam rationem, & omnem rectæ doctrinæ consequentiam nituntur naturales Sophistæ illi. Licet enim *pœnitentia externa* in eleemosynis, jejuniis moderatis, & corporis mortificatione consistens non sit lege nat. *determinate* præcepta: nihilominus *neque* etiam est *prohibita*. Atque adeo spectat ad legem nat. *concessivam*.

Sicut igitur nil obstante ratione contraria, quod homo non habeat dominium vitæ, corporis sui, & membrorum, adhuc licite potest fatigare & affligere corpus suum per labores *externos*, vigilias, inediam *moderatam*, & sexcenta pericula, quibus se exponit militiam militando, mercaturam exercendo, serviles labores circa agriculturam exantlando &c. quia habet sibi a DEO concessum *usum* vitæ & membrorum corporis sui, ad hujusmodi & alia exercitia, propter bonum publicum, vel honorem sui Principis, aut ob suam propriam, eamque temporalem utilitatem prudenter obeunda; ita pariter, imo fortiori ratione permittitur uti *externis* qua fortunæ, qua *corporis* facultatibus ad *bonum animæ suæ* & ad divinam gloriam: cum DEI conditio nequeat esse deterior conditione Principis creati, Reipublicæ, & negotiorum hujus vitæ temporalium, propter quæ homines mundani *longe molestiores* afflictationes, imo plerique etiam præmaturam mortem subeunt & oppetunt. Hæc enim omnia consequuntur *statum naturæ adventitium*, quem Originale peccatum ac naturæ integræ *corruptio* invexit simul cum vitæ hujus miseriis tam internis, quam externis, quibus sublevandis permissa sunt etiam idonea remedia, a nostro labore, voluntate, & divino concursu dependentia.

Alioqui neque pro bono publico liceret militi mortem oppetere, ærumnisque belli, ac vulneribus corpus suum exponere. Imo, nemo obligaretur unquam Martyrium pro *vera Religione* perpeti, obstante ratione protestantica supra adducta, si hæc sanæ menti conformis est. Ad cujus confirmationem non recte adducitur textus ex *Joele*. Ibi enim sermo est *de pœnitentia ficta*, mere *apparente*, pure externa, nec conjuncta cum *interno* dolore, ac vitæ pessimæ emendatione, qualem etiam Ethnici detestabantur, uti patet ex adductis testimoniis. Dein, quia scissio vestimentorum damnum quidem vestem suam scindenti infert: sed nullam connexionem sive cum *interno* dolore, sive cum *ex-*

*terna*

*terna* pœnitentia & *corporis* peccato obnoxii mortificatione habet.

Contra vero *externa* pœnitentia *internæ* ac *seriæ* conjuncta, quod efficax & DEO accepta fuerit, patet in exemplo *Ninivitarum*, Jonæ c. 3. Dicere autem cum hodiernis Naturalistis, *Ninivitas* peccasse contra legem nat. quod *externas* mortificationes, jejunia, cilicia &c. *sponte* & *libere* pro suis peccatis assumpserint, dementis cerebri est.

## §. IV.

### *Quæ sint vitia Officiis DEO naturaliter debitis contraria?*

314. INter *negativa* juris nat. præcepta primum locum obtinent ea, quæ prohibent quidquid notitiæ DEI cultuique ei *necessario* debito oppositum est, adeo ut singulis officiis tam theoreticis quam practicis supra explicatis contrarie opponantur actus prohibiti interni & externi divino honori repugnantes. Imo etiam omnis ignorantia, ac error vincibilis. In specie vero prohibetur: I.) *Atheismus*, seu impia opinio, qua homo studiose negat DEUM existere: aut voluntarie dubitat de ejus existentia.

315. Protestantici quidem Moralistæ in utramque partem disputant circa tolerantiam impiæ *Atheistarum* sectæ, ita ut Hobbesius hic supra relatus solum *imprudentiæ*, non item *injustitiæ* Atheum arguat. Imo ibidem asseruit Atheismum jure nat. non esse prohibitum, eo quod Lex nat. *voluntatem solam*, non item actum intellectus, in quo Atheismus consistit, obstringat.

*Kemmerichius* autem in Puffendorfio enucleato *c.4.n.57. f.m.70.* eidem impietati patrocinatur dicens: *Ceterum hoc affirmaverim, pœnis Atheum, quamdiu tranquille vixit, juste haud affici, etsi notorius sit, quoniam Atheismus speculativus est error intellectus, errores vero intellectus legibus & pœnis corrigi nequeant*. Opinio hæc si Christiano, imo quocunque alio sanæ mentis Naturalista & Theosopho digna est, manifeste aperit viam cuique sentiendi & scribendi de DEO ac religione, quidquid impie velit: quia *errores intellectus legibus & pœnis corrigi nequeunt*. Hoc autem argumentum mutuatus est ille a Lutheri ratiocinio, quo ipse tam suos recens tunc in Germaniam invectos, quam *Joannis Hussii* errores propugnare nitebatur.

316. Mi-

316. Mirum sane est! quod Christiani Magistratus hujusmodi commentaria & commenta vendi, emi & legi impune tolerent, cum tamen ethnicus *Plato* in suis Legibus *Lib.* 10. contra temerarios de religione & divino cultu scriptores hanc dictasse sententiam legatur: Primo *in correctionis carcerem non minus quam quinquennium permansuros Judex conjiciat . . . quodsi rursus impietatis crimine condemnabuntur, morte amplectantur.*

Idem Ethnicus *L.* 2. *de Republ.* a suis Græcis prohibuit legi *Homerum*, *Hesiodum* & similes iis Poetas (qui soli tunc apud Græcos morum erant scriptores) eo quod de DEO non sine injuria ejus canerent & scriberent. Solis Christianis Naturalis juris Interpretibus fas est sentire hodie de DEO, & religione quidquid lubet. Quanquam olim in Regno Poloniæ circa Annum 1701. Petricoviæ in generalibus Regni Judiciis *Petrus LYSCHZINIUS* qui alias *tranquille vixerat*, publicis flammis vivus exustus sit, pro hoc *solo* pentametro in publicum obstinata malitia evulgato:

*Numina nomina sunt, vera chymæra DEUS.*

Certe Atheum hunc eripuisset ultrici pyræ *Kemmerichius*, & Magistratum satius illi devovisset, eo quod notorie impium quidem hominem, *tranquille* tamen viventem infami rogo addixerit.

317. Prohibetur II.) *Polytheismus*. Uti enim demonstratum est *a n.* 279.) admissa pluralitate Deorum impediret unus alterum, quo minus vel bonum regimen ab illis administraretur, vel alteruter eorum non succumberet æmuli sui viribus, ita vero uterque esset miser & jurgiis expositus, prout in studio Trojæ contigisse fingit Poeta:

*Mulciber in Trojam, pro Troja stabat Apollo,*
*Sæpe premente DEO, fert DEUS alter opem.*

318. Excesse etiam jubetur III.) Omnis *infidelitas, idololatria, hæresis, superstitio, vana observantia, magia, divinatio, tentatio DEI, sacrilegium*, ac ejusmodi alii errorres, prava de DEO sentientium, aut divinis abutentium. Quia hæc & similia directe repugnant *Amori* DEO naturaliter debito, & ad pacem cum DEO habendam simpliciter necessario.

Eo-

Eodem naturali jure IV.) Profligantur *blasphemia* & *maledicta* in DEUM, aliæque injuriæ, verbis aut factis prolatæ. Unde non Athei solum, Polythei & Idololatræ: sed blasphemi quoque, qui DEUM injustum, aut mundum male gubernare, rebus humanis non satis consulere, vel alia similia de illo proferunt, impii esse & contra jus nat. delinquere noscuntur, pariter ac ii, qui in ejus S. Evangelium aut Sacramenta, crucem Christi &c. maledictum aliquod evomunt, vel *interne* sentiunt.

319. Huc spectat V.) *Juramentum*, seu invocatio DEI, aut rei divinæ in testimonium adductæ. Quod erit contra jus nat. 1.) si desit necessitas vel judicii, in quo litigatur, vel alterius gravis causæ. 2.) Si desit res justa, licita, honesta. 3.) Si absit veritas saltem animo apprehensa. *Ratio* horum est. Quia in his casibus rationalis creatura abutitur adorando nomine Creatoris sui, vel re ab eo facta, v. g. sole, per quem falso jurat &c. Et licet hic alter abusus videretur solam creaturam falso in testimonium invocatam afficere: nihilominus *indirecte* afficit etiam Creatorem ejus, sicut qui contemnit artefactum, contemnit Artificem, & qui abutitur sui Principibus scriptura, infert injuriam Principi ipsi, D. Th. 2. 2. *q.* 89. *&* *q.* 98. Nec refert, an fuerit juramentum *assertorium*, vel *promissorium*. Nam jus nat. non distinguit circa conditiones ad juramentum quodvis requisitas, quas hic recensuimus. Et perinde perjurus es, sive DEUM qua *veracem* in testimonium vocaveris, sive eum qua evictorem aut fidejussorem imploraveris, dicendo v.g. *sicut DEUS fidelis est, ita fideliter implebo, quod promitto*. In utroque enim casu aut veracitate, aut fidelitate divina abutens gravem ei injuriam irrogas, si jurata promissa tua culpa non imples.

320. Dubio quoque vacat: naturali jure prohiberi VI.) *Apostasiam*, *abnegationem DEI*, vel *religionis veræ*; non minus ac *violationem voti* DEO sponte & libere nuncupati de meliori bono. Voti enim infractio est perduellio & perfidia in DEUM, quam etiam Ethnici, Luthero & ejus sequacibus saniores, teste Cic. *de Off. l.* 1. tum *l.* 2. *de L. L.* (ubi ait: *caute vota reddunto)* & Alex. ab Alex. *l.* 3. *c.* 22. demum Val. Max. *l.* 7. *c.* 1. detestabantur in iis, qui vota Diis suis libere facta violabant. Imo contra *Vestales* Virgines pœna capitis statuta fuit, si quæ voti sui pertæsa, a castis *Deæ Vestæ* obsequiis ad sacrilegos concubitus recesserit.

Ethni-

Ethnicis non ignotam voti obligationem Naturæ Auctor declaravit Eccl. 5. v. 3. *Si quid vovisti DEO, ne moreris reddere: displicet enim ei infidelis & stulta promissio*: NB. *sed quodcunque voveris, redde*. An autem naturali huic, ac Divinæ Jurisprudentiæ conforme sit Novatorum dogma: *Promissiones & vota quæcumque, nisi fiant de rebus a DEO præceptis, impia sunt, & nihil ad DEI cultum faciunt?* judicet qui naturalem obligationem promissionis homini factæ perspectam habet: inde enim colliget, an Creatoris nostri conditio deterior hac in parte esse possit.

## ARTICULUS III.

*De analogia finis naturæ humanæ, & religionis naturalis, cum fine Christianæ religionis.*

## SUMMARIUM.

321. *An idem sit finis nat. humanæ, qui & religionis Christianæ? Refertur opinio* negans.
322. &c. Affirmativa *est certa: quod finis hic idem sit* quo ad substantiam, *diversus* quo ad modum *tendendi*.
325. *An jus nat. religionis discrimen admittat? Refertur sententia* Grotii.
326. &c. *Ejus opinio vera est quo ad principia nat.* generalia *tantum*.
328. &c. *Ostenditur id instantiis variorum statuum*:
330. *Utrum religio interna ab omni imperio humano sit libera?*
331. &c. *Decernitur quæstio contra libertatem* autonomicam.
333. *Magistratus tenentur jure nat: ad impediendam libertatem autonomicam; quando vires suppetunt.*
334. &c. Constantini & Justiniani *exempla contra libertatem credendi*.
336. &c. *Momenta contraria pro libertate credendi afferuntur, & refelluntur*.
341. &c. *Quo sensu verum sit, DEUM neminem cogere ad veram religionem naturalem, vel revelatam?*
344. &c. *Tolerantia zizaniorum non probat libertatem autonomicam*.

§. I. *An*

## §. I.

### *An finis naturæ humanæ & religionis naturalis, in statu quo vivimus, sit diversus a fine Religionis Christianæ?*

321. Diversum esse contendunt Protestantium Naturalistæ, e quibus *Velthusius* operum suorum *Tom. 1. c. 9. a f.* 368. ait: *sub Magistratu Christiano naturali uti jure non licet*, eo quod diversum finem habeat jus nat. a jure positivo Christianorum. Clarius id ipsum exponit Puffend. in ep. ad Amicos, f. m. 111. *Juris naturalis finis ac usus intra terminos hujus vitæ coercetur*. Et in libello *de offic. hom. & civ. l. 1. c. 4. §. 8.* dicit: *Certum est effectum hujus religionis naturalis intra sphæram hujus vitæ terminari*. Fleischerus *Inst. J. N. & G. l. 2. c. 1. n. 60. & seq. f. m.* 240. affirmat, quod *lumen rationis pro scopo habeat saltem felicitatem hujus vitæ: felicitatem vero alterius ignoret*.

Ex his autem hunc in modum ratiocinantur: Hominis, qua homo est, & jure nat. regitur, finis est sola felicitas naturalis hujus vitæ termino clausa: Hominis autem Christiani qua Christianus est, finis felicitas supernaturalis & revelata alterius vitæ: Atqui hi duo fines sunt essentialiter diversi: Nihil igitur illi commune secum habent. Hinc *l. c.* concludit Puffendorfius: *DEUS est finis Religionis Christianæ: non autem juris naturæ*.

322. Communissima vero & certa vere Eruditorum ac piorum sententia est, quæ errores hujusmodi detestatur, docetque: Finem naturæ humanæ & religionis naturalis in statu quo nunc vivimus, scilicet *elevato*, eoque non *primigenio*, verum *adventitio* & *civili* sub Christo Reparatore, Magistratibus, & lege positiva tam divina quam humana constituto, esse quo ad *substantiam* omnino eundem cum fine religionis Christianæ, nec differre unum ab altero, nisi *quo ad modum*.

Neque prolixa demonstratione assertio hæc opus habet. Enimvero I.) apud omnes qui se homines esse profitentur, in confesso esse debet, quod *finis naturæ humanæ* ultimus & adæquatus, pariter ac religionis naturalis non sit alius, quam ipse DEUS obtinendus ab homine *per cognitionem ejus & amorem naturalem* sibi proportionatum. Finis quoque *hominis qua Christiani*, & religionis ejus, per quam dirigitur,

tur, alius etiam non est, quam hic ipse DEUS possidendus ab homine per *cognitionem & amorem ejus supernaturalem*: Consequens itaque est, ut finis utriusque sit adæquate idem *quoad substantiam*, & sola intersit differentia *quoad modum*, quod nempe natura humana abstracta a religione Christiana consideretur ut sibi soli relicta, ac mediis *pure connaturalibus* provisa: Contra vero eadem natura in Christiano reperta, præter naturalia media, habet etiam auxilia *superna* accommodata eidem fini *supernaturaliter* obtinendo.

Finis igitur supernaturaliter obtinendus non est finis *ulterior* ac *alius*, ad quam natura humana tendere deberet, ut frustra contendit *Puffendorfius*; sed potius idem ipse finis est, præbens indigentiæ causam homini, ut idoneis, seu supernaturalibus mediis opus habeat, quibus ad eum perveniat. Sicut igitur propterea quod DEUS tanquam *prima veritas* sit finis intellectus, & tanquam *summa bonitas* finis sit voluntatis nostræ, non sequitur DEUM esse duo fines: sed est finis unus diverso modo se communicans & movens: ita similiter in casu præsentis quæstionis.

323. Dein II.) Lex & religio naturalis pro viribus observata *suo modo* disponit, & manuducit ad religionem Christianam: Cum enim juxta *n.* 251.) DEUS *facientibus quod in se est*, non deneget gratiam; hinc servantibus jura naturæ deesse non potest: sed ex quo omnes vult *serio* salvare, Misericordia ejus subministrat necessaria media, quibus donum *veræ* fidei Christianæ consequantur: servantibus item religionem naturalem deesse nequit *notitia prima* & *vulgaris* de DEO, ut Ente primo, provido ac justo, bonorum præmiatore, malorum vindice, & consequenter de *animæ immortalitate*, ac de *altera vita* saltem aliqua.

Et quidem deesse nequit notitia *vulgaris* de DEO uno, & *animæ immortalitate*. Quia recta gubernatio divina non patitur ut creatura ad DEUM possidendum creata deficiat in mediis ad finem hunc obtinendum *absolute* necessariis. Servantibus autem religionem naturalem mens semper magis magisque habilis redditur ad servandam diutius legem nat. etiam totam, saltem in *serio proposito*, & extra diuturnas ac graves tentationes. Itaque per religionem naturalem homo semper magis magisque disponitur ad talem animi statum, cui DEUS pro sua *seria* omnes salvandi voluntate deesse nequit negando gratiam, atque adeo *hac mediante* certo deducitur ad religionem Christianam.

324. Ne-

324. Neque igitur erronee fingendi sunt diversi fines legis & religionis naturalis a fine religionis Christianæ, alioqui duo summa bona, & duæ beatitudines objectivæ omne possibile bonum complectentes, naturalis una, supernaturalis altera perniciose fingerentur: Neque lex & religio nat. pro statu naturæ humanæ, in quo vivimus, prudenter abstrahi potest a statu elevationis & *fide revelata*, sine qua, sicut juxta *n.* 232.) in statu legis naturæ, a tempore prævaricationis Adami usque ad tempus datæ Circumcisionis, & inde usque ad Christum Reparatorem, nemo Mortalium æternam salutem consecutus est, quin illa aliquomodo in eam influeret; ita & nunc nec religio naturalis sine Christiana; neque hæc sine naturali rite observata cuipiam adulto rationis compoti præbet viam ad DEUM, tanquam finem ultimum beatifice obtinendum.

Multo minus dici potest effectum religionis natur. intra sphæram hujus vitæ terminari, cum pateat jam *religionem naturalem* esse manuductionem quandam & *dispositionem* mere *negativam* ad Christianam religionem, ut colligi potest ex *num.* 257.)

## §. II.

### *An jus nat. ita sit commune omnibus hominibus, quin religionis discrimen admittat?*

325. AFfirmative respondet H. Grot. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 15. §. 8. dicens: *Jus naturæ ita omnibus commune est, ut religionis discrimen non admittat*. Hac propositione tanquam absolute certo oraculo nixi *Grotii* sequaces ubique in suis Lucubrationibus crepant Ecclesiæ præcepta & impedimenta Matrimonii *solo* jure ipsius introducta neminem obligare; statum religiosum, immunitatem personarum sacrarum, cælibatum & id genus alia non debere tolerari: Quia in statu legis naturæ hæc nusquam locum aliquem habuere. Ac proin libellum repudii in Matrimonio *de præsenti* rite contracto & consummato, etiam hodie inter Christianos licitum esse: quia hic jure natur. spectato licitus est inter Turcas, Indos & Sinenses, aliosque homines barbaros: Atqui jus natur. ita omnibus commune est, ut religionis discrimen non admittat: igitur quod licet Turcis, Indis, & Sinensibus aliisque barbaris,

permissum ac licitum est etiam Christianis: his proin libellus repudii absolute est licitus.

Quo autem ineptius hoc argumentum est, eo plures in perniciosam traxit opinionem, qua persuasi sunt, sufficere Christiano, si omni positiva lege seposita solius naturalis juris ejusque in proprio cerebro fundati rationem habeat.

326. Larvam igitur sophismati huic detracturus demonstratum eo, adductam *Grotii* propositionem in parte esse veram, in parte falsam, erroneam, ac in laqueum & perniciem animarum prolatam. Et quidem *vera* illa est quo ad principia *moralia* Juris nat. *generalissima*, qualia sunt: *bonum esse faciendum*: *malum fugiendum* &c. ac etiam quo ad conclusiones, quæ ex illis principiis manifeste & immediate sequuntur, uti sunt: igitur *non est blasphemandum*: *furandum* &c. de quibus diximus a *n.* 223.)

Omnino autem *falsa* est I.) quo ad conclusiones, quæ ex principiis illis moralibus tantum mediate sequuntur, & difficilius penetrantur. Istæ enim ignorari possunt. Unde *D. Th.* (quem Grotius sæpius cit.) 1. 2. *q.* 94. *art.* 4. ait: *Lex naturæ quantum ad prima principia communia est eadem apud omnes, & secundum rectitudinem, & secundum notitiam*: *sed ut in paucioribus* (id est quo ad alia præcepta *secundaria & particularia*, uti idem S. Doctor explicat ib. *art.* 6.) *potest deficere etiam quantum ad notitiam. Sicut apud Germanos olim latrocinium non reputabatur iniquum* &c. Et exemplo sunt illi scriptores *a n.* 116.) adducti, qui *mendacium, fornicationem, perjurium* &c. a peccato contra jus naturæ commisso excusabant.

327. Homines igitur etiam non omnino rudes, imo & subtiliter eruditi circa conclusiones hujusmodi errare possunt: ne itaque errent, præter jus nat. & propria dictamina errori obnoxia, siquidem Christiani sunt, debent veram juris nat. v.g. *mendacium* prohibentis, interpretationem requirere a religione Christiana, in ejus sacris codicibus reperturi infallibilem jurisprudentiam etiam naturalem, per naturæ Auctorem declaratam Sap. 1. v. 11. *Os quod mentitur, occidit animam*, quod ipsum reperire est in S. Evangelio: *sit sermo vester est*: *est, non*: *non &c.* Simile quid habetur circa libellum repudii, & alia multa.

Contra vero: apud *Turcas, Indos, Sinenses* certo non sunt reperturi hujusmodi jurium expositionem. Hinc liquet, quod licet jus nat. commune sit omnibus *quo ad principia generalissima*,

liſſima, & non admittat religionis diſcrimen circa illa, bene tamen circa veritates juris naturalis *quo ad caſus particulares*, ut jam patet ex *Novatorum* doctrina, qui in ſua religione *mendacia* licita, *vota* DEO ſupererogatorie facta eſſe impia, *libidinem vagam* regulis honeſtatis neceſſariæ non eſſe contrariam, *concubinatum* qui non jure matrimonii exercetur, non eſſe contra jus naturæ, ex mente *Grotii* loc. cit. lib. I. c. 2. §. 6. & l. 2. c. 20. §. 42. *quia eſt ſcortatio privilegiata*, ib. l. 2. c. 5. §. 15. *in not.* cum aliis hujuſmodi abſurdis aſſerere non dubitarunt. Quæ cum in eorum *Proteſtantica religione* admittantur; reprobentur autem a *ſancta Catholica Eccleſia*: evidens eſt, quod jus naturæ quo ad prædictas concluſiones, *pro diverſitate religionum* diverſas patiatur interpretationes: Non igitur quo ad omnia eſt commune omnibus, quin religionis diſcrimen admittat.

328. Demum II.) Non vivimus in ſtatu *puræ naturæ* & fictitio, neque in illo *primigenio*, in quo paucis horis vixerat Protoplaſtes noſter Adamus ante peccatum: qui ſi in innocentia permanſiſſet, nullas forte obligationes alias quam ſolas abſolutas habuiſſet; verum vivimus in ſtatu naturæ *corruptæ*, eoque *adventitio*, *civili*, quem multæ obligationes *acceſſoriæ*, ac *hypotheticę* naturales, ex variis contractibus, promiſſionibus, pactis, ac innumeris circumſtantiis ortæ conſequuntur, adeo ut quot ſtatus hominum *adventitii*, *compoſiti*, vel *ſimplices* reperiuntur, totidem aliæ & aliæ obligationes naturales *hypotheticæ* & *acceſſorię* adſint neceſſe eſt; ut patere poteſt conſideranti ſtatum Conjugalem, Herilem, Civitatis, Monarchicum, Democraticum, Ariſtocraticum, Oeconomicum, Eccleſiaſticum, Civilem &c. Homines enim in uno quoque ex his ſtatus habent certas obligationes *naturales hypotheticas*, quas non habent ceteri, qui extra hunc ſtatum vivunt.

329. Huc facit tandem III.) Quod *H. Grotius* loc. cit. l. 1. c. 1. §. 6. & l. 2. c. 25. §. 3. ubi jus nat. dividit in *præceptivum* ac *conceſſivum*, cum aliis DD. teneat privilegia homini a naturali jure conceſſa circa *vitam*, *libertatem*, *exiſtimationem*, tam extrinſeca, quam intrinſeca habere rationem juris nat. *proprie* dicti: Et tamen legitimus Superior, etiam creatus, illis ex juſta cauſa derogare poſſit: Igitur ſuperius ab eodem Auctore aſſerta propoſitio non eſt illimitate vera: ſed *captioſa*. Nam jus illud nat. *conceſſivum* etiam intra religionem Catholicam, quæ ſola una & vera

 eſt,

est, admittit frequens discrimen, prout patet ex eó, quod v. g. illi homines, qui se & suum corpus DEO devoverunt, a natura concesso uxorem ducendi privilegio uti licite aut valide nequeant, item omnes Christiani cibis ab Ecclesia vetitis licite vesci, & matrimonia cum certis juris positivi impedimentis contrahere non possint.

In aliis vero, iisque falsis a Catholica distinctis religionibus innumera hujusmodi discrimina, & juris natur. tam concessivi quam præceptivi ( saltem in casibus *particularibus*, qui non ita immediate ex generalissimis moralibus illis principiis fluunt ) dari nemo prudens ambiget; si ad morales uniuscujusque sectæ hujus observationes animum adverterit, prout manifestum est in exemplo de libello repudii:

Apud Catholicos enim post matrimonium *de præsenti* validum & consummatum, si ob crimen v. g. fornicationis, aut in vitam mariti machinationis, uxor hujusmodi quo ad torum repudiata nubat alteri viro, rea est adulterii jure nat. prohibiti: apud *Protestantes* autem & reliquos *Novatores* nulli culpæ obnoxia censetur. Plura adhuc exempla præbent, Turcica, Judaica, aliæque sectæ: Qua igitur doctrinæ consequentia docent *Grotiani* sequaces: *Jus nat. ita omnibus commune esse, quin religionis discrimen admittat?* pro diversitate enim religionis, diversæ sunt interpretationes juris naturalis, *non manifeste* ex primis generalibus principiis moralibus fluentis.

## §. III.

### *Utrum religio interna jure nat. ab omni imperio humano, & potestate coactiva sit libera?*

330. INter alias de lege nat. quæstiones nobilissima est hæc. Ejus enim decisio inclytæ Genti Germanorum multo, eoque etiam Illustri stetit sanguine, ex quo Magistri prurientes auribus *Lutherus* & *Calvinus* autonomicam *libertatem credendi*, seu Religioni in S. Romano-Germanicum Imperium invecturi, qua scriptis & prædicationibus, qua Civium ad seditionem contra Principes incitatis animis, eo conatus suos sæculo decimosexto perduxerunt, ut scissa in partes Christi Ecclesia, multis centenis hominum millibus, per cruenta & obstinata bella e medio sublatis,

tis, eversa tranquillitate publica, fortunis cum sanguine exhaustis, rerum diu desideratarum, per suos sequaces potici sunt Protestantium Antesignani. Qui ad perennem rei memoriam, pro basi & fundamento novi sui Evangelii hanc sectatoribus suis reliquerunt tesseram: *Religio jure naturali & Gentium ab omni imperio humano ac potestate coactiva est libera*. Quam propositionem nonnulli ex recentioribus Naturalistis Protestantium limitant: *dummodo Reipublicæ non obsit*.

Verum adeo perniciosus error viam pandens ad *Atheismum*, *Polytheismum*, & *Indifferentismum*, omnemque aliam impietatem & hæresim, non merebatur tantum sanguinis profluvium, utpote legi naturali, DEO naturæ Auctori, felicitati humanæ, nedum æternæ: sed etiam temporaneæ *directe* contrarius. Assertam autem veritatem hanc ex principiis Jurisprudentiæ nat. demonstraturus, ad famosam Protestantium tesseram

331. Respondeo: I.) Religio tam interna, quam externa jure nat. *libera* est libertate *autonomica* vivendi, Deumque colendi, *non ut quomodocumque*, & *cuicunque lubet*; sed ut per leges naturales & divinas *necessarium est*, & *ad salutem expedit*. II.) Ac proin idem jus nat. obligat in conscientia Principes & Magistratus etiam sæculares, ut *per se loquendo*, & seclusis circumstantiis *inevitabilis* alterius gravis mali, & *summæ necessitatis*, pro viribus suis falsam religionem externe manifestatam impediant, veram promoveant & tueantur.

Pars *prima* decisionis hujus deducitur ex ipsa definitione libertatis naturalis, quam recte definivit Justinian. Imp. verbis desumptis ex Gentilium JCtorum lucubrationibus, §. 1. *Inst. de jure person.* dicens: *Libertas est naturalis facultas ejus, quod cuique facere libet, nisi si quid vi, aut, NB. JURE PROHIBETUR*. Unde evidenter sequitur, quod si aliquid jure naturæ, Divino, aut humano *prohibitum* sit; *naturalis facultas* faciendi *quod libet*, non se extendat ad actum prohibitum. Naturale quippe jus summæ est æquitatis, & cum jubeat *unicuique quod suum est tribuere*, eo ipso jubet obedire DEO, ejus Ecclesiæ, & Magistratibus legitimis, ut hac ratione debita ipsis obedientia præstetur & subjectio. Quod argumentum tanto magis stringit ex eo, quia jus nat. præbens *facultatem facere quod cuique libet*, non præcipit *facere & credere quod cuique libet*, atque adeo non est jus præceptivum: sed improprie dictum & mere *permissivum*, quale cum

a DEO ipso, tum ab ejus legitimis Magistratibus absolute impediri potest, & necessario debet, quoties quis naturali facultate illa abuti vellet. Quo etiam fit, ut nihil obstante innata libertate illa, vi cujus homo pollet facultate, id est *physica potentia* determinandi suam voluntatem ad crimen v. g. *homicidii injusti*, *adulterii*, *blasphemiæ* &c. nihilominus omnia hæc sicut jure quovis absolute prohibentur, ita & Magistratus obstricti sunt ad ea nedum impedienda: sed etiam severe coercenda. Neque ideo Judex furem a laqueo immunem pronunciat: quod ille *autonomicam* oggerens libertatem, dicat: se a jure naturæ habere facultatem faciendi *quidquid libet*: atque adeo etiam furandi.

332. Hinc dubio vacat *autonomiam*, seu libertatem vivendi & credendi, DEUM non colendi vel colendi *quomodo libet*, esse absolute prohibitam *jure naturali*. Hoc enim non potest præcipere, vel *cum approbatione* permittere ullam religionem falsam, & cultum DEO naturæ Auctore indignum, idque hac ipsa ratione, qua nequit præcipere, vel non prohibere, aut permittere ut licitam blasphemiam in eum, idololatriam, perjurium & alia crimina, sanctitati ejus perfectionibusque divinis contraria: Porro *approbative* permittendo autonomiam illam *ad omnes religiones indifferentem*, permitteret etiam aliquam falsam religionem, ad quam se homo pro suo arbitrio determinaret, contra manifestam legem naturalem, quæ non nisi *unam* & *veram* religionem determinate & absolute præcipit, reliquas omnes ut falsas prohibet & damnat, tanquam natura sua turpes, fini ultimo obtinendæ beatitudinis repugnantes, ac uno & vero DEO indignas.

333. Ex hac deductione fluit pars *altera* responsionis, quod scilicet autonomicam hanc ad libitum vivendi & credendi libertatem, Principes & legitimi Magistratus pro viribus suis, & seclusis circumstantiis summæ necessitatis, jure naturæ nullo modo tolerare: sed falsam impedire, & veram religionem promovere ac protegere obligentur. Hi enim ratione potestatis in se a DEO derivatæ, commissique sibi officii, tenentur impedire omnia illa, quæ jus nat. & divinum absolute prohibet, utpote naturæ Auctori injuriosa, ac subditorum & Civium saluti, publicæque felicitati noxia, pariter ac obstricti sunt illi pro suo posse conari, ut subditi secundum leges naturales ac divinas vivant, verumque DEO cultum exhibeant.

334. Hu-

334. Hujus zeli immortale exemplum, post *Constantinum* aliosque Orthodoxos Imperatores, præbuit gloriosissimus Imperator Justinianus *tot. tit. Cod. de Hæret.* tum præcipue, quod Edictum a *Gratiano, Valentiniano*, & *Theodosio* olim ad populum urbis Constantinopolitanæ datum suo repetitæ lectionis *Codici* inseruerit ad tit. *de summa Trinit.* ubi in *lege* 1. ait: *Cunctos populos, quos Clementiæ nostræ regit imperium, in tali volumus religione versari, quam divum PETRUM Apostolum tradidisse Romanis, religio usque adhuc ab ipso insinuata declarat: quamque Pontificem DAMASUM sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum, virum Apostolicæ sanctitatis*. Et ib. §. 1. præcipit: *Hanc legem sequentes, Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti: reliquos vero dementes vesanosque judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere: divina primum vindicta, post etiam motus animi nostri, quem ex cælesti arbitrio sumpserimus ULTIONE PLECTENDOS.*

335. Eodem zelo laudatus Imp. *Justinianus* profligat autonomicam credendi & vivendi licentiam in *l.* 2. *Cod. de summa Trinit.* ubi hujusmodi Libertinis ne locum quidem exercendæ autonomicæ libertatis in Imperio permittit: *Nullus hæreticis ministeriorum locus, nulla ad exercendam animi obstinatioris dementiam pateat occasio. Sciant omnes, etiamsi quid speciali quolibet rescripto per fraudem elicito ab ejusmodi hominum genere impetratum sit, non valere* &c. Nec immerito sapientissimus Imperator hic autonomicam credendi & vitam instituendi licentiam proscriptam Imperio voluit, probe enim noverat nullum Regnis & Provinciis adeo perniciosum imminere hostem a quo sibi timeant, quam sit religionis Christianæ pluralitas, prædicente id Christo Domino Matth. 12. v. 25. *Omne regnum divisum contra se, desolabitur: & omnis civitas vel domus divisa contra se, non stabit.*

## §. IV.

### *Quibus momentis autonomia credendi & vivendi fingitur esse licita jure naturali?*

336. Autonomicæ libertatis assertores reponunt eam I.) in hoc Achille: *Jure naturæ æquum est, ut quilibet libertate sua utatur ad eligendum id, quod sibi proprio judicio videtur bonum, v. g. in externis negotiis*, eli-

gendo hunc vel illum statum vitæ: emendo talem vel alium equum, desponsando hanc vel illam feminam, locando vel non locando prædium &c. Igitur fortiori ratione justum est, ut sua libertate utatur *in internis*, in hac vel illa, quæ cujusvis animo arridet religione ac fide amplectenda. II. ) Fides est actus internus, ad quem cogere potestati humanæ est impossibile. III. ) In statu naturæ religio fuit *autonomica* cuivis libera, neque ulli fas erat statuere aliquid circa cultum divinum. IV. ) DEUS ipse etsi posset ad religionem omnes inducere, neminem tamen cogit. Imo Christus suis etiam Discipulis libertatem autonomicam indulsit, ubi dixit: *Vultis & vos abire?* Et iisdem *Matth.* 13. præcepit, ne zizania e medio tritici evellerent: *sinite utraque crescere*. Apostolus autem 1. *Cor.* 11. *v.* 19. manifeste ait: *Oportet esse hæreses*, quæ necessario supponunt licentiam credendi prout placet. Inde concludunt: quamvis religionem, saltem Christianam, in plures sibi contrarias divisam, jure naturæ tolerandam esse a Magistratibus, licet hi pollerent viribus ad falsas impediendas.

337. An autem in jure naturæ solide fundata sint adducta Libertinorum momenta, succincta responsio edocebit. Ad I. ) Jure nat. æquum est, ut quilibet utatur libertate pro suo arbitrio *conformi legibus naturalibus*, vel etiam *positivis*, pro statu temporum differentia: non autem pro suo arbitrio *difformi legibus iisdem*. Alioqui neque furta, adulteria, rapinæ deberent a Magistratibus prohiberi & puniri, si fuerint perpetrata pro arbitrio *autonomicæ libertatis* vivendi ut placet.

Resp. *secundo.* ) Res *externæ* & negotia temporanea, uti est electio vitæ militaris, vel œconomicæ, emptio, locatio &c. non sunt absolute & necessario præcepta a lege nat. sed mere permissa ad sublevandas miserias hujus vitæ: Contra autem *religio vera*, & dignus DEO cultus est jure nat. & divino absolute præceptus, tanquam *medium necessarium* ad finem ultimum obtinendum.

Non igitur potest quis ita *licite* inter hanc vel illam religionem eligere, sicut potest hunc vel illum equum emere, præsertim cum *religio vera* una sola tantum sit, prudens vero electio nequeat fieri, nisi inter plura æque bona, aut inter bona, & meliora objecta. Instantia de electione feminæ desponsandæ ad libitum, inepta est, & contra ipsosmet Autonomistas. Alioqui etiam *matrem, aviam*, & *germa-*

*nam*

*nam sororem* possent desponsare, si eorum argumentum rationabile esset, debet ergo intelligi: *salvis legibus nat. divinis, & humanis*.

338. Ad II.) Nemo prudens ambigit, quin ad actum *internum consensu* & opere *mere interno* jam completum, legitimosque Magistratus humanos omnino latentem *ullus hominum* nos *cogere* possit, ut eum emendemus, aut revocemus, vel de eo pœnitentiam agamus, multo minus ut ob eum solum loco, Civitate, vel Provincia excludamur; cum Superior *vi coactiva* nequeat ferri in actus *mere internos*, & soli DEO cordium scrutatori pervios, infligendo pænam pro delicto, de cujus corpore & existentia nullo modo sibi constat. Nihilominus *vi mere directiva* potest etiam actum *mere internum*, jure alias *naturali* & divino *jam præceptum* declarare, & de novo etiam ex sua parte præcipere, ut subditi recte credant, & bene de DEO ac *vera* religione sentiant, effectum præcepti huius relinquendo conscientiis ipsorum, ut si forte non obedierint, & aliter crediderint, de DEOQUE mala senserint, huic respondeant, qui *renes & corda scrutatur*. Ita quippe scimus obligari omnibus præceptis, quæ ad rectam de DEO fidem *internam* nos obstringunt. Et patet ex Justinianæis legibus supra adductis.

Talis enim *mere directiva* coactio, & *necessitas moralis* ab extrinseca legis dispositione proveniens, & voluntatem nostram afficiens, minime obstat libertati actus humani, prout patet in necessitate omnis legis præcipientis vel prohibentis, quæ non est simpliciter dicta necessitas: sed solum *ex hypothesi*; si culpæ reatum & pænam a DEO, vel ejus etiam Magistratu infligendam declinare velimus, &c. Quo non obstante actus nostri sunt adhuc tam *physice*, quam *moraliter* liberrimi, quia imputabiles ad meritum, vel demeritum.

*Ratio* hujus est, quia manente *necessitate morali* legis præcipientis vel prohibentis, adhuc voluntas indifferens est intrinsece ad eam observandam vel non, cum hæc per nihil extrinsecum *interne* necessitari *physice*, & cogi possit. Sola quippe *physica necessitas*, & coactio *interna* obstat libertati actuum humanorum, qui extra causam *metus* gravis *injuste* incussi, ac *doli* mali vel *erroris* circa substantiam versantis eliciuntur. Et hæc dicta sunt *de Fide vera*, quatenus esset actus *mere internus*.

339.

339. Quodsi autem actus ille *internus* prodiit jam *in externum*, v. g. quod Christianus contra *Catholicę* & veræ fidei articulum injuriose deblateret, aut scribat, vel sanctæ religionis officia functionesque præceptas negligat & *notorie* contemnat, hoc casu Princeps & legitimus Magistratus ad actus *externos* malos omittendos, & bonos frequentandos *directe*, ad internos vero *indirecte* etiam *vi coactiva* adigere potest & *regulariter* debet. Neque ignorare id credendi sunt ii præsertim, qui Jurisprudentiæ etiam civilis aliquam peritiam habent. Sane enim fidei Christianæ desertores, Apostatas, Hæreticos, Relapsos, pervicaces errorum Fautores civilibus pœnis, imo nonnullos eorum etiam criminalium interminatione compellere jubentur Magistratus, & ad ea media adigere, quibus errorem agnoscant, agnitum fugiant & detestentur. Legatur *tot. tit. Codic. de Apostat. & tit. Codic. de Hæretic. & Manich.* junctis *Novellis*.

Dum enim Novatores perturbantes Ecclesiam & Rempublicam coercentur pœnis, tunc *Principes non imperant voluntatibus*: sed tantum puniunt *perversas voluntates*, & ex officio suo non libertatem naturalem: sed *libertatis abusum*, ac effrænem licentiam compescunt, ut ita refrænati aut emigrent & purgent Rempublicam, aut redeant ad sanam mentem, ac desinant esse membra Satanæ, cui in Baptismo renunciarunt.

340. Ad III.) Non est verum quod in *statu naturæ* religio fuerit libera absolute ab omni lege, ita ut liceret cuique *verum vel falsum, aut nullum DEO cultum exhibere, obedire vel non obedire*. Falsitas hæc demonstratur hunc in modum. Nam *primo*,) Hi ipsi autonomicæ libertatis assertores uno ore nobiscum fatentur humanam naturam nunquam fuisse, imo nec potuisse fieri *exlegem*: igitur obstricta fuit *moraliter* lege naturali ad aliquem verum cultum DEO exhibendum, quidquid sit quod *physicam* libertatem & potentiam eligendi etiam cultum DEO indignum, ac blasphemiam, idololatriam, vel alia perpetrandi crimina, sibi innatam habuerit ac habeat.

*Secundo*.) Patet id ex præcepto Divino de fructu prohibito non gustando, quod quia Protoparentes nostri non observarunt, & *autonomica libertate* credendi & faciendi quidquid placet, *per infernalem serpentem asserta*, se decipi permiserunt, paradiso ejecti sunt, & innumeris cum sua tota pro-

progenie malis affecti. Porro hoc primum fuit exemplum *autonomicæ licentiæ castigatæ*, ac prima norma a DEO ipso exhibita Magistratibus, ut hi quoque Divinæ legi & veræ religioni rebelles homines coerceant & puniant.

*Tertio.*) Liquet adhuc contrarium in sacrificio *Abelis* & *Caini*: illius enim DEO accepta erant munera, quia *religioni naturaliter debitæ* conformia, rejecta sunt alterius, quia cultu Divino indigna. Et hic alter post Adamum homo fuit, qui libertate naturali abusus *autonomicæ licentiæ* ab hodiernis Libertinis adeo declamatæ æternas *pœnas primus in inferno dedit*, ubi suos *sequaces* expectat.

Falsum quoque est *quarto*,) quod in *statu legis naturæ* nulli fas fuerit statuere aliquid circa cultum divinum *per revelationem Numinis determinatum*. Manifestum enim est in *Henoch* Patriarcha, qui *cœpit primus invocare nomen Domini*, cultu utique novo & *publico*; scilicet omnes ad sacrificia, preces publicas, cultumque Numinis novis solemnitatibus celebriorem convocando. Nam certum est, quod ante hunc Patriarcham jam invocaverit Nomen Domini *Abel* cultu *privato*, neque enim potuisset aliter offerre *munera*, Nomine ejus non invocato. Quod etiam perspicuum est in *Sethi* posteris, qui potestate *Patriarchali & Oeconomica* filios, subditosque suos ad DEI cultum adigebant, qui etiam conservati sunt in religione veri Numinis.

Demum *quinto.*) Nulla paritas est a lege nat. ad *legem Gratiæ*, ut ipsi Autonomistæ fatentur cum suo Puffendorfio *de J.N.& G. l.* 1. *c.* 4. §. 3. *f. m.* 222. dicente: *quod ex decretis religionis Christianæ constet DEUM non quovis genere cultus hominibus propitiari &c. sed eo, quem ipse singulari modo Generi humano promulgavit*. Et ratio est, quia in lege naturæ teste Apostolo ad Rom. 2. *Gentes sibi ipsis sunt lex*, quæ scripta est in cordibus, attestante illorum conscientia: in *lege autem Gratiæ* revelato cultu DEO debito, libertas naturalis *Evangelicis legibus* regulanda est in obsequium fidei.

341. Ad IV.) Id solum verum esse dicimus, quod DEUS ipse neminem cogat *directe*, constringendo *vi intrinseca* voluntatem humanam, & evertendo libertatem semel concessam: falsum vero est quod non cogat *indirecte*, comminando judicium & pœnas æternas, imo infligendo etiam temporales. Quid enim plagæ Ægypti contra Pharaonis duritiem, quid Sodomæ & Gomorrhæ incendium, quid mun-

mundi diluvium volebant, quid præterita, quid *hodierna* bella, & millena mala a DEO inflicta volunt aliud? Ineptiæ proin hujus argumenti patent adhuc inde: Omnibus sæculis DEUS permisit adulteria, furta, sacrilegia; nunquid igitur a Magistratibus non punienda? nunquid ideo toleranda sunt, cum facile impediri possint? Porro *falsa religio & hæresis* omni alio crimine pejor est.

342. Neque rationabilius quidpiam sequitur ex eo, quod Christus Dominus discipulis suis permiserit libertatem abeundi, si vellent: Ait enim Aug. *de verb. Domini*, tunc nondum constitutam fuisse Ecclesiam, nec ejus regimen firmatum morte & Resurrectione Christi; postquam vero recepta per Gentes fide, & constituto regimine primum usa est potestate sua, jam tunc juxta parabolam Evangelicam, *Luc.* 14. qui initio erant *invitati ut venirent*, subin *introducti*, deinde etiam *intrare* compulsi sunt.

343. Minus quoque juvat *Autonomistas*, quod *oporteat esse hæreses*: nam oportuit quoque Christum tradi a Juda, ac mori, & tamen dictum est: *vę homini illi, per quem tradetur:* Ita *oportet fieri scandala*, nihilominus: *væ homini illi, per quem scandalum venit*.

344. At neque tolerantia zizaniorum impedit Magistratus, ne falsas religiones extirpent. Quia illud: *finite utraque crescere*, non probat, teste *Hieronymo*, malum esse tolerandum potius quam puniendum, & eradicandum, siquidem DEUS expresse mandavit Deut. 21. v. 21. *Auferatis malum de medio vestri:* sed non esse eradicandum *præmature*, dum scilicet malum nondum dignoscitur ab hominibus, & virore suo discerni nequeunt zizania a tritico, ne cum hujus eradicandi periculo evellantur. Ubi autem jam maturuerunt, & pessimos suos fructus manifestos exhibent, neutiquam toleranda sunt, dicente DEO, Jerem. 1. ver. 10. *Constitui te ut evellas & destruas*.

Addit quoque idem Hieronymus supra Matth. c. 23. *Manifestum est, hæreticos* NB. *QUOSQUE & hypocritas fidei, gehennæ ignibus concremandos:* Quid igitur juvat *zizania* cum tritico tolerari, si illa mittenda sunt *in caminum ignis?* quod etiam manifestum est ex verbis Apostoli 1. *ad Cor.* 11. *v.* 19. scribentis: *Oportet & hęreses esse, ut & QUI PROBATI sunt, manifesti fiant in vobis*: igitur Autonomistæ, Libertini, & hæretici evidens damnationis suæ futuræ, seu *reprobationis* indicium habent, quod in hæresi perseverent.

Ex

Ex hoc infami stigmate hi dignoscuntur ab illis, *qui probati sunt*, & DEO accepti, cum eoque regnaturi Fideles:

345. Atqui jus naturæ obligat Principes, ut si vires suppetunt, mala omnino enervent & impediant, ne & subditi eorum æternum miseri intereant, & alios in baratrum interitus secum trahant, ac per utrosque naturæ rationalis Creator offendatur: Igitur quantum humana media sinunt, tenentur se murum opponere pro vero cultu DEI & religione ejus.

Neque enim jus nat. ad plus illos obligat, quam ut secundum naturales vires malis hujusmodi resistant; hinc *insuperabili necessitate*, aut *evidente* vel *certo periculo majoris mali* in Rempubl. eventuri obstante, Principes & Magistratus sicut lupanaria tolerare possunt, ita & Autonomistarum ac Libertinorum sectas; quod solum & unicum rationes eorum utcunque evincunt, non vero quod absoluta obligatio adsit effrænem licentiam illorum tolerandi etiam tunc, dum vires Reipublicæ suppetunt ad eam coercendam, vel saltem regione pellendam.

Tractandum hic foret: an *Jus sacrorum* consistens in *potestate Ordinis* & *Jurisdictionis* lege naturali competat potestati politicæ? Verum quæstionem hanc resolvimus jam alibi, nempe *Erotem. theor. practic. 8. a. f. 61.*

## C A P U T III.

### *De Officiis & obligationibus naturalibus hominis erga seipsum.*

## A R T I C U L U S I.

### *De causa exigente hominis officia erga seipsum, eorumque ordine & differentia.*

## S U M M A R I U M.

346. *Exponitur natura & indoles officii hominis erga seipsum debiti.*
347. &c. *Causa hujus obligationis examinatur.*
349. *Refutatur opinio negans hominem obligari erga seipsum?*
350. &c. *Quis ordo servandus in exhibendis sibi officiis?*
353.

## §. I.

### *Quid & quotuplex sit officium hominis erga se ipsum: ac unde oritur obligatio ejus?*

346. NOmine officii hominis erga *se ipsum* intelligimus *actiones vel earum omissiones, quas ex prescripto legis nat. homo sibi ipsi debet.* Officia hujusmodi alia sunt quæ *animum*, alia quæ *corpus* concernunt. Utraque exigunt honestatem vitæ, convenientem statui culturam, rectum usum facultatum cum internarum, tum externarum; ex quibus aliqua debet ille sibi ipsi ex *justitia naturali*, utpote præcepta: nonnulla vero ex *sola decentia* proveniunt. Quo autem melius officia hæc adimpleantur, habet homo aliqua specialia privilegia, imo in plerisque casibus etiam præcepta desendendi sui ipsius, præsertim quo ad bona animi; gaudet quoque *jure necessitatis*: item jure *se ipsum conservandi*, nedum quo *ad individuum*: sed etiam quo *ad speciem*, servato tamen ordine a natura præscripto, & nisi legi natur. conservationem hanc *permittenti* obstet propria juri huic facta renunciatio, aut lex positiva resistat, prout de singulis his ulterior explicatio edocebit; Ubi etiam exponemus, quando

do ille ex praecepto naturali *obligetur* praestare aliqua officia, ac uti jure suo, & quando his cedere possit, vel debeat.

347. Quod concernit principium seu causam *immediatam & adaequatam*, ex qua homo tenetur in multis casibus sibi ipsi exhibere aliqua officia: causa haec non inde derivatur, ac si ille quidpiam sibi *qua sibi* sine ullo alio respectu ad *Causam primam* deberet: Quia homo non est suus, nec summus sui ipsius Dominus: sed potius quidquid habet, & est, dicente Platone: *DEI possessio est*. Hinc quando ille tenetur violentas sibi ipsi manus non inferre: vitam suam conservare, alimenta sustentationi necessaria non respuere &c. id ex hac ratione provenit, quod vitae suae non sit dominus: sed *merum usum* ejus, & facultatum sibi a DEO concessarum habeat, *directo* horum omnium dominio penes Auctorem naturae DEUM manente.

Sicut igitur ille possessor, qui in re aliena v. g. domo, praedio solum *dominium utile* habet, permittitur quidem utilitates suas ex re aliena percipere, verum hunc in modum, ut *salva sit substantia* ejus, & jus Domini *directi* nulla ratione laedatur: ita homo obstrictus est uti vita, corpore, membris sibi a DEO cum aliis facultatibus concessis, si tamen aliquid pravo animo admittat, per quod haec laedi contingat, v. g. si se ipsum interimat, mutilet, fame & inedia enecet &c. Creatori suo & Domino injurius est, cujus re abutitur eam destruendo, imo infert praejudicium etiam Reipublicae humanae, cujus ille est pars, quanquam & sibi quoque ipsi saltem consequenter injuriam infert, eo quod vitam sibi ademerit, qua si recte usus fuisset, potuisset a Domino suo consequi praemia, & effugere justam ejus damnationem, ac paenas tanto abusui, pro laesione juris alieni debitas.

348. *Altera causa* hominem ad naturalia officia sibi ipsi exhibenda adstringens consistit in principiis *mediatis*, & *inadaequatis*, qualia sunt amor sibi naturaliter debitus ad felicitatem naturae rationalis propriam *necessarius*: & recta constitutio generis humani, ad eandem felicitatem absolute requisita. Hae ipsae autem *mediatae* & *inadaequatae* causae resolvuntur demum in *ultimo* & *adaequato immediato principio*, scil. perfectionum DEI qua sapientissimi Auctoris & Gubernatoris naturae humanae:

Si enim homini licitum foret v. g. se ipsum occidere, intellectum suum non perficere circa DEI existentiam: volun-

luntatem non exercere circa religionem naturalem ei debitam &c. recte inferimus: eo casu deesset amor sibi ipsi debitus, ac ad propriam felicitatem necessarius, ex hoc autem defectu sequeretur mala constitutio totius generis humani, quia licentia illa, quæ reperiretur in uno homine ad se ipsum occidendum, & suum intellectum, ac voluntatem non cultivandam &c. necessario communis esse deberet toti generi humano: Inde autem *ultimo* concludimus, id fieri nullo modo potuisse, alioqui hæc generis humani imperfectio & permissa licentia redundaret in Auctorem & Gubernatorem ejus DEUM, qui illud in ipsa creatione male ordinavit, & mediis ad finem a se intentum absolute necessariis non instruxit: Porro id de Sapientia divina cogitare nefas est, ut liquet ex *n. 83. & seqq.)* Igitur nec fuit possibile prædicta officia homini erga se ipsum non fuisse lege naturali præcepta.

349. Nec moramur opinionem aliorum Naturalistarum, qui cum *Thomasio* & *Fleischero* existimant *officia hominis erga seipsum ad jus naturæ stricte dictum plane non spectare: sed tantum locum invenire in regulis honesti*, idque ex his motivis I.) Quia amor sui in ordine ad se curandum & conservandum est cuivis innatus: igitur obligatio omnis est superflua. II.) Quia uti jus & justitia proprie talis debet esse *ad alterum*, ita & obligatio efficax in se ipso terminari nequit, per *l. 22. ff. de legat.* 3. ibi: *Nemo eam sibi potest legem dicere, ut a prior ei recedere non liceat*: requirit igitur terminum a se distinctum. Ita illi: sed incassum.

Nam *ad I.)* Resp. Amor sui est quidem homini innatus, non tamen *quo ad modum determinatus*, uti est in brutis, quæ cum unum eundemque physice *necessarium* operandi modum habeant, necessario instinctu suam conservationem ita amant, ut odisse non possint. Hinc nullum adhuc fuit brutum, quod se ipsum v. g. e rupe *sponte* præcipitaret, *animo* sibi ipsi vitam adimendi: erant vero & sunt multi homines, qui id sceleste attentarunt: Igitur innatus hominis amor cum reperiatur in *subjecto libere*, & a natura ipsa *physice non determinato* ad unum operandi modum, debuit determinari *moraliter* ab Auctore naturæ per obligationem *absolutam & necessariam*, ut scilicet nunquam ipsi liceat physica se ipsum amandi potentia *abuti* moraliter.

*Ad* II.) Justitia proprie talis *commutativa* debet esse ad alterum C. naturalis *legalis*, seu universalis N. quanquam

cum

cùm juxta *n.* 302.) in homine respectu DEI detur justitia etiam commutativa, potest in plerisque casibus homo seipsum conservando, vel non conservando exercere justitiam aut injustitiam *ad alterum*, scilicet ad DEUM. Si enim v. g. seipsum interimat, violabit jus proprietatis Divinum culpabiliter destruendo rem, cujus directum dominium ad eum solum spectabat.

Nec facit ad rem, quod officia hominis erga seipsum fundentur *in regulis honesti*; nam constat jam ex *n.* 75. *& seq.*) honestatem morum naturalem aliam esse fundatam in jure *naturali præceptivo*, prout honestum est honorare parentes, cuique quod suum est, tribuere &c. aliam in eodem jure nat. puro *concessivo*, aut *suasivo*, ac proin in sola honestate *ethica*, ac *civili* quam *decentiam* appellamus.

Illa igitur officia erga seipsum, ac sibi ipsi *debita* & *perfecta* proveniunt ex honestate *necessaria* naturali, ac præcepta, sine quibus male constituta fuisset natura rationalis, reliqua vero, quæ ad *solum* majorem *perfectionem* ejusdem spectant, vocanturque officia *imperfecta*; plerumque ad solum *decori*, seu ethice *honesti* titulum referuntur.

## §. II.

### *Qui ordo servandus sit in exhibendis sibi ipsi officiis?*

350. PRiusquam *cap. seq.* agamus de ordine in officiis proximo exhibendis, expedit innuere hic de ordine in his sibi ipsi præstandis observando. Ordo autem hujusmodi consideratur *respective* ad DEUM, animam nostram, & corpus, atque hinc quo ad bona æterna & temporalia, *spiritualia* & *corporalia*, singula hæc quem locum habere debeant, inquirendum est.

Cum dicimus, hominem jure nat. obligari ad præstanda sibi aliqua officia, sensus est, quod ille obstrictus sit *seipsum diligere*, unde etiam axiomata hæc orta sunt: *Caritas incipit a se ipsa* item: *proximus sum egomet mihi*; demum: *qui sibi nequam, cui bonus erit?* Eccl. 14. Siquidem vero corrupta natura humana innata proclivitate, & toto pondere tendit in amorem proprium: ne forte adducta axiomata, & asserta seipsum diligendi naturalis obligatio male intellecta

Creatori suo debita persolvat officia, cum eoque reconcilietur. In omnibus quoque negotiis, & actibus ita corpus est curandum, ne anima in quopiam lædatur. Eam ita corpori ob suam *immortalitatem* omnino præferendam esse, inter alios, etiam Ethnicus Poeta judicavit, *Ovid.* 15. *metamorph.*

*Morte carent animæ, semperque priore relicta*
*Sede, novis domibus vivunt, habitantque receptæ.*
*Ipse ego, nam memini, Trojani tempore belli*
*Panthoides Euphorbus eram . . . .*

Hac Poetæ opinione permotus *Demosthenes l. 7. politic.* ait: *Anima pretiosior est corpore, & omni possessione, & omnibus aliis bonis*, qua in parte divinus *Plato in Timæo* superat omnium Ethnicorum sensa, ubi dicit: *Ad hoc anima conjuncta est corpori, ut fruatur scientiis & virtutibus. Si autem cum fervore magno se invenerit, benigne recipietur a suo Creatore: Sin autem secus, relegabitur ad inferna.*

352. *Tertium* locum obtinent officia corpori exhibenda, quorum nomine venit id, quod ad exteriorem ejus culturam, statui convenientem amictum, sustentationem, divitias, & nervum rei œconomicæ, familiaris, ac honestam commoditatem attinet. Quæ singula ita acquirenda, & possidenda sunt, ut quisque paratus sit ad illa animi bonis postponenda, quando id Fortunæ vicissitudo & necessitas exigit, dicente *Platone in Epist. 8. ad Dionis propinquos*, quos hunc in modum instruit: *Cum tria sint, anima, corpus & pecunia, virtutem animi maxime anteponant: Secundo vero loco virtutem corporis virtuti animi servientem: Tertio ultimoque gradu pecuniarum pretium collocent, animo corporique ministrans.* Egregie prædictum officiorum ordinem DEO, animæ & corpori exhibendorum docet quoque *Salustius* in Catil. c. 1. dicens: *Quoniam omnis nostra vis in animo & corpore sita est, alterum nobis commune cum Diis, alterum cum belluis est; animi proin imperio corporis autem servitio uti debemus.*

## §. III.

*In quo consistat naturalis obligatio honeste vivendi quo ad culturam proprii animi?*

353. HOnestas vitæ prout jure nat. præcepta est, in duobus consistit, recto scilicet usu facultatum *animi* & *corporis*. Quod corpus concernit, *sequ. §.* expediemus,

mus, solæ hic & nunc animi facultates in considerationem veniunt. Et jam patet ex *n.* 350. ) hominem lege nat. obstrictum esse ad præstanda sibi ipsi aliqua officia, inter quæ etiam *interna*, sita in cultura & honesto usu potentiarum animæ. Hæc ipsa autem cultura & usus reponitur potissimum *in perfectione* & emendatione *intellectus* ac *voluntatis* nostræ.

*Primo* itaque *intellectus* excolendus ab unoquoque est quo *ad DEUM*, quo ad *seipsum*, & *proximum*. Cultura intellectus quo *ad DEUM* necessario exigit, ut recte de DEO tanquam *Ente primo*, *summo* & *unico* sentiat, ejusque perfectiones *vulgari* notitia percipiendas agnoscat, ac ab eo semel agnito, veritatibusque ejus, sive naturaliter, sive per revelationem agnitis, nunquam per ullam apostasiam, aut hæresin recedat. Inter alia vero debet de DEI in regendo mundo ordinationibus recte sentire, quod non casu, vel fato aliquo res sive prosperæ, sive molestæ nobis accidant: sed ejus sapientissima dispositione; pariter ac quod peccata nostra non ex aliqua coactione, aut necessitate *intrinseca* animæ nostræ a DEO impressa: sed ex liberrima nostra determinatione ac malitia, DEO pure permittente fiant, dicente *Boet.* de philosophic. consol. lib. 1. prosa 2. *Divina providentia rebus gerendis necessitatem non imposuit: quia si omnia evenirent de necessitate, præmia bonorum & malorum plene perirent.*

*Ratio* autem est cur intellectus noster quo ad DEUM primo excolendus sit: quia cultura hæc est *absolute necessaria* ad finem ultimum ac adæquatum naturæ rationali præfixum, & sine hac ille nunquam posset obtineri. DEO quippe non agnito cessarent officia illi naturaliter debita, cum ratio nostra non feratur in objecta nisi prius cognita, his autem non præsuppositis, reliqua officia erga seipsum & proximum, sive ponantur, sive omittantur; semper relinquerent mancam legis naturalis executionem, quæ nisi ita integre perfecta fuerit, ad finem ultimum assequendum nihil contribuit, cum *bonum non sit nisi ex integro: malum autem imputetur ex singulis defectibus.*

354. *Secundo* excolendus est intellectus quo *ad se ipsum*; nempe ut homo agnoscat se esse *ens ab alio*, opus Creatoris sui, tam *quo ad animam*, quam quo *ad corpus*, & ea omnia, quæ est, habet, & habere potest. Intelligat quoque animam suam si non *demonstrative immortalem*; saltem *non esse mortalem cum corpore*: sed eam ab hoc etiam separa-

tam

tam adhuc existere, cum nulla naturalis ratio probet eam interire. Est enim rationalis & spiritualis: igitur etiam immortalis. Nam quatenus spiritualis est, a corpore non dependet quantum ad *operari*, res quoque a materia abstractissimas contemplatur, & nedum singularia, verum etiam universalia, possibilia, quoque & impossibilia entia, & negationes entium, materialia & spiritualia, imo DEUM etiam ipsum cognoscit, super actus quoque suos se reflectit, ex una in aliam notitiam ratiocinando promovetur, ac operationes ipsas independenter ab organo corporis effective producit, facultatesque suas ab illo non dependentes habet:

355. Cum itaque modus operandi nequeat esse perfectior modo essendi quem consequitur: necessario persuasus esse debet rationalem animam esse incorpoream, spiritualem, partibus omnibus realiter distinctis carere, & indivisibilem esse: Igitur convinci etiam debet, quod ab eodem corpore *independens* quoque sit quo *ad esse*. Operari enim sequitur esse: Atqui id, quod est independens a corpore nullo modo perit corpore destructo. Nam nulla forma perit, nisi per expulsionem a subjecto, sine quo existere naturaliter non possit: ad hoc ipsum vero requiritur, ut ab eo essentialiter dependeat, siquidem nihil perit ex interitu ejus, a quo non dependet essentialiter: Anima itaque non perit pereunte corpore, atque adeo non moritur cum corpore.

Argumentum hoc eleganter extollit Cicero *in l. 1. Tusc. quæst.* ubi de eo disputat, dicens: *In animi cognitione dubitare non possumus, nisi plane in physicis plumbei simus, quin nihil sit animis admixtum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil duplex. Quod cum sit, certe nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec abstrahi potest, NEC INTERIRE igitur: est enim interitus quasi discessus, & secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur.*

356. Quod etiam confirmat communis Prudentum consensus, cum certum sit Platonem, Stoicos, Pythagoricos, & Peripatheticos, imo Nationes moratiores omnes etiam Gentiles in hac animæ immortalitate mirifice convenisse, uti videre est in *Histor. Philos. Ethn. part. II. cap. 14.* Quod idem nostris etiam temporibus, seu Ethnici apud Indos, seu Mahumetani apud nos agnoscunt: Porro adeo universalis consensus naturali ratione nixus fallere nequit, dicente Seneca Epistola 117. *Multum dare solemus præ-*

 *sum-*

*sumptioni omnium hominum, & apud nos veritatis argumentum est, aliquid omnibus videri, cum de ANIMARUM ÆTERNITATE disserimus, non leve momentum apud nos habet consensus hominum, aut timentium inferos, aut colentium.*

357. Consequens quoque est, ut homo naturaliter sit persuasus, quod *finis ejus ultimus & adæquatus non sit felicitas hujus vitæ termino clausa*, etiam spectato statu mere naturali: sed supersit alia vita, saltem in ordine ad præmium bonorum, & pœnam malorum, uti id contra Puffendorfium demonstravimus *a n.* 245.) Demum debet ille nosse, quod lege nat. obligatus sit tendere *ad finem ultimum* talem, qui essentialiter consistat in sola conjunctione cum DEO, per observantiam legis naturalis, quantum hæc naturæ viribus observari potest. De hac tendendi obligatione convincitur homo attenta consideratione omnium creaturarum ad fines suos naturali instinctu vel exigentia tendentium, ut patet in brutis, insectis, volucribus, plantis, aere, igne, aqua, terra, cæterisque entibus, quatenus unum quodque horum fungitur officio suo, vel utilitati hominum inserviendo, vel decorem Universi augendo, aut alio sibi competente modo tendendo ad finem sibi a suo Creatore præfixum.

Reliqua cultura ingenii circa literaturam, studia, Artes liberales, & id genus alia, cum non sit medium cum ultimo fine hominis necessario connexum, *per se* loquendo non cadit sub naturale præceptum: sed ex solo *decoro* & ethica honestate conveniens est, ut ejus etiam ratio habeatur juxta conditionem & statum uniuscujusque hominis. Dummodo hic intellectu suo non abutatur ad perversas doctrinas, detrimentum proximi aliaque vitia jure natur. prohibita.

358. *Tertio* circa *proximum* intellectus imbuendus est principiis, per quæ instruamur in ordine ad exhibendum illi amorem & officia lege nat. præcepta, quale est I.) illud: *quod tibi non vis* &c. II.) Fides circa objectum honestum & licitum data unicuique servanda est. Hanc ethnicus Philosophus Seneca *Epist.* 89. *ad Lucillum*, ita commendat: *Fides sanctissimum humani pectoris bonum est, nulla necessitate ad fallendum cogitur, nullo corrumpitur præmio. Ure, cæde, occide, non prodam; sed quo magis secreta quæret dolor, hoc illa altius condet.* Et Livius decad. 1. lib. 6. ait: *Cum fidei abrogatione omnis humana societas tollitur.* III.) Quod bonum publicum privato sit præferendum, minus enim ma-

luna

lum est affligi vel perire unum, quam omnes, vel multos de eadem communitate, sive Republica cui quis est subordinatus: Porro jure nat. & prudentiæ regulis attentis inter mala invincibilia minus est eligendum. IV.) Intelligat se obstrictum esse ad vitam in *socialitate* aliorum ita instituendam, ut unicuique amorem debitum cum conveniente honore, secundum cujusque conditionem exhibeat. Imo persuasus sit se obligari in extrema *saltem* & valde gravi necessitate ad succurrendum proximo juxta vires suas; obligationem hanc etiam gentili Philosopho *Seneca* agnoscente, qui in suis *proverb.* ait: *Qui succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit*. Hujus sententiæ legitur Ovid. *lib.* 2. *eleg.* 3. canens:

*Regia, crede mihi, res est succurrere lapsis*
*Convenit & tanto, quantus es ip'e, viro.*

359. Pars altera internæ honestatis & culturæ consistit in *perfectione & emendatione VOLUNTATIS*. Hæc exercenda est *primo*) quo ad *DEUM*, ut illi Amor timori ac reverentiæ conjunctus cum cæteris debitis officiis rite persolvatur. Hinc voluntas nostra conformanda est in omnibus voluntati ipsius, etiam quo ad vitam & mortem nostram, nec unquam curiose in sanctissimas ejus dispositiones indagandum est, dicente Poeta Scaliger. *Epidorp. l.* 3.

*Nec vivere, nec velle mori stat sapienti,*
*Hoc linque DEO: tu quis es? ut scias quod ille?*

360. Debet quoque *secundo*) recte uti *voluntate* sua *erga seipsum*, procurando maximam animi *tranquillitatem*, quæ consistit in eadem voluntate nostra rectæ rationi plene subjecta, ac in compescendis & domandis affectibus, omnibusque animi perturbationibus: Quod quem in modum fieri debeat: Philosophi ethnici optime nos docent, præ primis autem *Seneca* & *Plutarchus* quorum moralis hac super re legibus naturæ apprime conformis esse legitur; & *Cicero* in paradox. ait: *Refrænet primum libidines, spernat voluptates, iracundiam teneat, coërceat avaritiam, cæteras animi labes repellat*. Hujus sententiæ fuit *Juvenal. satyr.* 8. dicens:

*-- Pone iræ fræna modumque,*
*Pone & avaritiæ.*

361. Dein *tertio*) erga *proximum* ita se voluntas exerceat necesse est, ut quidquid intellectus ei *necessario* exhibendum judicat, illa exequi practice sit parata. Imo hæc ita

comparanda est, ut non modo præcepta officia accurate præstes; sed etiam illa quæ in sola *decentia* fundantur, pro posse tuo implere studeas, hac enim ratione naturalem *perfectionem* assequeris; si nedum imperia, verum etiam consilia juris nat. observaveris, ita instruente *Seneca* de form. vitæ: *Cunctis esto benignus, nemini blandus, paucis familiaris, omnibus æquus, ad iram tardus, ad misericordiam pronus, in adversis firmus, in prosperis cautus & humilis.* Ex hac autem æquanimitate orietur mira passionum temperies, & amæna erga alios mansuetudo, quæ vel sola nos a bellluarum feritate distinguit. Hinc induemus mitem animum, quo inclinante semper faciliores nos experiemur ad eripiendum naufragio potius, quam mergendum proximum, ad excusandum magis quam accusandum, ita suadente Ovidio *lib. 3. eleg. 3.*

*Mitius est lasso digitum supponere mento,*
*Mergere quam liquidis ora natantis aquis.*

## §. IV.

***Quæ sit naturalis obligatio honeste vivendi, quo ad culturam corporis proprii, bonorumque & facultatum externarum?***

362. HOnestas vitæ quo ad exteriorem hominis culturam, prout lege nat. *præcepta* est, consistit I.) In necessaria *conservatione vitæ, sanitatis, & integritatis corporis*. Patet enim ex *n.* 347. hominem a DEO permissum habere usum bonorum hujusmodi, dominium autem directum & *absolutum* in vitam, membra & corpus nostrum ad Creatorem ejus spectare; ita proin his uti debet, ut extra casus justi belli, martyrii, alteriusque rationabilis causæ, substantia rei sibi concessæ sit salva & integra.

Hinc naturali jure debentur homini alimenta sustentationi *necessaria*, sine quibus alias vita conservari non posset: non minus ac debita illi est moderata cura valetudinis, per media, quæ commode habe ripossunt. A contrario autem prohibita est omnis *ingluvies*, *ebrietas*, malitiosa *mutilatio* ac directa sui ipsius *occisio*: hæc utpote proxime opposita juri divino in nostram vitam & membra: illa vero quatenus injuriosa est naturæ humanæ, cujus dignitatem confundit cum natura voracium bestiarum.

363. Imo *ebrietas* specialem inducit turpitudinem, eo quod

quod hominem usu rationis privet, quam sibi a DEO concessam habet ad officia et debita persolvenda, aliasque functiones homini convenientes obeundas. Vitium hoc obtundit ingenium, &, hebetem facit rationem, dicente Menandro: *Multum merum pauca cogit sapere:* enervat vires totius quidem corporis: sed maxime pedum: eleganter id exprimente *Plauto* in Pseudolo: *Magnum hoc vitium est vino, pedes captat primum; luctator dolosus est;* quo vix alius vitæ & sanitatis major hostis, declamante id Proper. lib. 2. eleg. ult. *vino forma perit, vino corrumpitur ætas.* Est prætera fons omnium malorum animæ & corporis, ac quædam inchoatio væ illius perpetui, quod in inferno gemere creduntur damnati, exponente id Salomone Prov. 23. *Cui væ? cujus patri væ? cui rixæ? cui foveæ? cui sine causa vulnera? cui suffusio oculorum? nonne his, qui commorantur in vino, & student calicibus epotandis?* Demum prout dejicit hominem a dignitate & conditione humanæ naturæ, ac viliorem reddit bestiis, quæ nunquam plus bibunt, quam ad sitim extinguendam sufficiat, ita bibentis culpa ebriosum facit inhabilem ad vitam secundum rationem instituendam, & observandam legem naturalem, eumque qui inebriatur, dementi ac stulto similem efficit, canente Horat. lib. 1. epistolar.

*Quid non ebrietas designat? operta recludit,*
*Spes jubet esse ratas, in prælia tradit inermem.*
*Sollicitis animis onus eximit, addocet artes.*
*Fœcundi calices quem non fecere disertum?*
*Contracta quem non in paupertate solutum?*

Tanta absurda ebrietatis cum sint, illa nihilominus non tantum minime ideo excusari possunt quod in ebrietate commissa sint, sed etiam actus malitiam suo modo aggravant, quoties in potus excessu mala illa prævisa sunt, aut facile prævideri poterant, & debebant, ita judicante Catone *lib.* 2.

*Quod potu peccas, ignoscere tu tibi noli:*
*Nam nullum crimen vini est: sed culpa bibentis.*

364. Ad ingluviem & ebrietatem jure nat. prohibitam reducitur quoque *Antropophagia*, seu carnis humanæ esus. Illa quippe admissa ut licita, allicerentur homines ad homicidia mutua, quæ facile perpetrarent stimulante ingluvie: hac autem ratione graviter inhonoraretur natura humana, quæ non fuit condita instar aliorum animalium,

quo-

quorum aliqua in cibum nostrum creata sunt: sed ut mutuo amore perfruatur, perveniatque ad finem sibi proprium, a fine ceterorum animalium distinctum. Nec refert, quod dentur plerique Barbari inter *Hurones*, in Brasilia, & alibi, qui bestias carnivoras imitati vesci carnibus humanis in deliciis habent: Multo minus movet exemplum *Artemisiae* &c. hujusmodi enim facta dementiae potius, quam rationabilis exempli nomen merentur, pariter ac quod *Scythae*, seu *Tartari* Crimenses, & Nahajenses senio confectos homines, etiam parentes suos *septuagenario* majores, si equum ascendere, aut arcum intendere non possint, vivos terra obruant, & tanquam luce hac jam indignos disperdant.

365. Eodem nat. jure praecipitur II.) rectus usus *facultatum* tam *corporis* quam *fortunae*. Illae consistunt in 5. sensibus, *auditu*, *visu*, *gustu*, *odoratu*, *tactu*, aliisque corporis dotibus, uti sunt vires, valetudo, venustas, habilitas ad munia aliis utilia &c. Per *fortunae* autem *facultates* intelligimus divitias, pecuniam, possessiones, & quidquid ab extrinseco ordinatum est ad miserias hominis sublevandas. Quod vero horum omnium rectus fieri praecipiatur usus, ex eo deducitur: Quia ista a DEO naturae Auctore data sunt homini tanquam necessaria instrumenta, quorum ope facilius persolvat officia DEO, sibi & proximo debita, illisque adjutus perveniat ad finem naturae rationali praefixum. Naturali igitur jus tenetur homo sensus suos, actiones & facultates omnes ita comparatas habere, iisque uti vel non uti, ut saltem *indirecte* tendant ad finem a DEO praefixum: Porro neque indirecte tendent, si illis utatur in sui *aversionem* a fine suo ultimo, usus que fuerit aliquo sensu, vel facultate ad legem violandam, & DEUM offendendum.

366. Imo neque ille satisfacit huic obligationi, qui sensu aliquo utitur *otiose*, & sine ulla prorsus utilitate, saltem ex intentione utentis proveniente, prout id Incarnatus naturae humanae Auctor declaravit Matth. 12. v. 36. *Omne verbum otiosum* (puta, quod neque loquenti, neque audienti prodest, neque in hunc finem a loquente dirigitur) *quod locuti fuerint homines, reddent rationem de eo in die judicii.* Sunt enim verba hujusmodi contra finem a natura intentum, & exponunt hominem periculo labendi in sua lingua, dicente Plutarcho: *Fieri non potest, ut garrulitatem non comitetur maledicentia*, seu prout luculentius id expressit Sapiens Eccl. 5. v. 2. *In multo sermone invenietur stultitia.*

Recte

Recte proin monet Erasm. in apopht. *Prius cogitandum, quid loquaris, quam lingua prorumpat in verba.* Seneca vero *Epist.* 40. Lucillum discipulum suum incitans ad naturalem perfectionem sectandam, viam brevissimam ei assequendæ reponit in circumspecta locutione, & loquendi tarditate, dicens: *Summa ergo summarum hæc erit: tardiloquum te esse jubeo*, nec immerito: didicerat enim ex alio sapientissimo Philosopho *Theognide*, cujus hæc fuit tessera: *Tutius est tacere quam loqui.* Quam ob rem *Simonides* apud *Laert. l. 8. de vitis Philosoph.* de loquacitate in hæc verba conqueri perhibitur: *Sæpe me pœnituit locutum fuisse: tacuisse nunquam.*

Cum autem inter alia linguæ vitia principem locum obtineant famæ injuria, & arcanorum violatio, quam eo majori temeritate plerique audere non horrent, quo facilius nanciscuntur aliquem e suis auditoribus, quibus dum aliena facta dictaque alto alioqui premenda silentio revelant, eum *ad naturale arcanum*, ne cuipiam tertio id ipsum enarret, obligare consueverunt. Dicaces hos *bombaliones* perstringit Annæus Seneca *lib. de Mor.* dicens: *Quod tacitum esse velis, nemini dixeris, si enim tibi non imperasti, quomodo silentium ab illo speras?* Inde etiam factum est, quod teste Laert. *l. 5. c. 1.* Aristoteles ubi *Calisthenem* juvenem suum discipulum liberius multa de factis dictisque aliorum in deteriorem partem garrire percepit, hoc illum carmine *ex Homero* desumpto admonuerit:

*Talia loquens, haud multo tempore vives;*

Ad hæc autem aliaque naturalis perfectionis obstacula amovenda, & rectum linguæ usum probe discendum, omnibus quidem; Tyronibus tamen, præsertim juris naturalis sectatoribus, dignam magno Philosopho regulam divinus *Plato* præscribit apud Gell. *noct. attic. l. 1. c. 15.*

*Loquendum est ex necessitate: tacendum ex voluptate.*

367. Quæ vero de inutili usu loquelæ, hæc ipsa sententia est de aliis omnibus facultatibus, tam corporis, queis ob *solam* voluptatem nunquam uti licet, quam fortunæ. Ac proin jure nat. prohibetur III.) nedum *Avaritia*, utpote radix omnium malorum: sed etiam *Prodigalitas*, quæ est *intemperans ac nimia pecuniarum profusio.* Hæc juxta D. Th. 2. 2. 9. 119. a 2. semper est illicita, non principaliter propter

pter *quantitatem*: sed propter *inordinationem* dandi iis, quibus non debet dari. Isthoc enim vitio corrumpitur bonum virtutis, nempe *liberalitas*, quæ in moderatione, tanquam in suo medio consistit.

Ad speciem prodigalitatis reducitur quoque *inutilis rerum suarum destructio*, veluti si marsupium auro turgens sine ullo alio honesto fine projicias in flumen, ea præcise ratione ductus, quod de re tua *nemini obligata* libere disponas: Licet enim ad restitutionem nulli hominum forte tenearis, non ideo tamen honeste agis, cum dona Fortunæ contra finem a DEO intentum misere prodigas, omissis multis pauperibus, quibus decenter usuri fuissent &c. Rectum igitur rerum hujusmodi usum docet nos *Pythagoras Samius* dicens:

*Dilapidare cave nummos, ceu nescius uti,*
*Pelle tamen sordes. Modus optima regula rerum.*

Prodigalitati opponitur *Parsimonia*, quæ est *prudenter moderatus facultatum usus*. Illam Tyronibus familiæ patribus præclare inculcat *Hesiodus* in hæc verba canens:

*Adde parum parvo, parvo superadde pusillum,*
*Fiet & hoc magnum: infelix pelletur egestas.*

Hanc ob causam de *emacitate*, seu de nimio emendi res inutiles pruritu fugiendo, celebre est *Catonis* dictum a Seneca *Ep. 9.* annotatum: *Eme non quod opus: sed tantum quod necesse est.* Jam vero impossibile putavit *Martialis* quempiam non exui fortunis, si absque debita *moderatione* litibus instituendis, fabricæ, domibusque sine rationabili causa ædificandis vacet.

*Litiget, ædificet, qui vult cito pauper haberi.*

368. Ob prædictam naturalem inordinationem IV.) proscribitur quoque *Otium*, seu *vitiosa vacatio à labore, ad quem conditus est homo*. Torpor hic etiam ab Ethnicis inter radices omnium malorum reputabatur. Teste enim Lucano . . . *variam semper dant otia mentem*. Unde Diogenes apud *Laert. l. 6.* hominum *otiosorum negotium lascivum amorem* esse dicebat. Malo autem suo expertus Ovidius *lib. de remed. amor.* ingeniose canit:

*Otia si tollas, periere Cupidinis arcus,*
*Contemptæque jacent, & sine luce faces.*

Hic ipse Gentilis Poeta *lib. 1. punct. 6.* otio tanquam causæ proximæ attribuit morbos corporis, ærumnas illius, inopiam ad quam delabantur otiosi, ingenii hebetudinem, ac inhabilitatem ejus ad ea in praxim recte deducenda,

da, quæ olim improbo labore didicimus; ita quippe canit ille:

*Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?*
*Ut capiant vitium, ni moveantur aquæ?*
*Et mihi si quis erat dicendi carminis usus,*
*Deficit, estque minor factus inerte situ.*

A contrario autem, cum adsit naturalis obligatio ad media moderate conquirenda corporis sanitati, vitæque conservandæ necessaria: homo tenetur se accingere 1.) *labori*, & *industrias* sectari conditioni suæ ac viribus convenientes; 2.) Item honesto modo conquirere facultates necessarias ad victum, vestitum, aliaque vitæ subsidia requiri solitas. 3.) Curam habere jubetur de bono nomine & fama, quatenus hæc & ad honestam vitam conducit, & non nobis tantum: sed proximo etiam utilis est, si inde incitetur ad vitæ honestatem, nostraque utatur opera ad suum privatum, vel publicum commodum.

## §. V.

### *Quæ sint alia naturæ præcepta spectantia ad culturam corporis,*

369. PRæter jam enumerata, jure nat. prohibetur omnis *Luxuria* in suo genere, cujus species sunt *Fornicatio* simplex, *stuprum*, seu defloratio virginis ipsa invita, *raptus*, *adulterium*, *incestus*, & quidem si fuerit cum consanguinea persona in *linea recta*, contra præceptum jur. natur. fiet, ad quod *a multis* refertur idem crimen cum *sorore germana* perpetratum: in reliquis gradibus lineæ obliquæ ad jus positivum reducitur. Inter alias species luxuriæ est *sacrilegium*, *mollities* seu pollutio, *sodomia*, *bestialitas*, demum omnis impudicitia, uti sunt desideria prava in genere luxuriæ, tactus & oscula venerea extra matrimonium, non minus ac auditus, aspectus &c.

Neque ullam attentionem meretur doctrina Thomasii *Inst. Jurisprud. divin. l.* 3. *c.* 2. *an.* 143. & *c.* 3. *an.* 71. *cum* Velthusio, Guil. Grot. *de princip. J. N. c.* 4. *n.* 7. *fin.* & aliis perniciose asserentis: *meris rationibus naturalibus demonstrari haud posse omnem scortationem, etiam ad bestialitatem quæ pertinet, aut concubinatum, aut lenocinium esse prohibitum.* Per scortationem vero intelligit omnem speciem, qua sobolis genera-

Falsum quoque est, quod hujusmodi proli *melius sit esse* cum suo malo, quam si simpliciter non fuisset in rerum natura. Nam contrarium patet in Juda proditore, de quo Christus D. dixisse creditur: Matth. 26. v. 24. *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille*: Cui autem simpliciter non est *bonum* nasci & esse, ei nequit melius fieri si nascatur, & sit in rerum natura, quam si non sit. Igitur longe melius est, si proles hujusmodi nunquam nascantur ex simplici fornicatione, quam tot & tanta mala tum physica tum moralia consequuntur: Sæpissime enim hujusmodi soboles exponuntur periculo vitæ *temporalis*, & etiam *spiritualis*; cum non raro sine Baptismo matrum impietate suffocentur & disperdantur.

375. Nec refert, quod forte in nonnullis casibus absint pericula hujusmodi: nam sufficit adhuc *generale* periculum, quamvis in aliquo casu *particulari* id abesse possit, prout aliunde constat ex variis instantiis, pleraque objecta jure nat. esse prohibita ob generale periculum, licet in certis particularibus circumstantiis videretur alicui posse excusari a morali turpitudine, qualia essent v. g. *mendacium officiosum* propter salutem totius Reipublicæ, & similia alia.

Firmantur hæc contra Christianos Mahumetanis & Epicuri principiis inhærentes Naturalistas, etiam ex hac ratione: quia certum est, Mundum *diluvio* fuisse a DEO punitum ob peccata plurima quidem: sed vel maxime carnalia, in omni specie turpitudinis commissa, adeo ut homines illi dediti fuerint mollitiei, bestialitati, sodomiæ, scortationi, fornicationique vagæ & similibus spurcitiis, attestante Scriptura: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: Porro corruptio hæc ita generalis non fuit contra legem aliam tunc temporis, quam naturalem.

## §. VI.

*Quæ sint contraria fundamenta pro licentia carnalium turpitudinum a Recentioribus Naturalistis asserta?*

376. Contra adducta hic momenta excipit Thomassius *loc. cit.* cum suis sequacibus dicens 1.) Sodomia, bestialitas, scortatio, mollities licet non habeat conjugii finem *primarium*, scilicet prolis generationem: habet tamen adhuc *secundarium*, nempe libidinis extinctionem: igitur

jure

jure nat. non est inhonesta. Verum distinctio hæc ex Epicuri commentis perniciose & imperite petita est. Jam enim ex adductis demonstrationibus liquet, finem hunc *secundarium* consistentem in sola venerea libidinis expletione nunquam a Creatore nostro humanæ naturæ præfixum, concessumque fuisse, nisi inquantum alicui *hic & nunc* concessus est finis *primarius* generationis prolis debito modo procreandæ, uti concessus est legitimis conjugibus, quibus permissus etiam *secundarius*. Auctor enim naturæ sensum delectationis prædictæ indidit corpori humano, non aliter, quam in ordine ad generationem, quæ sublato venereo sensu cessaret, consequenter non posset naturaliter propagari species humana, imo nec brutorum; nunquam enim hæc coirent sine delectationis stimulo:

Atqui *sodomiam*, *bestialitatem*, vel crimen *pollutionis* exercenti, non est *hic & nunc* per talem actum a natura, ejusque Auctore concessus finis *primarius* generationis: cum ille sit ei contrarius; igitur neque *secundarius* iste, quia hic est tantum *physice* ac necessario consequens priorem, *se solo* autem ac extra matrimonium nunquam permissus *ob solam libidinis* expletionem. Imo ne conjugibus quidem, si hi *solam voluptatem* intendant.

377. Urgent iidem moralistæ II. ) Perniciosum quidem esse, si prædictæ carnis voluptates jure nat. *uiversaliter* & *semper* fuissent permisæ, non tamen siquis *quandoque* per illas libidinem expleat. Hujus argumenti Thomassius *l. c.* affert rationem, quia præceptum est *indeterminatum*, quod non intendit *perpetuam* obligationem & continuam. Sed contra est: quod erronea ac falsa persuasione laboret hæc ratiocinatio, ac si lex nat. prohibens bestialitatem, sodomiam & similes spurcitias non sit universalis, eaque *semper & pro semper obligans*, utpote *negativa* ac malignantis naturæ: Alioqui etiam blasphemia, & idololatria deberet esse saltem aliquando licita, atque adeo DEUS, qua naturæ Auctor permittens quandoque hos actus ut licitos abnegaret semetipsum, juxta ea quæ diximus *a numer. 82.* ) Imo si per impossibile scortatio illa vel semel foret licita, nihil obesset cur talis pro semper non esset. In tanta enim effrænis libidinis proclivitate nemo foret, qui gravi urgente tentatione *hic & nunc* licitam sibi esse falso non persuaderet. Sic autem everteretur naturæ finis, quæ seminis usum non nisi ad generationem *honesto & debito* modo instituendam concessit; ac consequenter lex nat. ob pericu-

lum *generale* absolute prohibuit omnes delectationes venereas extra casum honesti usus inter solos conjuges permissi, qualis prohibitio, juxta superius probata, nunquam cessat in casu particulari.

378. Neque sanior est Thomassius *l. c.* in probanda eadem licentia bestialitatis, sodomiæ & mollitiei ex hoc medio: quod jus nat. *non prohibeat creationem vomitus*: igitur neque seminis abusus venereos. Scriptor enim hic scire debuisset, per vomitum, qui naturæ perdifficilis est, nihil derogari generi humano, neque impediri ullo modo generationem, multo minus abstrahi homines a matrimonii oneribus, aut excæcari mentes eorum, & enervari corpora, hominemque averti simpliciter a suo fine, ad quem creatus est: quæ omnia fiunt per scortationes vagas, & nefandas, ut etiam ait ethnicus Philosophus Cato major: *Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas hominibus a natura data est.*

Non etiam facit ad rem alia laudatorum Moralistarum ratiocinatio, quod scilicet, *ipsa natura inclinet ad mollitiem, fornicationem, sodomiam* &c. *igitur contra naturam esse non possunt*. Naturalis enim hæc inclinatio est tantum *animalis*, qualem & canes impudici, & porci luto assueti experiuntur: non vero *naturæ rationali conformis*, si fiat extra matrimonium ejusque debitum usum. Eadem quoque vitiata natura inclinat etiam ad adulteria, furta, quæ tamen Naturalistæ hi concedunt esse jure nat. prohibita.

379. Meretur tamen animadversionem, quod adeo absurdarum circa rem veneream halucinationum *Thomassio* cum suis sequacibus ansam dederit *Joannes Seldenus* famosus Angliæ JCtus auctor libri *de J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum* conscripti, quem in epitomen coegit *Joan. Franc. Buldæus*. Ille referens *Noachidarum* præcepta naturalia ab Hebræis observari solita, *lib. 5. c. 6.* asserit *fornicationem* jure nat. non fuisse ab illis inter prohibita reputatam. Hoc testimonio ut omnino falso, ita fide indigno abusi plerique Naturalistæ protestantici, nedum fornicationem: sed neque alias spurcitias hujusmodi inter lege nat. prohibitos actus reponunt. Verum erronee; Nam *primo* ) Seldenus ipse contrarium perhibet *loc. c. lib. 1. cap. 10.* ubi recenset *septem* præcepta *Noachidarum*, nempe 1. ) De *cultu extraneo*, seu idololatria. 2. ) De *maledictione numinis*, sive blasphemia. 3. ) De *effusione sanguinis*, id est homicidio. 4. )

De

De *revelatione turpitudinis*, sive de *OMNI turpitudine venerea extra matrimonium*, adeoque & de fornicatione, mollitie, &c. 5.) De *furto & rapina*. 6.) De *judiciis*: seu regimine forensi, ac obedientia civili. 7.) De *non comedendo membro animalis viventis*. Quibus etiam alii addunt *octavum* de honorandis parentibus: Constat igitur carnalia crimina etiam a *Noachidis*, seu posteris Patriarchæ *NOE* fuisse agnita pro prohibitis jure naturæ.

380. *Secundo*.) demus vero illa non fuisse pro vetitis agnita, nondum sequitur ea fuisse jure nat. permissa. Quia ut ipsemet Puffendorfius *de origine J. N. c. 1. f. m. 169.* ait: *Seldeni lucubratio hausta ex hebræis fontibus, cum non contineat principium omnibus certum*, ex quo naturæ præcepta illa vel evidenter fluant, vel saltem demonstrative procedant, *est imperfecta, incerta, & inutilis*; nil proin solidi ex illa concludi potest; neque ideo recedendum est a demonstrationibus, quas adduximus communi Prudentiorum sensu nixas. Quo etiam facit, quod naturales obligationes, cum sint *necessaria*, hinc nullo modo dependeant ab acceptatione *Noachidarum* aliorumque Populorum: sed potius mensurandæ sint principio indicativo legis naturalis *a num.* 80. adducto.

Altera adductorum errorum occasio fuit, quod Protestantium Naturalistæ cum Guil. Grotio *loc. c.* falso existiment, in lege Evangelica contineri *aliqua præcepta negativa morum honestatem concernentia positivo-moralia omnino nova, quæ non spectent ad jus naturæ*. Hinc inter alia, etiam verba hæc Apostoli 1. Cor. 6. v. 9. & 10. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI possidebunt*; in quantum carnalia peccata prohibent, tenent illi non esse profecta a lege nat. sed a *libera* voluntate divina, reducique ad præcepta *mere positiva*.

381. Verum perniciosam hanc opinionem confutat 1.) Stylus Apostoli, qui *loc. cit.* de *fornicatione, sodomia, mollitie* loquens, eadem utitur energia ac de *adulterio, furto, idololatria*, quam Naturalistæ illi fatentur cum reliquis, scilicet *adulterio, furto, rapina, ebrietate* esse prohibitam jure nat. 2.) Rubore eos suffundere deberent ethnici Philosophi, qui, Epicuro cum suo porcorum grege excepto, contrarium docuerunt. 3.) Contra eos est communis

Catholicorum doctrina, tradens, quod in lege Evangelica, præter materiam *Fidei & Sacramentorum*, nulla dentur præcepta *positivo-moralia*, *negativa præsertim*, quæ in lege nat. vel in lege veteri ejusque Decalogo implicite non contineantur, dicente D. Th. 1. 2. q. 108. a. 2. *Lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit, præcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta: non esse occidendum, non esse furandum & alia hujusmodi.* Demum 4. ) convincit eos præceptum Decalogi: *non concupisces*, quod prout mere declarat naturalem obligationem, eamque confirmat: ita omnem tam internam quam externam carnis concupiscentiam veneream extra matrimonium prohibet. Et patet jam ex Divina nemesi Sodomitas ante legis positivæ promulgationem puniente pro carnalibus delictis.

*Scortatio* igitur & omnis extra matrimonii debitum ac honestum usum *lascivia*, nullum pro se ex naturali Jurisprudentia habet sanum argumentum, præter enormem errorem *Thomassii*, *Guilhelmi Grotii* & aliorum *Epicuri* sequacium, contra quorum execrandam opinionem præsaga mente olim detonaverat *Seneca* Tragæd. 9. act. 2.

*Totum per orbem maximum exortum est malum,*
*Luxuria pestis blanda: cui dedit vires*
*Roburque longum tempus, atque ERROR GRAVIS.*

382. Ex his autem refellitur pestilens doctrina *Puffendorfii*, mere *internas concupiscentias* & crimina *solo corde* concepta putantis non esse lege naturali prohibita. Ille enim in *præfation. ad lib. de Offic. hom.* §. 9. ait: *Circa ea quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras producunt, jus naturæ haud esse solicitum:* Sed contrarium ostendimus *a n.* 77. ) Quo etiam facit, quod alioqui lex nat. manca foret & deficiens, si tantum exteriorem hominem quo ad *actus externos* dirigeret, neglecta nobilissima ejus parte in anima & potentiis *internis* consistente. Imo neque *externa* adulteria, furta, fornicationes aliaque crimina puniri ab ullo Judice citra injustitiam possent: siquidem hæc prout *interna* sunt, naturali lege non essent prohibita. Sanior hac in parte fuisse legitur *Menander* ethnicus Poeta, qui in suis comicis monet: etiam a mere internis pravis concupiscentiis abstinendum esse.

*Nec acus filum Pamphile concuperis,*
*Quando ipse præsens DEUS inspectat omnia.*

AR-

## ARTICULUS II.

*De jure necessitatis* in genere.

## SUMMARIUM.



### §. I.

*Quid sit necessitas: & quis intellectus axiomatis: necessitas non habet legem?*

383. Cum homo inter officia sibi ipsi debita habeat quoddam *jus necessitatis*, quo interdum permittitur uti cum *materiali* aliorum læsione; privilegium hoc ei a jure nat. concessum quemadmodum favorabile est, ita periculosum, ne suus favor in *formale* aliorum odium & læsionem degeneret. Hanc ob rem materia hæc indiget accurata expositione, ut clare constare possit, quid jus illud necessitatis in *genere*, quid in *specie* importet. Et hanc quidem *seq.* articulo, illam vero partem hic & nunc aggredimur exponendam, initium ducturi a definitione & divisione necessitatis, quibus suppositis facilior sequetur decisio propositæ alterius quæstionis, nempe: qui sensus sit brocardici hujus, *necessitas non habet legem.*

384. Necessitas juxta Aristotelem l. 4. Metaph. *Est vis*

*quædam physica vel moralis, actionem vel ejus omissionem ita inducens, ut aliter fieri non possit, aut saltem non sine operantis, vel alterius periculo.* Hac ratione juxta eundem Philosophum *necessarium est, quod aliter fieri nequit.* Et ita ex *l. solet, ff. de Feriis*, ortum est illud vulgare: *Necessitas non habet ferias.*

Alii Naturalistæ ex *Heineccio* necessitatem describunt, quod sit *status hominis, in quo legi sine periculo suo parere non potest:* sed merito rejicitur hæc descriptio. Neque enim *necessitas* status hominis recte dici potest, ut expendenti patet; ac descriptio hæc præbet occasionem incautis Lectoribus etiam naturalem ac divinam legem, sine ulla limitatione non observandi, eo quod illi parere quis sine suo periculo non possit, quod tamen omnino absonum esse ostendemus, & colligi potest ex definitione *Juris necessitatis*, quod nihil aliud est, quam *facultas naturali æquitate nixa, se eximendi ab aliqua lege, quæ ad casum necessitatis non præsumitur a Legislatore extensa.* Quæ autem lex illa, & qualis debeat esse necessitas, propter quam ita eximamur; dependet id a recta divisione necessitatis, cui dein correspondere debebunt variorum casuum decisiones.

385. Porro juxta laudatum Philosophum, necessitas est vel *Absoluta*, vel *Moralis*, prout aliquid aliter fieri nequit vel *simpliciter*, aut saltem *naturaliter*, seu physice, vel solummodo *moraliter*, hoc est sine magna difficultate. Posterior hæc seu *moralis* necessitas contingere potest *spiritualis*, vel *corporalis*, & utraque *major*, vel *minor*, nempe *extrema*, *gravis* vel *communis*. Necessitas *spiritualis extrema* est, cum homo versatur in periculo proximo damnationis æternæ: & quandoque si sit in periculo proximo peccandi mortaliter. *Gravis* est, si non sit quidem periculum proximum damnationis æternæ, sint tamen circumstantiæ, quæ salutem æternam reddant valde difficilem. *Communis* est, in qua communiter sunt peccatores in mortali noxa constituti.

386. *Corporalis* necessitas *extrema* dicitur; ex qua egenti imminet periculum proximum vitæ. Et quidem juxta *Ledesm.* & alios, extrema adhuc censetur esse necessitas, si sit periculum mortis *intra tres menses* alioquin incurrendæ; aut secundum *Cajet.* si sit periculum mortis, quamvis tempus longe distet, & non appareat alia via illi periculo occurrendi: debet autem esse aliqua moralis certitudo, vel saltem, uti volunt *Vasq. Valent. Nav. Carden.* prudens ac probabi-

babilis timor, si non subveniatur; incurrendi mortem. Irrationabile enim foret expectari, usque dum quis incidat in periculum proximum mortis. Unde *Carden.* in 1. crisi d. 80. n. 74. ait: si probabiliter peribit egenus deficiente hoc levamine, ea necessitas est evidenter extrema.

387. Ad necessitatem extremam *D. Th.* 2. 2. q. 66. a. 7. *Navar.* c. 17. n. 5. *Silvest.* v. Furtum q. 5. Less. de J. & J. l. 2. c. 12. a n. 71. aliique cum *Carden.* in crisi 1. d. 80. n. 5. & in crisi 2. d. 9. n. 8. & 17. reducunt necessitatem *urgentem*, quam plerique cum Less. l. c. vocant *valde gravem*, aut *quasi extremam*, estque tunc, quando adest *periculum proximum incidendi in gravissimam calamitatem*, vel in malum *morti aequivalens*.

Quodnam autem malum censeatur morti aequivalere; non potest certa regula determinari: sed spectandae sunt circumstantiae, maxime personarum indigentium. *Dicast. Castrop.* d. 2. p. 2. n. 1. *Tambur.* dicunt sufficere mutilationem membri principalis, amissionem sensus, v. g. oculorum, perpetuum carcerem, infirmitatem perpetuam, vel amentiam. Addit *Bann.* si homini pro ratione sui status gravissimum esset dedecus mendicare, afferens illi impossibilitatem moralem, eo quod praeligeret mortem: *Lorc. Arriag.* & *Leander a S. Sacram.* putant, si alicui ratione similis status foret ignominia & impossibilitas exercendi artem mechanicam, aut famulandi: Item si ob paupertatem esset periculum labendi in peccatum mortale, uti tradit *Villalob.* v. g. in filia, quam Parens ob inopiam vellet prostituere: aut si quis ob inopiam se vellet occidere, lapsus in tristitiam non voluntariam, &c.

Quo etiam fit, ut juxta *Cajet. Suar. Tapia, Carden.* in 1. crisi, d. 80. a n. 15. & alios, gravis necessitas Reipublicae, v. g. propter famem, communiter *aequivaleat* necessitati extremae particularium. Quia illa necessitas raro erit sine hac, unde sicut certum est esse obligationem, etiam ex necessariis ad statum, succurrendi Proximo in extrema necessitate, ita est opinio *D. Th.* 2. 2. q. 82. a. 6. communiter recepta, quod sit obligatio succurrendi *valde gravi*, seu *urgenti* necessitati Reipublicae, cum bonum commune praeferendum sit privato in temporalibus &c.

Hinc juxta hanc & communiorem doctrinam, ob praedictam *valde gravem* & *quasi extremam* necessitatem Reipublicae, licitum est ex illis, quae ad usus pios, etiam per ul-

neratio excluditur, *mollitiem, sodomiam, stuprum, bestialitatem:* Per concubitum autem & lenocinium denotat *fornicationem*, ex qua sobolis generatio interdum sequitur: sed mere *per accidens*, & ut plerumque fit, contra intentionem fornicariorum. Porro *hæc ipsa* fuit etiam sententia *infamium Ethnicorum*, præsertim *Epicuri*, quem Seneca *porcum* vocat, & *Terentiani*, & qui beatitudinem hominis in belluinis voluptatibus statuebant; illa tandem cum *autonomica* libertate sentiendi & credendi prout cuique placet, devenit ad *Christianos Naturalistas* nunc primum laudatos, quorum error ex sequentibus momentis non difficulter colligi poterit.

370. Et quidem I.) *Sodomiam* jure nat. prohibitam, homo usus rationis compos, ac præcipue Christianus ignorare haud potest: Certum quippe illi esse debet, quod justus naturæ Auctor *Sodomam & Gomorrham* cum finitimis civitatibus, & populo eas inhabitante, paucis cum *Lot* exceptis personis, igne de cælo misso exusserit, ac ad perenne justitiæ suæ exemplum in favillam & cinerem redegerit, eo quia dicente Apost. ad Rom. 1. *Feminæ eorum immutaverunt naturalem usum, in eum usum, qui est CONTRA NATURAM: Similiter autem & masculi relicto naturali usu feminæ, exarserunt in desideriis suis invicem, masculi in masculos turpitudinem operantes*; Sacra vero historia *Genes. 13. v. 13.* testatur populos illos graviter peccasse per hujusmodi turpitudines, ubi ait: *Homines autem Sodomitæ pessimi erant, & peccatores coram Deo nimis:* itaque certum est eos gravissime peccasse:

Atqui non peccarunt contra legem Divinam positivam, ut per se notum est, quia hæc nondum illis temporibus promulgata fuerat: peccarunt igitur contra legem naturalem, alioqui *peccatores pessimi*, neque immutasse usum corporum *CONTRA NATURAM* dici in sacris codicibus potuissent, neque exustionis, & tam temporanei, quam æterni interitus pœnam fuissent promeriti, quia ubi nulla lex, nulla est etiam prævaricatio, consequenter neque culpa, neque pœna.

371. II.) *Bestialitatem* quoque eidem juri nat. repugnare probat tum jam adductum momentum de Sodomia, utpote a minori ad majus, tum quod hæc non minus ac illa directe apponatur bono generis humani. Admisso enim hoc coitu tanquam licito jure nat. impediretur generatio humana, aut si per accidens saltem propagaretur, fieret monstruosa, utpote non servata identitate speciei, ex patre homine, ma-

tre

tre autem v.g. vacca. Demum nulla etiam e barbaris Gentibus fuit adeo male sana, quæ bestialitatis crimen infami rogo, vel aliter non puniret, cum per illud enormiter inhonoretur natura humana, ut videre est in *Hist. Philosoph. ethn. c. 3. & seq.*

372. III.) Neque *mollitiem* seu pollutionem jure natur. prohibitam ambigi prudenter potest. Turpitudo enim intrinseca ipsius in eo consistit, quod homo propter solam voluptatem abutatur semine sibi a natura, non nisi ad generationem debito modo propagandam concesso: Porro abusus hic evertit ordinem naturæ, ac si aliquando permissus fuisset, cederet evidenter in perniciem speciei humanæ. Nemo quippe facile matrimonium ex se onerosum appeteret, cum libentius voluptate sine dolore, quam cum dolore & millenis curarum ærumnis frui, vix aliquis sit, qui non ambiret.

373. IV.) *Fornicationem* quoque etiam *simplicem*, & omnem vagam *scortationem*, tum supra hic, tum immediate allatum momentum demonstrat. Fornicatio enim & scortatio, quæ propter solam spurcam voluptatem intenditur, revera *per se* non est ordinata ad conceptionem sobolis: tum quod ab ea feminę fornicariæ vel maxime abhorreant, ne sibi dedecus & infamiam, aut certe molestiam ex concepta prole adsciscant: tum quia commixtio hujusmodi repugnat rectæ a natura institutæ propagationi speciei humanæ, prolique nascituræ gravissima infert incommoda ex eo, quod cum sit incerto patre, incertam quoque reddat educationem, alimentationem, & instructionem. Imo periculosa est ipsamet generatio. Matres enim hujusmodi minore plerumque cura & amore in proles has intentæ sunt. Atque ita actus scortationis everteret societatem humanam, ac illo per jus nat. approbato, homines effugerent matrimonii molestias, libere tamen vacarent brutis voluptatibus.

374. Et quamvis forsan aliqua fornicatio non esset *injuriosa* proli nondum existenti, ita ut non sit peccatum *contra justitiam commutativam*: est tamen peccatum *contra caritatem*, seu amorem proximi lege nat. præceptum, dicente D. Th. 2. 2. q. 154. a. 2. ad 4. *Fornicatio simplex contrariatur dilectioni proximi, quantum ad hoc, quod repugnat bono prolis*, ac proin hæc non desinit esse naturali jure prohibita, sicut non desinit blasphemia, odium proximi mere internum, & similia, quæ tamen non sunt contra justitiam commutativam.

Fal-

Falsum quoque est, quod hujusmodi proli *melius sit esse* cum suo malo, quam si simpliciter non fuisset in rerum natura. Nam contrarium patet in Juda proditore, de quo Christus D. dixisse creditur: Matth. 26. v. 24. *bonum erat ei, si natus non fuisset homo ille:* Cui autem simpliciter non est *bonum* nasci & esse, ei nequit melius fieri si nascatur, & sit in rerum natura, quam si non sit. Igitur longe melius est, si proles hujusmodi nunquam nascantur ex simplici fornicatione, quam tot & tanta mala tum physica tum moralia consequuntur: Sæpissime enim hujusmodi soboles exponuntur periculo vitæ *temporalis*, & etiam *spiritualis*; cum non raro sine Baptismo matrum impietate suffocentur & disperdantur.

375. Nec refert, quod forte in nonnullis casibus absint pericula hujusmodi: nam sufficit adhuc *generale* periculum, quamvis in aliquo casu *particulari* id abesse possit, prout aliunde constat ex variis instantiis, pleraque objecta jure nat. esse prohibita ob generale periculum, licet in certis particularibus circumstantiis videretur alicui posse excusari a morali turpitudine, qualia essent v. g. *mendacium officiosum* propter salutem totius Reipublicæ, & similia alia.

Firmantur hæc contra Christianos Mahumetanis & Epicuri principiis inhærentes Naturalistas, etiam ex hac ratione: quia certum est, Mundum *diluvio* fuisse a DEO punitum ob peccata plurima quidem: sed vel maxime carnalia, in omni specie turpitudinis commissa, adeo ut homines illi dediti fuerint mollitiei, bestialitati, sodomiæ, scortationi, fornicationique vagæ & similibus spurcitiis, attestante Scriptura: *Omnis quippe caro corruperat viam suam*: Porro corruptio hæc ita generalis non fuit contra legem aliam tunc temporis, quam naturalem.

## §. VI.

### *Quæ sint contraria fundamenta pro licentia carnalium turpitudinum a Recentioribus Naturalistis asserta?*

376. Contra adducta hic momenta excipit Thomasius *loc. cit.* cum suis sequacibus dicens 1.) Sodomia, bestialitas, scortatio, mollities licet non habeat conjugii finem *primarium*, scilicet prolis generationem: habet tamen adhuc *secundarium*, nempe libidinis extinctionem: igitur jure

jure nat. non est inhonesta. Verum distinctio hæc ex Epicuri commentis perniciose & imperite petita est. Jam enim ex adductis demonstrationibus liquet, finem hunc *secundarium* consistentem in sola venerea libidinis expletione nunquam a Creatore nostro humanæ naturæ præfixum, concessumque fuisse, nisi inquantum alicui *hic & nunc* concessus est finis *primarius* generationis prolis debito modo procreandæ, uti concessus est legitimis conjugibus, quibus permissus etiam *secundarius*. Auctor enim naturæ sensum delectationis prædictæ indidit corpori humano, non aliter, quam in ordine ad generationem, quæ sublato venereo sensu cessaret; consequenter non posset naturaliter propagari species humana, imo nec brutorum; nunquam enim hæc coirent sine delectationis stimulo:

Atqui *sodomiam*, *bestialitatem*, vel crimen *pollutionis* exercenti, non est *hic & nunc* per talem actum a natura, ejusque Auctore concessus finis *primarius* generationis: cum ille sit ei contrarius; igitur neque *secundarius* iste, quia hic est tantum *physice* ac necessario consequens priorem, *se solo* autem ac extra matrimonium nunquam permissus *ob solam libidinis* expletionem. Imo ne conjugibus quidem, si hi *solam voluptatem* intendant.

377. Urgent iidem moralistæ II.) Perniciosum quidem esse, si prædictæ carnis voluptates jure nat. *universaliter* & *semper* fuissent permisæ, non tamen siquis *quandoque* per illas libidinem expleat. Hujus argumenti Thomassius *l. c.* affert rationem, quia præceptum est *indeterminatum*, quod non intendit *perpetuam* obligationem & continuam. Sed contra est: quod erronea ac falsa persuasione laboret hæc ratiocinatio, ac si lex nat. prohibens bestialitatem, sodomiam & similes spurcitias non sit universalis, eaque *semper & pro semper obligans*, utpote *negativa* ac malignantis naturæ: Alioqui etiam blasphemia, & idololatria deberet esse saltem aliquando licita, atque adeo DEUS, qua naturæ Auctor permittens quandoque hos actus ut licitos abnegaret semetipsum, juxta ea quæ diximus *a numer.* 82.) Imo si per impossibile scortatio illa vel semel foret licita, nihil obesset cur talis pro semper non esset. In tanta enim effrænis libidinis proclivitate nemo foret, qui gravi urgente tentatione *hic & nunc* licitam sibi esse falso non persuaderet. Sic autem everteretur naturæ finis, quæ seminis usum non nisi ad generationem *honesto* & *debito* modo instituendam concesit; ac consequenter lex nat. ob pericu-

lum *generale* absolute prohibuit omnes delectationes venereas extra casum honesti usus inter solos conjuges permissi, qualis prohibitio, juxta superius probata, nunquam cessat in casu particulari.

378. Neque sanior est Thomassius *l. c.* in probanda eadem licentia bestialitatis, sodomiæ & molliciei ex hoc medio: quod jus nat. *non prohibeat creationem vomitus*: igitur neque seminis abusus venereos. Scriptor enim hic scire debuisset, per vomitum, qui naturæ perdifficilis est, nihil derogari generi humano, neque impediri ullo modo generationem, multo minus abstrahi homines a matrimonii oneribus, aut excæcari mentes eorum, & enervari corpora, hominemque averti simpliciter a suo fine, ad quem creatus est: quæ omnia fiunt per scortationes vagas, & nefandas, ut etiam ait ethnicus Philosophus Cato major: *Nulla capitalior pestis, quam corporis voluptas hominibus a natura data est.*

Non etiam facit ad rem alia laudatorum Moralistarum ratiocinatio, quod scilicet, *ipsa natura inclinet ad mollitiem, fornicationem, sodomiam &c. igitur contra naturam esse non possunt.* Naturalis enim hæc inclinatio est tantum *animalis*, qualem & canes impudici, & porci luto assueti experiuntur: non vero *naturæ rationali conformis*, si fiat extra matrimonium ejusque debitum usum. Eadem quoque vitiata natura inclinat etiam ad adulteria, furta, quæ tamen Naturalistæ hi concedunt esse jure nat. prohibita.

379. Meretur tamen animadversionem, quod adeo absurdarum circa rem veneream halucinationum *Thomassio* cum suis sequacibus ansam dederit *Joannes Seldenus* famosus Angliæ JCtus auctor libri *de J. N. & G. juxta disciplinam Hebræorum* conscripti, quem in epitomen coegit *Joan. Franc. Buldæus*. Ille referens *Noachidarum* præcepta naturalia ab Hebræis observari solita, *lib. 5. c. 6.* asserit *fornicationem* jure nat. non fuisse ab illis inter prohibita reputatam. Hoc testimonio ut omnino falso, ita fide indigno abusi plerique Naturalistæ protestantici, nedum fornicationem: sed neque alias spurcitias hujusmodi inter lege nat. prohibitos actus reponunt. Verum erronee; Nam *primo*) Seldenus ipse contrarium perhibet *loc. c. lib. 1. cap. 10.* ubi recenset *septem* præcepta *Noachidarum*, nempe 1.) De *cultu extraneo*, seu idololatria. 2.) De *maledictione numinis*, sive blasphemia. 3.) De *effusione sanguinis*, id est homicidio. 4.)

De

De *revelatione turpitudinis*, sive de *OMNI turpitudine venerea extra matrimonium*, adeoque & de fornicatione, mollitie, &c. 5.) De *furto & rapina*. 6.) De *judiciis*: seu regimine forensi, ac obedientia civili: 7.) De *non comedendo membro animalis viventis*. Quibus etiam alii addunt *octavum* de honorandis parentibus: Constat igitur carnalia crimina etiam a *Noachidis*, seu posteris Patriarchæ *NOE* fuisse agnita pro prohibitis jure naturæ.

380. *Secundo*.) demus vero illa non fuisse pro vetitis agnita, nondum sequitur ea fuisse jure nat. permissa. Quia ut ipsemet Puffendorfius *de origine J. N. c. 1. f. m. 169.* ait: *Seldeni lucubratio hausta ex hebræis fontibus, cum non contineat principium omnibus certum*, ex quo naturæ præcepta illa vel evidenter fluant, vel saltem demonstrative procedant, *est imperfecta, incerta, & inutilis*; nil proin solidi ex illa concludi potest, neque ideo recedendum est a demonstrationibus, quas adduximus communi Prudentiorum sensu nixas. Quod etiam facit, quod naturales obligationes, cum sint *necessaria*, hinc nullo modo dependeant ab acceptatione *Noachidarum* aliorumque Populorum: sed potius mensurandæ sint principio indicativo legis naturalis *a num.* 80. adducto.

Altera adductorum errorum occasio fuit, quod Protestantium Naturalistæ cum Guil. Grotio *loc. c.* falso existiment, in lege Evangelica contineri *aliqua præcepta negativa morum honestatem concernentia positivo-moralia omnino nova, quæ non spectent ad jus naturæ*. Hinc inter alia, etiam verba hæc Apostoli 1. Cor. 6. v. 9. & 10. *Neque fornicarii, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum DEI possidebunt*, in quantum carnalia peccata prohibent, tenent illi non esse profecta a lege nat. sed a *libera* voluntate divina, reducique ad præcepta *mere positiva*.

381. Verum perniciosam hanc opinionem confutat 1.) Stylus Apostoli, qui *loc. cit.* de *fornicatione, sodomia, mollitie* loquens; eadem utitur energia ac de *adulterio, furto, idololatria*, quam Naturalistæ illi fatentur cum reliquis, scilicet *adulterio, furto, rapina, ebrietate* esse prohibitam jure nat. 2.) Rubore eos suffundere deberent ethnici Philosophi, qui, Epicuro cum suo porcorum grege excepto, contrarium docuerunt. 3.) Contra eos est communis

Catholicorum doctrina, tradens, quod in lege Evangelica, præter materiam *Fidei & Sacramentorum*, nulla dentur præcepta *positivo-moralia*, *negativa præsertim*, quæ in lege nat. vel in lege veteri ejusque Decalogo implicite non contineantur, dicente D. Th. 1. 2. q. 108. a. 2. *Lex nova nulla alia exteriora opera determinare debuit, præcipiendo, vel prohibendo, nisi Sacramenta, & moralia præcepta, quæ de se pertinent ad rationem virtutis, puta: non esse occidendum, non esse furandum & alia hujusmodi.* Demum 4. ) convincit eos præceptum Decalogi: *non concupisces*, quod prout mere declarat naturalem obligationem, eamque confirmat: ita omnem tam internam quam externam carnis concupiscentiam veneream extra matrimonium prohibet. Et patet jam ex Divina nemesi Sodomitas ante legis positivæ promulgationem punien‑te pro carnalibus delictis.

*Scortatio* igitur & omnis extra matrimonii debitum ac honestum usum *lascivia*, nullum pro se ex naturali Jurisprudentia habet sanum argumentum, præter enormem errorem *Thomassii*, *Guilhelmi Grotii* & aliorum *Epicuri* sequacium, contra quorum execrandam opinionem præsaga mente olim detonaverat *Seneca* Tragæd. 9. act. 2.

*Totum per orbem maximum exortum est malum,*
*Luxuria pestis blanda: cui dedit vires*
*Roburque longum tempus, atque ERROR GRAVIS.*

382. Ex his autem refellitur pestilens doctrina *Puffendorfii*, mere *internas concupiscentias* & crimina *solo corde* concepta putantis non esse lege naturali prohibita. Ille enim in *præfation. ad lib. de Offic. hom.* §. 9. ait: *Circa ea quæ intra pectus latitant, nec aliquem effectum aut signum foras producunt, jus naturæ haud esse solicitum:* Sed contrarium ostendimus *a n.* 77. ) Quo etiam facit, quod alioqui lex nat. manca foret & deficiens, si tantum exteriorem hominem quo ad *actus externos* dirigeret, neglecta nobilissima ejus parte in anima & potentiis *internis* consistente. Imo neque *externa* adulteria, furta, fornicationes aliaque crimina puniri ab ullo Judice citra injustitiam possent: siquidem hæc prout *interna* sunt, naturali lege non essent prohibita. Sanior hac in parte fuisse legitur *Menander* ethnicus Poeta, qui in suis comicis monet: etiam a mere internis pravis concupiscentiis abstinendum esse.

*Nec acus filum Pamphile concuperis,*
*Quando ipse præsens DEUS inspectat omnia.*

AR-

## ARTICULUS II.

### *De jure necessitatis* in genere.

### SUMMARIUM.

383. *Affertur ratio tractandi de jure necessitatis.*
384. &c. *Exponitur definitio & divisio necessitatis.*
387. Quasi extrema *necessitas admittitur.*
388. *Necessitas* gravis *explicatur,*
389. Et communis *exponitur.*
390. Thomassius & Fleischerus *confutantur.*
391. &c. *Examinatur axioma:* necessitas non habet legem.
395. *Solvuntur rationes contra necessitatem* quasi extremam.
396. &c. *Quis allegare jus necessitatis, vel excipere possit?*
398. &c. *An extrema necessitas inducat communionem bonorum?*
401. *In* quasi extrema *necessitate; quid surripi possit?*
402. *Solvitur ratio* Soti *contra extreme gravem necessitatem.*
403. &c. *An extreme, vel quasi extreme gravis necessitas transferat dominium in surripientem?*
405. &c. *Eligitur sententia media, & probatur, usq. ad n.409.*

### §. I.

*Quid sit necessitas: & quis intellectus axiomatis: necessitas non habet legem?*

383. CUm homo inter officia sibi ipsi debita habeat quoddam *jus necessitatis*, quo interdum permittitur uti cum *materiali* aliorum læsione; privilegium hoc ei a jure nat. concessum quemadmodum favorabile est, ita periculosum, ne suus favor in *formale* aliorum odium & læsionem degeneret. Hanc ob rem materia hæc indiget accurata expositione, ut clare constare possit, quid jus illud necessitatis in *genere*, quid in *specie* importet. Et hanc quidem *seq.* articulo, illam vero partem hic & nunc aggredimur exponendam, initium ducturi a definitione & divisione necessitatis, quibus suppositis facilior sequetur decisio propositæ alterius quæstionis, nempe: qui sensus sit brocardici hujus, *necessitas non habet legem.*

384. Necessitas juxta Aristotelem l. 4. Metaph. *Est vis*

*quædam physica vel moralis, actionem vel ejus omissionem ita inducens, ut aliter fieri non possit, aut saltem non sine operantis, vel alterius periculo.* Hac ratione juxta eundem Philosophum *necessarium est, quod aliter fieri nequit.* Et ita ex *l. solet, ff. de Feriis*, ortum est illud vulgare: *Necessitas non habet ferias.*

Alii Naturalistæ ex *Heineccio* necessitatem describunt, quod sit *status hominis, in quo legi sine periculo suo parere non potest:* sed merito rejicitur hæc descriptio. Neque enim *necessitas* status hominis recte dici potest, ut expendenti patet; ac descriptio hæc præbet occasionem incautis Lectoribus etiam naturalem ac divinam legem, sine ulla limitatione non observandi, eo quod illi parere quis sine suo periculo non possit, quod tamen omnino absonum esse ostendemus, & colligi potest ex definitione *Juris necessitatis*, quod nihil aliud est, quam *facultas naturali æquitate nixa, se eximendi ab aliqua lege, quæ ad casum necessitatis non præsumitur a Legislatore extensa.* Quæ autem lex illa, & qualis debeat esse necessitas, propter quam ita eximamur; dependet id a recta divisione necessitatis, cui dein correspondere debebunt variorum casuum decisiones.

385. Porro juxta laudatum Philosophum, necessitas est vel *Absoluta*, vel *Moralis*, prout aliquid aliter fieri nequit vel *simpliciter*, aut saltem *naturaliter*, seu physice, vel solummodo *moraliter*, hoc est sine magna difficultate. Posterior hęc seu *moralis* necessitas contingere potest *spiritualis*, vel *corporalis*, & utraque *major*, vel *minor*, nempe *extrema*, *gravis* vel *communis*. Necessitas *spiritualis extrema* est, cum homo versatur in periculo proximo damnationis æternæ: & quandoque si sit in periculo proximo peccandi mortaliter. *Gravis* est, si non sit quidem periculum proximum damnationis æternæ, sint tamen circumstantiæ, quæ salutem æternam reddant valde difficilem. *Communis* est, in qua communiter sunt peccatores in mortali noxa constituti.

386. *Corporalis* necessitas *extrema* dicitur; ex qua egenti imminet periculum proximum vitæ. Et quidem juxta *Ledesm.* & alios, extrema adhuc censetur esse necessitas, si sit periculum mortis *intra tres menses* alioquin incurrendæ; aut secundum *Cajet.* si sit periculum mortis, quamvis tempus longe distet, & non appareat alia via illi periculo occurrendi: debet autem esse aliqua moralis certitudo, vel saltem, uti volunt *Vasq. Valent. Nav. Carden.* prudens ac probabi-

babilis timor, si non subveniatur; incurrendi mortem. Irrationabile enim foret expectari, usque dum quis incidat in periculum proximum mortis. Unde *Carden.* in 1. crisi d. 80. n. 74. ait: si probabiliter peribit egenus deficiente hoc levamine, ea necessitas est evidenter extrema.

387. Ad necessitatem extremam *D. Th.* 2. 2. q. 66. a. 7. *Navar.* c. 17. n. 5. *Silvest.* v. Furtum q. 5. Less. de J. & J. l. 2. c. 12. a n. 71. aliique cum *Carden.* in crisi 1. d. 80. n. 5. & in crisi 2. d. 9. n. 8. & 17. reducunt necessitatem *urgentem*, quam plerique cum Less. l. c. vocant *valde gravem*, aut *quasi extremam*, estque tunc, quando adest *periculum proximum incidendi in gravissimam calamitatem*, vel in malum *morti æquivalens*.

Quodnam autem malum censeatur morti æquivalere; non potest certa regula determinari: sed spectandæ sunt circumstantiæ, maxime personarum indigentium. *Dicast. Castrop.* d. 2. p. 2. n. 1. *Tambur.* dicunt sufficere mutilationem membri principalis, amissionem sensus, v. g. oculorum, perpetuum carcerem, infirmitatem perpetuam, vel amentiam. Addit *Bann.* si homini pro ratione sui status gravissimum esset dedecus mendicare, afferens illi impossibilitatem moralem, eo quod præeligeret mortem: *Lorc. Arriag.* & *Leander a S. Sacram.* putant, si alicui ratione similis status foret ignominia & impossibilitas exercendi artem mechanicam, aut famulandi: Item si ob paupertatem esset periculum labendi in peccatum mortale, uti tradit *Villalob.* v. g. in filia, quam Parens ob inopiam vellet prostituere: aut si quis ob inopiam se vellet occidere, lapsus in tristitiam non voluntariam, &c.

Quo etiam fit, ut juxta *Cajet. Suar. Tapia*, *Carden.* in 1. crisi, d. 80. a n. 15. & alios, gravis necessitas Reipublicæ, v. g. propter famem, communiter *æquivaleat* necessitati extremæ particularium. Quia illa necessitas raro erit sine hac, unde sicut certum est esse obligationem, etiam ex necessariis ad statum, succurrendi Proximo in extrema necessitate, ita est opinio *D. Th.* 2. 2. q. 82. a. 6. communiter recepta, quod sit obligatio succurrendi *valde gravi*, seu *urgenti* necessitati Reipublicæ, cum bonum commune præferendum sit privato in temporalibus &c.

Hinc juxta hanc & communiorem doctrinam, ob prædictam *valde gravem* & *quasi extremam* necessitatem Reipublicæ, licitum est ex illis, quæ ad usus pios, etiam *per ul-*

*timas voluntates* destinata sunt, subvenire indigentiæ v. g. Civitatis. Bona enim exteriora, ex DEI institutione ordinata sunt ad sublevandam necessitatem aliorum, saltem *extremam*. Notandum tamen, quod hæc ultimarum ad usus pios factarum voluntatum, etiam in præallegato casu, commutatio debeat & possit fieri non ab alio, quam ab Ecclesiastico Magistratu, juxta alibi dicenda, & aliunde jam notas Jurium dispositiones.

388. Necessitas *gravis* universaliter dicitur, quando quis ex defectu rerum necessariarum est in periculo incidendi in miseriam magnam, quæ reddat vitam *notabiliter molestam*, uti esset illi, qui e statu commodo delapsus cogeretur victitare solo pane & oleribus: qui ita esset nudus, ut vel illi inde foret ignominia magna, vel præ frigore impenderet periculum gravis morbi: cui spectata valetudine & viribus esset nimis molestum semper super pavimento aut tabula dormire: item, qui duram subit captivitatem: aut *diuturno* tempore detinetur in carcere nimis molesto.

389. Necessitas *communis* est, quando est aliquod incommodum in necessariis ad vitam, & statum, ita tamen, ut non reddat vitam nimis miseram vel molestam *spectata conditione* & statu patientis. Atque in tali necessitate sunt plerique pauperes *triviales*, ac ostiatim mendicantes.

390. Quemadmodum autem divisio hæc *trina* necessitatis ab omnibus vere Eruditis recepta est, ita merito rejicitur post *Thomasium* suus Apologetes *Fleischerus*, qui Instit. J. N. & G. l. 2. cap. 2. §. 61. ait: *Distinctionem necessitatis in summam & gravem, nec non inter leges Divinas affirmativas & negativas, tanquam fundamento destitutam rejicimus, nullam aliam necessitatem, quam incolumitatis agnoscentes.*

Asseitio hæc post multa alia, inde quoque temeritatis recte arguitur, quod suus Auctor necessitatem in sola *incolumitate* corporis reponens confundat humanam conditionem cum conditione brutorum, quorum tota summa necessitatis consistit in *propria cute conservanda*, & alimentis conquirendis, quibus incolumitatem & vitam retineant. Scire tamen debuisset, hominis necessitatem omnino differentem esse, cum hæc possit dari vel *quo ad animum*, vel *quo ad corpus*, bonaque nedum *externa*: sed etiam *interna*, aut *incorporea*, uti est fama, honor, reputatio; salutis *æternę*, vel tem-

temporalium bonorum periculum, idque *majus* vel *minus*, suum proprium; vel certe liberorum, familiæ, amicorum, aut Reipublicæ: quas utique necessitates non curant, nec curare possunt bruta. Demum ipsa quo ad *corporis incolumitatem* necessitas, quam solam admittunt hi Protestantes, potest esse *extrema*, *gravis*, vel *communis* &c.

## §. II.

### *Exponitur axioma*: NECESSITAS NON HABET LEGEM.

391. Adductum axioma: *necessitas non habet legem*, est quidem regula juris etiam naturalis, ac declaratur in cap. 4. de Reg. Jur. in 5. *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, non ita tamen regula hæc absolute est vera, quin plurimas patiatur limitationes, prout id sequentes docent instantiæ.

*Primo*) enim actionem, vel ejus omissionem quocumque jure vetitam ac illicitam *necessitas absoluta*, seu tam *physice* quam *moraliter* hic & nunc invincibilis eatenus cohonestat, ut vi illius faciens aliquid, vel omittens, ab omni culpa & pœna excusetur. Prout fieret in illo Christiano, cujus renuentis manus vi à Tyranno adhibita moveretur, ut ex ea in subjectum ignem decidens thus incendatur. Talis quippe necessitas voluntarium & liberum tolleret, prout etiam docemur in *c. sacris* 5. *de iis, quæ vi.*

*Secundo*) actionem tamen jure naturali *absoluto* prohibitam, atque adeo illicitam nulla etiam extrema sola *moralis* necessitas cohonestare & licitam reddere potest. Quia hoc jure illicita intrinsece mala sunt, nulloque casu bona & honesta fieri possunt, per ea, quæ diximus *a nu.* 37.) ac constat ex *Can. Mihi* 11. *can. Ne quis* 14. *caus.* 22. *q.* 2. Ubi etiam redditur ratio, quod absolute prohibitorum materiam necessitas mutare non possit, ut liquet in blasphemia, mendacio etiam officioso, perjurio &c. In hoc sensu procedit *L. palam* 43. §. *non est ignoscendum*, 5. *ff. de rit. nupt.* juxta quam *necessitas peccare non permittit*. Similiter *Can. discipulos*, *d.* 5. *de consecr.* dicitur: *necessitatem a fornicatione non excusare*. Atque adeo nulla necessitas eximit a legis objecta hæc prohibentis observantia. Imo etiam ab his, quæ jure nat. tantum *hypothetico*, seu limitato prohibentur, nulla excusat ne-

ces-

cessitas *moralis*, quamdiu materia legis nat. prohibentis *non est mutata*, ut patet in contractibus, promissionibus, voto, &c. Et constabit ex *n*. 397.

392. *Tertio*.) actionem vel omissionem vetitam lege *mere positiva* humana, imo *quandoque* & *Divina interdictam*, necessitas *moralis* non tantum *extrema*: sed *saepe* etiam *gravis* licitam reddit. Sic enim licite panes Propositionis comedit David 1. Reg. *c*. 21. *v*. 6. & Machabæi cladem ab hostibus imminentem in Sabbato propulsarunt, 1. *Machab. c*. 2. *v*. 38. non obstante lege Divina vetante alias actiones utramque. Et Christus D. *Matth*. 12. excusat Discipulos, qui die Sabbati spicas colligebant. Idem constat in præcepto divino *de integritate confessionis*, nam grave periculum interdum excusat ab illius executione *quo ad integritatem* materiæ. De humanis quoque legibus *non semper* cum gravi periculo obligantibus, aliunde jam notum est, & patet ex *c. consilium* 2. *de observat. jejun*. & *cit. c*. 4. *de R. J. in* 5.

Ratio est, quia Legislator Divinus, licet ad legum suarum observationem, cum quovis, etiam vitæ periculo obligare absolute valeat, ordinarie tamen humanæ conditioni eas solet accommodare, ut non obligent, quando sine ejusmodi manifesto periculo nequeunt observari. *D. Th*. 3. p. q. 40. a. 4. ad 3. & 2. 2. q. 100. a. 3. *Suar*. l. 3. de LL. c. 30. n. 6.

393. Dixi *quandoque*, & *saepe*; quia legem *positivam* divinam, imo etiam & humanam *cum vitæ* quoque ipsius *periculo* observandi obligatio adest. I.) Quando ea publicum bonum totius communitatis, grave alias discrimen subituræ concernit. Tunc enim jus natur. obligat; uti fit *in Confessario*, qui sigillum sacramentale ob mortis periculum violare nequit. Et *Parochus* tempore pestis oves: *Miles* stationem suam deserere non potest. Bonum enim commune animarum, civitatis, & exercitus præponderat vitæ alicujus privati.

II.) Si legis positivæ etiam humanæ transgresio cessura videtur *in contemptum* ipsius legis, & Legislatoris, vel *in detrimentum Fidei* & Religionis Christianæ: quia tali casu legis transgresio intrinsece mala & vetita est jure natur., potestatis publicæ & Religionis commune bonum cuivis privato præferendum dictante.

Demum III.) Quando divina lege aliquid institutum vel præceptum est tanquam *medium* simpliciter *necessarium* ad salutem: ut in nova lege in peccato Originali conceptis

*Ba-*

*Baptismi*, & in actuale ac letale relapsis *Pænitentiæ* Sacramenta, cum sine his *in re aut voto* susceptis justificari non possint. Unde ad eorum susceptionem in Adamo lapsi, & postea relapsi obligantur jure nat., ad usum mediorum ad æternam salutem consequendam *simpliciter necessariorum*, quemlibet adstringente. Neque audiendi sunt Protestantium Naturalistæ, qui imperite & perniciose abstrahunt ab hac obligatione in sua naturali Jurisprudentia, conscripta pro illo tempore & statu, quando homo permansisset in sua originali innocentia, aut nunquam fuisset elevatus ad beatitudinem supernaturalem.

394. *Quarto.*) a legis *etiam humanæ* observatione necessitas *moralis communis* subditos quod *regulariter* non excuset, communior Doctorum sententia est. Si enim illa excusaret, propter casuum quotidie occurrentium frequentiam legales observationes summo boni publici detrimento & perturbatione facile eluderentur. Hinc in *l. palam* 43. §. 5. *ff. de ritu nupt.* generaliter dicitur: *necessitas peccare non permittit*. Quæ juris civilis dispositio, cum in lege naturali fundetur, illa non modo de jure naturali absolute aliquid *prohibente*: sed etiam de lege humana, tanto magis Divina, præsertim in circumstantiis *communis necessitatis*, intelligenda est, quod scilicet materia peccati nunquam cesset propter necessitatem *moralem* communem: hæc proin nec *a formali* peccato excusat, nisi forte aliæ circumstantiæ *per accidens* adfuerint, quales sunt: defectus considerationis: actus imperfectio: error invincibilis: ignorantia culpa theologica vacans &c.

In universum autem loquendo, bene notandum suadent *Silvester* v. *necessitas* Sanch. *l.* 3. *de Matrim. d.* 10. *n.* 23. & alii, cum necessitas *saltem* non extrema in *externo foro* a legis obligatione non excuset, ad Superiores recurrendum esse; & actionem lege præceptam omittendi, vel prohibitam ponendi, licentiam peti debere, ut legis temere violatæ suspicio vitetur, imo ut etiam securius in conscientia procedi posit: alioqui amor proprius prætextu necessitatis alicujus facile nobis transgressionem legum hujusmodi persuaderet. Ob hanc rationem, si v.g. ingruat necessitas, ut Parochiani die Dominica exerceant longiore tempore opus servile, proponant id suo Parocho, qui judicabit, sit ne talis necessitas, propter quam permitti possit labor servilis, vel non.

395.

395. Contra necessitatem *valde gravem*, seu *urgentem*, & *quasi extremam* hic *n.* 387.) assertam opponi posset: divisionem hanc non esse admittendam utpote novam, & contra communem aliorum opinionem; qui nonnisi extremam, gravem, & communem necessitatem admittunt. Illamque reprobare videtur *C. si quis, de furt.* ubi dicitur: *Si quis propter necessitatem famis, aut nuditatis furatus fuerit cibaria, vestem, vel pecus, PÆNITEAT hebdomadas tres*: Igitur Jus sacrum supponit legem naturalem non desinere obligare extra omnem *ac solam extremam* necessitatem.

Sed contra est I.) quod ibi sermo sit de necessitate præcise *gravi*, vel *communi*, non vero de *urgente*, aut *quasi extrema*, seu *valde gravi*: Ita respondente Glossa ad *cit. c.* & D. Th. 2.2.9.66. *a.* 7. *ad* 1. dicente: *Decretalis illa loquitur in casu, quo non erat URGENS necessitas*. Et ibidem *in* O. ait Doctor angelicus: *Si tamen adeo sit evidens & urgens necessitas, ut manifestum sit instanti necessitati de rebus occurrentibus esse subveniendum (puta, cum imminet personæ periculum & aliter subveniri non potest) tunc licite potest aliquis ex rebus alienis suæ necessitati subvenire, sive manifeste sive occulte sublatis, nec hoc proprie habet rationem furti vel rapinæ*. Jam autem Less. *l. c.* advertit *capitulum* illud non esse ex Decretalibus Pontificum: sed ex Pænitentiali *Theodori*.

Demum contra est II.) Quod fortasse *cit. cap.* loquatur de iis, qui *indebito modo* suæ necessitati consuluerunt, surripiendo clanculum, cum facile potuissent obtinere, si suam necessitatem aperuissent, de qua apertionis & petitionis obligatione pluribus infra differemus. Alioqui aperiretur via publicæ perturbationi, læsioni caritatis, imo etiam injustis rapinis, si quisque extreme vel quasi extreme indigens, sine ulla limitatione posset pro arbitrio surripere tunc etiam, quando rogando, vel aliter indigentiam suam aperiendo, obtinere potest, aut sperat.

Hinc etiam satisfit Propositioni 36. ab Innoc. XI, proscriptæ: in his terminis: *Permissum est furari, non solum in extrema necessitate: sed etiam in gravi*. Hæc enim propositio admittebat licentiam aliena invito domino contrectandi, etiam in præcise *gravi necessitate*, licet illa neque extrema, nec quasi extrema foret, & in hoc *solo sensu* damnata est: non vero etiam in sensu D. Thomæ, Lessii & aliorum supra laudatorum, quando scilicet *valde gravis*, ac *urgens* necessitas

extre-

*extremæ æquiparatur*, & quando ita indigens non transgreditur debitum modum, *rogando prius* &c. tunc enim non est furtum, ut jam innuimus pluribus de his acturi *a n.* 398.

## §. III.

*Quis possit allegare jus necessitatis, aut opponere exceptionem impossibilitatis?*

396. EX iis quæ jam adduximus, facile colligi potest I.) Jus necessitatis non posse allegari ab eo, qui sponte se in eam conjecit, v. gr. substantiam suam ebrietate, ludo vetito, aut aliter dilapidando. Is enim non ideo acquisivit jus *gravi* necessitate quacunque præter *extremam* pressus aliena contrectandi: sed nihil obstante suo statu quo excidere deberet, tenetur labore sibi conveniente vitæ necessaria mereri, sibi ipsi imputando versam fortunæ suæ aleam: præsertim cum neque aliis, qui sine sua culpa ad gravem *necessitatem* delapsi sunt, occulta contrectatio rei alienæ ullo modo permissa a jure naturæ sit. Hinc receptum axioma dicit: *Necessitati sponte* (puta: culpabili eventu) *se injicienti non succurritur*, declarante id etiam *l. Si Fidejussor* 7. *§. si necessaria* 1. *ff. qui satisdar. cog.*

*Ratio* est, quia necessitas *voluntaria* si prævideri potuit, non meretur aliquod privilegium, *l. si quis* 3. *§. 6. ff.* de *SCTO Syllan.* alioqui juris nat. privilegia prædictis casibus foverent hominum licentiam & luxum. Si tamen voluntarius dilapidator hic *in extremam* necessitatem delabatur, in eaque constitutus fame emori deberet: quantum ratio vitæ hic & nunc sustentandæ exigit, posset adhuc uti *jure necessitatis*, nil obstante prævisione extremæ inopiæ suæ. Quia cum vitæ suæ non sit dominus, respectu hujus amittendæ voluntas illa dilapidationis, ac prævisio mali cum animo se conjiciendi in *extremam* miseriam, utpote iniqua, non potuit ei jus prædictum vitæ conservandæ abjudicare, licet pæna gravi dignum constituerit.

Et sicut eo casu, quo aliquis consensisset in vitam sibimet ipsi adimendam, adhuc jus vitæ non amitteret: sed eam conservare teneretur, revocando iniquum consensum priorem; ita censendum est pro casu illo. Ac proin legis nat. violatæ rei sunt illi divites, qui ad incitas & *extremam* necessitatem delapsis voluntariis fortunarum suarum decoctori-

ctoribus conveniente sustentatione succurrere nolunt, pariter ac rei forent, si eum nollent laqueo exsolvere, qui se voluntarie e trabe suspendit, & nondum extinctus est.

397. Colligi etiam potest II.) Quod sicut *impossibilitas*, ita & *necessitas* privata non excuset a lege, præsertim *irritante*, ac regulæ illæ: *necessitas non habet legem*: *quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum*, cum aliis similibus, id solum probant, quod *aliquando* eximamur a lege præcipiente vel prohibente, ita ut quis contra eam necessitate, vel impossibilitate *privata* constrictus *non peccet*, juxta superius exposita; non tamen quidpiam probant contra leges quascunque etiam humanas *irritantes*, & præscribentes certam formam substantialem actui.

Hinc quod v. gr. in toto Circulo Suevico absolute non possis reperire feminam, quam commode ducas in uxorem, non ideo consanguineam tuam, in gradu, etiam sola humana lege prohibito, duces valide. Idem est, si ob impossibilitatem habendi 7. testes idoneos, cogaris in Imperio Rom. condere testamentum *profanum* sine ullo teste, aut cum uno solo &c. vel si contrahas matrimonium *clandestine* in loco recepti Concilii Tridentini, eo quod Parochum proprium, vel præter hunc, duos testes non possis habere &c.

*Ratio* horum est, quia necessitas, vel impossibilitas *privata* unius aut plurium non supplet defectum conditionis substantialis, nec habilitat personas, quas lex inhabiles reddit ad aliter celebrandum actum. Multo minus ullum jus attendit ad necessitatem, impossibilitatem, vel errorem *privatum* alicujus personæ, volentis actum validum exercere sine debita forma: sed potius Jura habent rationem nonnisi *publicæ* necessitatis, *impossibilitatis*, aut *erroris* toti communitati, vel Reipublicæ, aut majori ejus parti communis ac *invincibilis*. Alioqui vilesceret & inefficax redderetur potestas legislativa *irritans* aliquos actus non secundum formam debitam exercitos, si ob uniuscujusque *privatam necessitatem*, vel *impossibilitatem* dispositiones suas revocare & eos validos agnoscere cogeretur, uti patet ex instantia de Judice *putatitio*: de *adoptione* non sollemni, & aliis supra adductis *a n.* 161.

§. IV.

## §. IV.

### *Utrum extrema necessitas inducat communionem bonorum?*

398. JUs civitatis jam obtinuit apud omnes receptum axioma: *In extrema necessitate omnia sunt communia*, quod etiam satis colligitur ex *Can. sicut* 11. 8. *d.* 47. juxta quem si casus necessitatis eveniat, tunc primæva redit bonorum communio; Imo & in *Can. Discipulos* 26. *& seq. de consecr. d.* 5. juris naturalis allegatur regula, quod casus necessitatis nullo vinculo cohiberi, nulla lege contineri possit. Verum quis rectus brocardici illius sit sensus, non satis convenit inter Naturalistas.

Dubium autem in eo vertitur: *an* scilicet *extrema necessitas transferat dominium rei* in indigentem & accipientem, an vero *tantum usum ipsius* tribuat illi, ita ut licite quidem possit occupare, sibique vindicare rem *extreme* necessariam; transeunte tamen necessitate teneatur ad restitutionem, vel compensationem, saltem ubi ad pinguiorem fortunam venerit? Hæc ut resolvantur, separanda sunt certa a controversis. Et quidem

399. Certum est I.) Eum, qui in *extrema* necessitate versatur non posse alienum usurpare, nisi prius petierit juvari, quando commode potest, exposita sua miseria, vel nisi *certo* sibi persuadeat ex ratione gravi, se nihil obtenturum precibus. Si enim prudens spes adsit posse eum convenienter modo petendo obtinere rem ut sit sua, aut aliunde inopiæ succurri; non videtur redactus ad eam necessitatem, ut cogatur surripere alienum. Id enim tunc demum jure nat. & Gentium conceditur, quando *nulla prorsus alia via* succurrendi necessitati datur. Hinc si ille aliter facit, contra debitum ordinem facit. Nemo enim potest vivere licite ex alieno, si potest ex proprio, efficiendo ut res aliena fiat sua per donationem, vel alio modo.

Sunt tamen qui dicant, ordinis hujus transgressionem non constituere grave delictum contra jus nat. modo scandalum absit. Quia sive dominus rei concedat, sive non concedat, poterit extreme indigens accipere, est enim duntaxat inordinatio *quo ad modum*. Non tamen placet nobis hæc illimitata resolutio, eo quod videatur laxare fræna cupiditati

tati humanæ: cum forte non pauci essent, qui sibi blandiendo de suo necessitatis jure, omissis aliis sustentationem obtinendi mediis, eligerent surreptionem, quod vergeret in magnum societatis humanæ detrimentum. Illa igitur addicta resolutio eo casu potest locum habere, quando urgente extrema, vel quasi extrema necessitate, *nulla* adesset *spes prudens* rem precibus vel aliter, domino non invito obtinendi, aut rationabiles circumstantiæ non sinerent rogare, & urgeret instans indigentia nullo modo alio superabilis, citra vitæ, aut huic æquivaleas periculum.

400. Est quoque II.) concors opinio, quemvis *in extrema* necessitate constitutum posse accipere rem alienam, qua extreme indiget ad vitæ suæ conservationem. Quia in extrema necessitate *omnia sunt communia*, sive cum plena translatione dominii, sive quo ad solum usum communio hæc fuerit, ut infra decidemus. Cujus *ratio est*; quia finis rerum terrenarum est, ut hominibus in necessitatem sint subsidio, & ut possint per illas vitam suam conservare, ac proin omnibus a natura jus hoc competit. Neque *divisio* jure Gentium introducta potuit id jus adimere: Nam jus Gentium non potest evertere jus nat. præsertim tantopere necessarium ad vitæ conservationem. Censetur itaque divisio esse facta *reservato cuique jure naturali*, quatenus erat necessarium ad vitam sustentandam: secus non esset prudenter facta.

401. Quod autem III.) In *gravi* necessitate aut *communi* non sit permissa occulta surreptio rei alienæ, patet jam ex præcedentibus. Verum de necessitate *valde gravi, urgente*, seu *quasi extrema* anceps est apud DD. opinio, nonnullis negantibus surreptionem licitam, eo quod putent *soli extremæ* hoc jus a natura fuisse indultum; multis tamen affirmantibus cum *Martino Navarr.* cap. 17. n. 5. *Angelo* v. Furtum §. 24. *Silvestr.* imo ipsomet *D. Th.* ac aliis hic *a nu.* 387.) laudatis. Qui in *valde gravi* necessitate morbi, famis, nuditatis censent posse te clam surripere divitibus, si illi alias *rogati nolint succurrere*, & aliter *valde grave* illud malum avertere nequeas.

Sententia hæc saltem si non *ita late* de rebus etiam pretiosis, notabili pecuniæ quantitate, aliisque similibus procedat: sed ad sola v. g. *esculenta*, potum, vestitum parvi pretii, operiendæ hic & nunc nuditati aut frigori arcendo necessarium aliaque id genus restringatur, non videtur prorsus natu-

naturali æquitati dissentanea. Quia *valde gravis* seu quasi extrema necessitas est via & *proxima dispositio* ad extremam, ex illa enim in hanc immediate fit lapsus, nimis vero *grave*, imo sero jam ac *inutile* foret famelico expectare usque dum in extremam indigentiam lapsus se *morti proximum* esse intelligat; tunc enim potius de æterna vita animæ, quam temporanea corporis cogitandum sibi est, nec vires etiam ad rogandum, vel surripiendum panem tunc suppetunt, nec appetitus, ut eo vescatur. Cum ergo a natura omnibus concessa sit potestas succurrendi *extremæ* necessitati ex rebus humanis; ita & *quasi extremæ*: non minus enim hæc ac illa proxime inimica est conservationi vitæ.

Demum sicut divisio rerum non potuit efficere, quin extrema necessitate pressus haberes jus surripiendi ab iis, *qui non sunt in simili necessitate*, nempe habent *superflua naturæ*, seu vitæ sustentandæ, quamvis essent aliquomodo *necessaria statui*, ita neque potuit efficere, quin liceat surripere superflua, vel parum necessaria alterius statui (eaque saltem non magni pretii, uti sunt *panes*, *vestimentum attritum* & similia superius explicata) quando *quasi extrema* premit necessitas, & aliud remedium non suppetit. In divisione igitur & attributione rerum, debuit hæc conditio *tacita* intelligi: *Nisi extrema vel valde gravis, seu quasi extrema necessitas aliud postulet*, alioqui contra æquitatem facta esset.

402. Neque urget contraria ratio *Soti* & aliorum, quod in *quasi extreme gravi* necessitate constitutus nequeat ad dandum cogere: igitur neque surripere, etiam de rebus minoris pretii, ut sunt panes &c. quia nemo potest cogi ad id, ad quod non tenetur *ex justitia*, prout ita non tenetur dives in casu proposito *solius quasi extremæ* necessitatis.

Contra enim est, quod hæc ratio velit probare ne quidem *in extrema* necessitate indigentem posse surripere, quia dives non tenetur *ex justitia* juxta *Sotum* & alios: sed solum ex caritate. Falsa igitur est prima illa propositio cum sua probatione. Potest enim dives cogi per legitimam potestatem ad succurrendum pauperi, etiam *quasi extrema* tantum necessitate presso, & si hunc volentem occupare rem sibi necessariam, panem v. g. vel attritum vestimentum, conetur impedire, potest se tueri, si scandalum absit.

Non stringit etiam probatio adducta; ad multa enim cogi possumus, ad quæ ex justitia commutativa non obli-

gamur, veluti ad non blaſphemandum, non apoſtatandum a fide, ebrietati non indulgendum, imo & ad dandam eleemoſynam. Satis quippe eſt nos obligari ex alicujus *virtutis præcepto*, & neceſſarium eſſe, vel expedire talia opera *ad bonum publicum* ſocietatis humanæ. Alia quæ opponi poſſunt ſoluta ſunt *a n.* 395.) Sequens autem deciſio confirmabit, & ſecuram reddet aſſertam hic opinionem, per ea, quæ mox ſtatuemus.

## §. V.

*An autem extrema, vel quaſi extrema neceſsitas ita plene tranſtulerit rei ſurreptæ dominium in ſurripientem, quin ad pinguiorem fortunam veniens ad ejus reſtitutionem, vel æſtimationem teneatur?*

403. Affirmant permulti, imo teſte Martin. *Navarr.* cap. 17. nu. *61.* hæc fuit communis opinio Recentiorum ſui temporis, juxta quam ille, qui prædicta neceſsitate preſsus rem alienam v. g. depoſitam; inſcio domino in ſuum convertit uſum, ad nihil prorſus obligatur. Ratio hujus *primæ* opinionis eſt I.) Quia ſi in primæva bonorum communione rem hujuſmodi in ſuos uſus verſam conſumpſiſset, ob communionem bonorum ad nihil cuipiam obligaretur: Atqui in prædicta neceſsitate rediit primæva bonorum communio. II.) Non tenetur *ratione rei*, quia hæc conſumpta eſt, & jam non extat. III.) Neque *ratione injuſtæ acceptionis*, ſeu læſi juris alieni, cum eam jure ſuo abſque omni peccato acceperit. IV.) Neque *ex contractu*, quia hic nullus intercesſit. Vel ſi forte fuerit contractus commodati, depoſiti, precarii, aut conducti, iſti non obligant re pereunte, niſi culpa ejus perierit: Porro in caſu allegatæ neceſsitatis periit abſque omni etiam *juridica* culpa. Quæ opinio colligitur etiam ex *Silveſtro* v. Reſtitutio 5. nu. 2. *Petro Navarra* l. 4. c. 4. a n. 24. & multis aliis.

404. Altera priori huic directe contraria eſt, docens, etiam *in extrema* neceſsitate ſurripientem *aliquid ſibi neceſſarium* teneri poſtea reſtituere, ſeu compenſare, ubi *ditior factus* fuerit; ſive interim dum ſurripiebat, fuerit re, vel ſpe dives, ſive non. Ac proin *ſolum uſum rei*, non item dominium etiam *directum* tranſtulit in eum *extrema neceſsitas*. Verum hæc opinio propter ſuum *generalem* loquendi modum,

dum, non videtur subsistere. Quis enim credat hominem v. g. Mendicum, qui in extrema necessitate diviti surripuit panem, aut vestimentum vilis pretii ad nuditatem contra frigus protegendam necessarium, eoque iam usu consumpto, teneri adhuc ad compensationem, ubi ditior factus fuerit, præsertim si ille dum accipiebat, *re & spe*, seu proxima facultate pauper erat? Cibaria enim & vestimenta hujusmodi, praxi omnium etiam minus moratarum Gentium attestante, non solent pauperibus sub onere restitutionis dari: sed absolute. Imo ridiculus foret dives, si a paupere pro aliquot panibus, vel attrita veste talem obligationem exigeret. Ex his itaque duabus

405. Veriorem censemus *tertiam*, eamque *mediam* sententiam, quæ tradit: Si res quam *in extrema*, *vel* quasi extrema necessitate consumpsisti, sit *magni* pretii, nec præsumatur donata, te semper ad restitutionem teneri, quando commode poteris. Atque hoc casu, pariter ac si res extaret in natura sua, extrema necessitas quo ad *solum usum*, non item etiam quo *ad proprietatem* inducit primævam bonorum communionem. Secus fit circa res minoris pretii, ut sunt aliqua cibaria, indumentum vile &c. Ita *Adrian.* in 4. tr. de restit. §. quia dictum. *Mart. Navarr.* cit. c. 17. nu. 61. & 62. *Tolet.* l. 5. c. 24.

*Ratio* primæ partis est I.) Quia jure nat. spectato proximus tuus rei suæ dominus, vitæ superflua habens, vi sui officii tibi debiti ad plus non obligabatur, quam ut extrema vel quasi tali necessitate laboranti succurreret, quo vitam conservares & periculum proximum evaderes, sine ejus notabili saltem incommodo; prout jam illud evasisti usu rei ipsius adjutus. Neque enim tenebatur rem illam tibi extreme necessariam donare, vel dare, nisi quatenus opus est, ut consuleret præsenti indigentiæ. Atqui ad hoc sufficiebat, ut rem eam tibi venderet, vel mutuaret, commodaret, cum obligatione restituendi, ubi ad pinguiorem fortunam veneris. Si igitur ille non tenebatur rei pretiosæ *proprietatem* in te transmittere, & absolute donare, hæc tibi non fuit jure natur. debita: sed *solus usus*; hunc ergo ditior factus compensare nullo modo obligaris, bene vero illam.

406. Dein II.) Si ad vitam hic & nunc tuendam alienum gladium surripias, nequis eum titulo extremæ necessitatis tuum facere: sed superato periculo teneris domino

restituere, *usu solo* contentus: Hoc ipsum fit in reliquis hujusmodi casibus.

Nec obstat, quod gladius hic extet post superatum periculum, non extet autem v. g. *multorum millium* pecunia aliena ob extremam necessitatem surrepta, & jam *bona fide* consumpta. Nam hæc etiam extat in suo *æquivalente*, cum jam sis ditior tactus, tua vero bona fides te quidem præservavit ab omni culpa in surripiendo, & consumendo, non tamen absolvit ab onere restitutionis, vel compensationis. Sicut fortiori ratione patet in mutuo, cujus licet acquiras dominium, & res mutuata jam in specie non extet, tamen teneris restituere ex *genere*, cum genus *nunquam absumatur, nec pereat*, tanto magis igitur in casu proposito.

407. Quodsi petas, quo jure tenearis restituere rem illam, siquidem non extat, & non intercessit contractus, quo te ad id obligares; neque ullum delictum? Resp. Teneri te ratione *tacita* obligationis *jure Gentium* introductæ, qua quis rem alterius in necessitate consumens, se *tacite* obligat ad solvendum, quando suppetet copia. Et reducitur obligatio hæc ad contractum *innominatum* in jure naturali hypothetico fundatum. Etsi enim *divisio rerum* non potuerit impedire *usum rei* alienæ tibi necessariæ; fecit tamen, ut tenearis ad restitutionem, quando commode poteris. Æquitati enim naturali consentaneum est, ut consulatur tuæ extremæ indigentiæ absque notabili alterius damno. Secus: si exercitus extrema inopia laborans absumeret bona multorum agricolarum, viduarum, aliarumve personarum neque hostilium, nec bello implicatarum, non teneretur ad restitutionem: quod plane absurdum est.

408. Sententia hæc naturali ratione evicta firmatur nedum juris civilis Romani dispositione: sed etiam Gentium praxi. Ita enim quando ex causa necessitatis extremæ, vel utilitatis publicæ uni vel alteri de communitate jus quæsitum ademptum est, illud proportionata contributione ab omnibus de communitate resarciri debet, *l.* 1. *&* 2. *ff. ad legem Rhod. de jactu*. Quia æquitas nat. postulat, ut qui ex bonis alienis *utilitatem*, alioquin in tali casu *sibi debitam expertus est*, onus quoque proportionatum sentiat, *l. secundum naturam* 10. *ff. de R. J.* quæ dispositio esset injusta, si verum foret, quod *extrema* necessitas *absolute* transferat rei occupatæ dominium.

409.

409. Momenta prioris sententiæ *n.* 403.) allata in rebus tantum *minoris*, non item *magni* etiam pretii locum habent, juxta jam exposita, ac proin: Ad I.) Resp. Concedo, quod si in primæva bonorum communione rem hujusmodi consumpsisset ad nihil cuipiam teneretur, quia illa tunc *sub nullius singulari* fuit *dominio* absoluto; neque res illa fuerat ulla prorsus saltem *tacita* conditione affecta, qualis reperitur nunc post divisionem rerum.

Sicut igitur status naturæ *primævus* mutatus est hodie in *adventitium*, & hic ipse magna sui parte in *hypotheticum*, ita primæva bonorum communio in casu necessitatis non est *adæquate* eadem, cui nunc sufficit *usus* pretiosorum. Argumentum quoque hoc nimium probat, nam in primæva bonorum communione rem hujusmodi, etiam extra extremam, *in sola communi* necessitate accipiens & consumens, ad nihil teneretur, quod tamen hodie nefas est asserere.

Ad II.) & reliqua momenta prioris sententiæ liquet responsio ex probationibus nostris, ubi deductum est, quod extrema necessitas jus non tribuat ad amplius, quam opus sit ut periculo te eripias, ad id solum obligabatur proximus, & ad id tantum jus nat. tibi competit. Confer hæc cum dicendis infra *a n.* 533.

## ARTICULUS III.

### *De jure necessitatis* in specie *circa defensionem sui ipsius, & rerum suarum.*

### SUMMARIUM.

410. *An jus nat. obliget ad se suaque defendenda? Refertur opinio affirmans.*

411. *Eaque refellitur. Defensio regulariter permissa est, raro tamen præcepta.*

412. *Refutatur* Grotius *putans res nostras non esse defendendas.*

413. *Probatur defensionem occisivam, ut plurimum non esse præceptam.*

414. *Sola* directa *sui occisio est prohibita.*

415. *An jus natur.* obliget *quandoque ad se non defendendum contra injustum aggressorem? Adducitur sententia* negans.

## §. I.

### *An jus naturæ obliget ad se, suaque defendenda?*

410. SUnt qui cum Abulensi, & anonymo Auctore *de princip. justi & decori f. m.* 33. putent, *sui* saltem *ipsius* defensionem, etiam *occisivam* esse jure nat. *absolute præceptam*, & quidem his motivis persuasi. I.) Vita nostra est societati humanæ necessaria, juxta illud Senecæ Phænissis: *Vitam tibi ipsi si negas: multis negas.*

II.) Auctor naturæ homini in ordine ad sui conservationem dedit manus lædendis aliis, & propugnandis nobis habiles, doloris sensum, ardorem vindictæ, arma quibus utamur, dicente Arist. *de part. animal. c.* 10. circa med. *Homini manus pro hasta est, pro armis quibuslibet*. Et clarius Cic. l. 3. de Offic. *Hoc & ratio doctis, & necessitas barbaris, & mos Gentibus, & feris natura ipsa præscripsit, ut omnem semper vim, quacunque ope possent, a corpore, a capite, & vita sua propulsarent.* Hæc autem omnia indicant DEI voluntatem per lumen nat. promulgatam, quæ nos obligat ad resistendum adversario, alioqui inutiliter vires illæ nobis concessæ forent.

III.) Si mihi commodato acceptum asinum quis eripere velit, teneor defendere, quantum possum, ne is ad quem dominium directum asini spectat, detrimentum in re sua, ob omissam per me defensionem ejus, patiatur: potiori igitur jure teneor defendere vitam cujus dominium penes Creatorem est, penes me solus usus. IV.) Si vitam non defendo quantum possum, *defensione* etiam *occisiva*, perinde reus sum, ac si mihi ipsi violentas manus injecissem.

411. Hæc tamen opinio præter speciosa verba nihil solidi habet, Fatemur enim, in quibusdam casibus, & sub certis conditionibus *inculpatæ tutelæ*, jure natur. concessam

qui-

quidem esse justam sui ipsius, rerumque suarum defensionem, etiam *occisivam*, prout nemo prudenter unquam negavit. Liquet enim tum ex omnium etiam Ethnicorum naturali judicio, tum ex Jurium positivorum dispositione, quæ naturalem legem ejusque privilegia homini concessa interpretantur, ac dicitur in *l. ut vim 3. ff. de J. & J.* scilicet; *quod quisque ob tutelam corporis fecerit, jure fecisse existimetur.* Cujus rationem affert Gajus in *l. itaque 4. ff. ad leg. Aquil.* dicens: *Adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere.*

Defensio enim hæc exigitur ab amore sui *recte ordinato*, præsertim cum nemo sit vitæ suæ dominus, de qua pro arbitrio suo disponere possit: sed merus *usuarius*, dicente Cicerone *l. 1.* de offic. *Generi animantium omni est a natura tributum, ut se, vitam, corpusque tueantur, declinentque quæ nocitura videntur.* Imo admittitur etiam jus ejusmodi circa tuitionem rerum ad vitam nostram necessariarum. Quia eadem ratione, qua licitum est *aliquando* occidere invasorem vitæ, licitum quoque regulariter est occidere invasorem eorum, quæ sunt necessaria ad vitam conservandam. Et alias foveretur audacia nefariorum hominum in furando, nihilque foret securum in societate humana ab hujusmodi harpyarum libidine, bella quoque nunquam darentur justa in recuperandis bonis inique ereptis.

412. Ob has aliasque rationes non placet *Hug. Grotii* excentrica opinio, qua ille *l. 2. de J. B. & P. c. 1. n. 13.* ex illis S. Evangelii verbis: *dimitte ei & pallium*, asserit ac infert, res nostras *non esse contra latrones defendendas*, utpote naturali & Divino jure resistente huic tutelæ. Auctor enim hic *primo* non videtur sibi ipsi constare, qui in sua lucubratione prædicta de *Jure Belli* innumera privilegia a jure naturæ concessa Belligerantibus asseruit, ut res suas & Provincias amissas recuperent: illas tamen contra latrones defendere & defendi vetat. *Secundo*. Non videtur percepisse diversam esse indolem *consilii* Evangelici aut naturalis, ab indole *præcepti* & legis prohibentis: Porro *injusto aggressori* tunicam auferenti, ut *dimittamus etiam pallium*, meri esse consilii, vere eruditi Viri minime hactenus dubitarunt.

Et quamvis **Martin. Lutherus** in sua *propositione* 34. docuerit: *Præliari adversus Turcas, est repugnare DEO visitanti iniquitates nostras per illos*, eam tamen cum aliis 40. simili-

bus Novatoris hujus ineptiis tanquam sanæ menti & veritati difformem recte damnavit *Leo X*. per Bullam: *Exurge Domine*, an. 1520. emanatam. Ex nullo igitur capite naturalem vel divinam positivam obligationem *Grotius* cum suis sequacibus probare potest, persuadereque, ut quis iniquo latroni teneatur dare *etiam pallium* potiusquam se contra eum *citra inculpatæ tutelæ moderamen* defendere. Ac proin frustra & minus consequenter idem Auctor *loc. cit.* laxitatis damnat Catholicos Theologos *Sotum*, *Silveiram*, *Lessium* aliosque, cum communissima & absolute certa vere Eruditorum sententia contrarium docentes, ac loquentes de defensione rerum *magni pretii*.

413. Quemadmodum autem ea, quæ huc usque adduximus, vera sunt, & homini competit jus defensionis *alicujus* in certis casibus, quo mediante vitam & res suas licite tueri possit: ita certum est, *regulariter* in plerisque circumstantiis nullam adesse obligationem se suaque defendendi, defensione præsertim *occisiva* injusti aggressoris, prout id declarat etiam jus positivum *lib. 1. C. quando liceat unicuique sine Judice se vindic.* ubi dicit: *libera resistendi tribuitur facultas* per legem naturalem: si igitur *in plerisque casibus* jure naturæ *tribuitur libera facultas*, non ideo imponitur præceptum *semper* ad defensionem occisivam obligans, quin privilegio suo renunciare aliquis citra *præjudicium tertii* possit, dicente Quintiliano declamation. 7. *Omnium beneficiorum ista natura est: ut non sit necessitas; sed potestas. Quidquid in honorem alicujus inventum est, desinit privilegium vocari posse, si cogas. Cuncta, si videtur, jura percurrite, nusquam adeo pro nobis solicita lex est, ut quod præstat* (id est, quod permittit) *extorqueat*.

Ratio horum est I.) Quia licet homo jure nat. *obligetur* ad officia aliqua sibi ipsi exhibenda, consequenter etiam ad amorem bene ordinatum; non tamen obligatur ad vitam præponendam virtuti, quam exercet eo casu, dum ille *qua privatus* vitam propriam *occisiva* defensione non defendit contra injustum invasorem, ex cujus occisione alii v. gr. longe majora damna perpeti deberent. Nam ut ait *Seneca* Epist. 74. *Virtus est summum bonum, ad quam nos etiam per calcatam vitam contendere oportet.*

II.) Tenemur quidem vitam conservare per *media licita*: sed non adeo *difficilia* & *extraordinaria*, qualis est occisio. Ita quippe vitæ retinendæ causa, homo etiam alioqui di-

ves

ves infirmitate corporis pressus, saltem si non sit *valde necessarius Reipublicæ*, minime obligatur famosissimum Medicum Parisiis vel ex Chinensi Regno *Dilingam* conducere, licet impensis pari fortuna polleat, & certus sit illum suo morbo mederi posse: Satisfacit tamen naturali obligationi, si adhibeat *media ordinaria* valetudini curandæ, ab aliis hujus conditionis hominibus adhiberi solita: Porro longe difficilior est *defensio occisiva*, cum ex illa spirituale occisi, vel temporale Reipublicæ, aut aliorum damnum, imo plerumque ipsusmet occisoris sequi soleat. Nec refert, quod forte aggressionem passus non sit *in bono animæ statu*: non enim inde sequitur, quod *teneatur* ex præcepto naturali occidere aggressorem: alioqui miles in *malo animæ statu* constitutus obligaretur turpiter fugere ex acie, ut saluti animæ suæ consulat, quod lepidum omnino est. Potius ergo tali casu obligatur *interne* conteri, & cum DEO per sinceram pœnitentiam internam (cum alterius exercendæ copia non suppetat) reconciliari. DEI autem Misericordia sicut nunquam eam sincere invocantibus deest, ita in his circumstantiis præsto aderit, dum quis *ex virtute* ex rationabili causa se potius sinat occidi, quam ut aggressorem injustum occidat, qui ob actuale injustæ aggressionis delictum evidenti damnationis periculo expositus est, si in eo occidatur.

Demum III.) Admisso naturali præcepto vitam & res suas *semper* defendendi, sequeretur *Curtium* Romanum pro salute civium: imo tot Martyres pro *vera* Religione non potuisse citra grave piaculum mortem oppetere, multo minus licitum esse bellum etiam alias justum: Hæc tamen surdo narratur fabula, quæ confutata legitur in *C. Dilecto 6. de sent. excom. in 6.* & in *l. furem, 9. ad leg. Cornel. de Sicar.* ac *l. 4. ff. ad leg. Aquil.* ubi sicut declaratur libera facultas defensionis servato ordine inculpatæ tutelæ, ita plena relinquitur libertas *ex rationabili causa* se mere *permissive* habendi: tunc, dum alias *aliter* defensio fieri non posset, nisi per occisionem invasoris: sufficit igitur defensionem hujusmodi esse tantum *concessam* jure nat. saltem si loquamur de persona *privata*, neque tali, ex cujus fuga aliave defensionis omissione gravia mala redundarent in Rempublicam, aut alios, quos ille defendere, & se *murum opponere* pro illis tenebatur, uti sunt milites, dum agunt in prælio justo &c.

414. Neque argumenta contraria plus evincunt, quam asse-

asseruimus, & liquet jam tam ex Ethnicorum naturali judicio, quam legum civilium & omnium Prudentum declaratione, quæ solam *directam* sui occisionem, non item *indirectam* etiam jure naturali prohibitam esse agnoscit. Consequenter omnes fere consentiunt, posse omitti defensionem etiam *licitam* sui ipsius, si hæc cedat in *proximi commodum*, majusque *virtutis propriæ emolumentum*. Contrarium evenit in defensione *publica auctoritate* suscepta, aut si omissio ejus cederet in grave detrimentum Familiæ, Principis &c.

Nec refert, quod homo nequeat se *directe* occidere: Nam præceptum hoc est *negativum*, semper & pro semper obligans: contra vero præceptum conservandi vitam est *affirmativum*, non pro semper obligans, ac proin debet dari motivum honestum, ob quod conservatio hæc licite omittatur, eo autem habito cessabit positiva obligatio vitæ conservandæ.

§. II.

*An autem idem jus nat. obliget* aliquando *ad se non defendendum contra injustum aggressorem?*

415. CUm tristissimis eventibus conjuncta est, hinc merito rejicienda, multorum alioqui, & eorum præsertim, qui *rigidiorem*, seu *probabiliorem*, ut ajunt, moralem profiteri dicuntur, opinio, sine ulla exceptione cujusvis injusti aggressoris, docens absque omni respectu ad personam, *dignitatem*, *Majestatem*, *&* *mala quævis inde secutura*, licere eum a quolibet vita *hic & nunc* periclitante *impune occidi*. Ac proin nullum absolute dari *unquam* præceptum naturale, quo innocens se defensione *occisiva* tueri *aliquando* prohibeatur, contra aliquem iniquum invasorem, adeo: „ Ut etiam Clericis & Monachis id concessum sit, sicut „ & Laicis, idque contra quoscunque, etiam contra Superiores: ut Monacho contra Abbatem, filio contra parentem, servo contra dominum, Vasallo contra Principem, „ & in quocunque officio sit quis occupatus, ut si celebret „ & invadatur, possit se tueri & occidere invasorem, si necesse sit, *NB.* & postea Sacrum continuare. „ Prout ex suis Auctoribus fideliter refert *Less.* de J. & J. l. 2. c. 9. n. 41. inter alios citans *D. Antoninum* Ord. Præd. Archiep. Florent. 3. p. tit. 4. c. 3. edition. vet. *gothicis literis* evulgat.

QUÆ

QUÆ omnia concordant cum Sancti hujus Doctoris *Antonini* textu. Ille enim *loc. cit.* principio tertii cap. col. 2. lin. 1. ait: *Prædicta autem defensio modo prædicto licita est universaliter omnibus, non solum Laicis: sed etiam Clericis & Religiosis* &c. Ac ibidem paulo post dicit: *Item licita est prædicta defensio in omni loco, etiam in Ecclesia: Nec obstat quod Ecclesia pollui possit per sanguinis effusionem, quia magis ponderanda est hominis conservatio, cum sit irrestaurabilis, quam Ecclesia, quæ reconciliari potest &c.*

Dein subjungit ibidem: *Nullum peccatum fecit: nec irregularitatem incurrit*. Ac proin ait ulterius: *Et si se defendendo occiderit, potest* NB. *etiam reassumpto officio celebrare.* Demum *ib.* §. 1. enumerat omnes has personas, quas *ex Less.* adduximus, asserens: *Licitum est cuilibet se defendere modo prædicto contra quoscunque injuste invadentes. Unde etiam contra Superiorem suum* &c. *contra Judicem* &c. *Contra patrem: contra Abbatem: servo contra dominum: item Vasallo contra Principem ac dominum suum* &c. &c.

Hanc ipsam sententiam, cum eadem variarum personarum enumeratione, contra quas omnes, *nulla excepta*, se unusquisque defendere possit, reperire est apud *Silvest.* Rev. Magistr. S. Palat. *v. Bellum* 2. §. 5. n. 7. Et apud *Franc. de Victoria* Theologum in Relect. de homic. *n. 6. 16. & 17.* ubi ait, tale homicidium esse privilegiatum, & *non esse ex intentione occisoris* se defendentis, nec cadere sub theologicam considerationem.

Ejusdem opinionis est Dominicus *Bannes* in 2. 2. q. 64. a. 7. dub. 4. Et Cardinalis *Cajet. de Vio* in citata q. 64. a. 7. Ac præter Dominic. *Sotum*, qui nostram sententiam tuetur, innumeri alii e *sacra D. Dominici Familia* eruditissimi Theologi, cum ceteris *Thomistis* eidem inhærent opinioni, quam singulari energia recens stabilivit & auxit infra hic laudandus Clarifs. D. P. Frat. *Daniel Concina rigidioris* doctrinæ moralis acerrimus Propugnator.

Omnes autem hi aliique S. Dominicanæ Religionis Doctores, non minus eminente scientia, quam vitæ sanctitate & magnis in DEI Ecclesia meritis illustres Viri sequuntur hac in parte *D. Thomam* 2. 2. q. 64. a. 7. ( *juxta eorum interpretationem* ) absolute docentem: supposito moderamine inculpatæ tutelæ, licere *cuilibet quemlibet* injustum aggressorem *occidere* sui defendendi causa, cujus affert rationem S. Doctor *loc. cit.* quia *Actus hujusmodi ex hoc, quod* inten-

*intenditur conservatio propriæ vitæ, non habet rationem illiciti, cum hoc sit cuilibet naturale, quod se conservet in esse quantum potest.*

Et quamvis post eruditissimos *Thomistas*, opinionem hanc pleno agmine profiteantur etiam Jcti cum *Julio Claro*, de homicidio, a n. 30. *Fernand. Vasquio* Hispano, illustr. controv. l. 1. contr. 18. & aliis fundatis in *l. 1. §. vim vi, ff. de vi armat.* eamque tueantur ( *Hugone Grotio & Bocklero exceptis* ) omnes fere Protestantium Naturalistæ, cum *Hobb. Puffendorf. Thomass. Vveber. Heinec.* Elem. J. N. & G. l. 1. c. 7. §. 182. dicente: defensione *occisiva* licere *uti adversus omnes, per quos in periculum illud sine tua culpa adductus sis*, ita ut neque Reges, Principes, vel parentes excludantur, quoties hi injuste invadunt. Quia tamen adducta hic doctrina *nimis ample* procedit sine ulla personarum & eventuum distinctione, merito propter suam latitudinem, omnes *quoscunque* injustos aggressores occidere permittentem, rejicitur, huncque in modum a nobis limitatur.

416. Licet in plerisque casibus, secundum communem omnium eruditorum etiam Ethnicorum sententiam, & manifestam declarationem Jurium tam Civilis supra adducti, quam & Canonici *c. 1. de sent. excom. c. 2. de homic.* imo & Divini, Exod. 22. v. *si effringens fur domum*, permissum sit, servato moderamine inculpatæ tutelæ, occidere *quandoque* injustum invasorem: Id tamen non procedit eo casu, quando aggressor, qui dicitur injustus, est *Rex*, aut *Princeps*, aliave *Persona publica multum utilis, vel necessaria communi bono*: Aut si ex occisione ejus prævideatur, ac prævideri debeant *magna incommoda in Rempublicam*, vel *Familiam Regiam* invasoris hujusmodi, aut *Statum Regni*, sive in alias personas, vel Regiminis circumstantias eventura.

His igitur casibus subditus, aliusve quivis minus utilis, injustam aggressionem passus, si *fugere* non possit, jure naturali spectato *tenetur sinere se occidi* potius quam ut audeat occidere.

Ita e Soc. JESU Theologis *expresse* docent *Alphonsus Salmeron* Tom. 13. lib. 4. dissert. 5. super verba S. Pauli Ap. ad Rom. 13. *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Hanc ipsam doctrinam tradit *Cardin. Bellarminus* in Apolog. ad librum Jacobi magnæ Britanniæ Regis, c. 13. pag. 140. tom. 5. edition. Venetæ 1721. Ejusdem opinionis est *Cardin. Toletus* lib. 5. Instruct. Cap. 6. n. 16. & num. 25.

pro

pro hac sua doctrina citans Conc. Constantiense Sess. 15. Eadem defendit *Suarez* in Defensorio Fidei Catholicæ lib. 6. c. 4. probans contrariam sententiam ut hæreticam damnatam esse a Conc. Constant. Sess. 15.

His subscribunt alii ejusdem Soc. JESU Theologi, nempe *Gregorius Valentia* tom. 3. disp. 5. qu. 8. *Joann. Azor* tom. 2. lib. 11. c. 5. *Molina* de Just. & Jur. tom. 4. tract. 3. d. 6. *Lessius* de Just. & Jur. lib. 2. c. 9. dub. 4. n. 11. & dub. 8. n. 42. Horum Soc. JESU Theologorum verba ad calcem hujus quæstionis fideliter adducta legere cuique pronum erit in §. IV.

Jam vero præter Soc. JESU Doctores, alii eruditi Viri assertam a nobis doctrinam tradunt: *Anton. Genuensis* pract. Eccles. q. 618. n. 2. f. 457. *Sotus* de J. & J. l. 5. q. 1. a. 8. *Gerson* tr. de Eucharist. *Hugo Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 1. §. 9. *Bockler.* ad Grot. loc. cit. lib. 1. c. 4. §. 2.

Estque doctrina hæc conformis *Concil. Oecumen. Constant.* quod in *Sess.* 15. sequentem propositionem tanquam hæreticam damnavit: *Quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcunque vasallum suum, vel subditum, etiam per clanculares insidias, & subtiles blanditias vel adulationes, non obstante quocunque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo; non expectata sententia, vel mandato Judicis cujuscumque.* Videri autem hæc propositio potest *Tom.* 29. *Concil. Regiorum a f.* 600. & apud *Cardin. Tolet.* loc. cit. n. 17. apud *Less.* l. c. n. 10. Ac notandum est, quod cit. Concilium non solum damnet, *debere*: sed etiam *posse* occidere &c.

417. *Ratio* asserti est I.) Jure enim nat. spectato privata damna & commoda publicis cedere debent, ac propria temporalis vita subditi non est præferenda vitæ Regis, Principis vel Ducis Exercituum fortissimi, quo prostrato salus Reipublicæ detrimentum pateretur dicente *Cic.* l. 2. de Offic. *Omnibus bonis expedit salvam esse Rempublicam.*

Hanc ob causam experimur, pro incolumitate Regis, Principis, vel Civitatis privata bona, imo vitam ipsam a subditis periculo exponi, ut patet in Militibus, aliisque bene ordinatæ Reipublicæ membris. Id enim societas vitæ humanæ, & *amor* erga Civitatem *naturaliter debitus* exigit: Nil obstante, quod forte non ex *justitia rigorosa*, & proprie tali obligatio hæc proveniat. Jus enim natur. prout legem denotat, non ea tantum respicit, quæ sunt justitiæ com-

commutativæ: sed & ea, quæ sunt prudentiæ, caritatis, aliarumque virtutum, in debito naturali fundatarum, hæc quippe etiam lex nat. præcipit, & contraria prohibet, alioqui *blasphemia* non foret lege nat. prohibita, cum non sit contra justitiam commutativam.

II. ) Ex duobus, quæ vitari nequeunt malis minus eligendum est, cum autem in casu injustæ aggressionis per Principem potentissimum factæ duo sint inevitabilia mala, unius scilicet, qui aggressionem patitur, evidens vitæ periculum: & totius *Reipublicæ*, *Regiæ personæ*, & ejus *Familiæ*, vel multorum aliorum ex occisione ipsius consurgens grave malum; naturale lumen dictat, illud potius tanquam minus præ hoc altero eligendum esse.

Nam III. ) secundum juris ejusdem regulam, *melius est perire unum, quam multos*: & satius reliquum corpus, vel aliquod membrum exponere periculo, quam caput; Eleganter id declarante *Seneca* l.6. de Benef. c.37. *Callistratus & Rutilius, hic Athenis, ille Romæ reddi sibi penates suos noluerunt clade communi: Quia satius erat duos privato malo affici, quam omnes publico.* Hinc etiam *D.Th.* 2.2.q.31.c.3. ait: *Bonum multorum commune divinius est, quam bonum unius. Unde pro bono communi Reipublicæ vel spiritualis, vel temporalis virtuosum est etiam, quod aliquis propriam vitam exponat periculo.* Hoc enim casu jactura vitæ injustam aggressionem passi compensatur merito virtutis, quam hoc eventu exercet ille, qui moritur pro *Republica*, amore boni communis sinens se occidi a Rege vel Principe invasore.

IV. ) Ejusdem sententiæ est *Bocklerus* ad Grot. l.1. c.4. §.2. dicens, juri resistendi naturaliter hanc inesse exceptionem: *nisi resistendo violetur ordo socialis, seu potius ordo amoris proximo & Reipublicæ humanæ debiti, cujus primam rationem ac considerationem habet natura. Nisi enim hæc cautio accederet, societas ordinis necessarii & naturalis ratione non custodita, insociabilis fieret.* Hunc autem ordinem amoris Reipublicæ debiti violat, qui ob privatæ vitæ defensionem, Regem, vel Principem ejus prosternit.

Recte proin *Grot.* loc. cit. l.1.c.4.§.2. ait, quamvis naturaliter quidem omnes ad arcendam a se injuriam jus habeant resistendi: civili tamen societate ad tuendam tranquillitatem instituta, Civitati longe majus jus in nos & res nostras natum est, quatenus jus hujusmodi ad finem conservandæ Civitatis & publici boni necessarium est, atque ob

ob hanc rationem potest Civitas seu legitimus Magistratus *jus* illud *resistendi* a natura *concessum*, publici boni & ordinis causa restringere, aut ex peculiari ratione penitus prohibere, prout legimus a *Conc. Constantien. l. c.* privatis inhibitam esse occisionem aliquorum Tyrannorum, etiamsi hi vitam privati vel bona ejus aggrediantur.

V. ) Imo ad bonum commune Reipublicæ expediebat *jus* illud *resistendi* ita jure ipso naturali limitatum fuisse, ne se privatus defenderet occisiva defensione contra suum Principem: Cum enim hic difficulter posit singulis suorum Vasallorum placere & satisfacere, dicente *Tacito* hist. l. 1. *invisum semel Principem, seu bene, seu male facta premunt*; dolenda Imperantium foret conditio, facile enim nequissimus quisque injuriam sibi a Principe illatam dicere, & eum e vivis tollere, totamque Rempublicam, vel occisi Familiam gravi afficere malo posset: Propter hoc igitur *generale* periculum, justum fuit, ut etiam in casum *formaliter injustæ* aggressionis, lex naturalis *privatorum* ligaret manus, ne eas in personam hujusmodi cum tanta malorum sequela unquam expedirent.

## §. III.

### *Refellitur Juri naturali & defensæ sententiæ contraria, Recentioris Theologi R. P. Fratr. CONCINÆ Doctrina.*

418. CONtra hanc naturali æquitati, & universalis Ecclesiæ decreto conformem, nec non bono communi, *Reipublicæ*, ac *Principum securitati*, vitæque eorum merito faventem, a celeberrimo Theologo *Dominico de Soto*, & aliis multis defensam sententiam, insurgit eruditissimus alioqui Vir Clariss. D. Pr. Frat. DANIEL CONCINA, Ord. Præd. Theologiæ dogmatico-Cristianæ, Romæ, Anno 1749. typis commissæ, tom. 4. l. 7. in Decalogum, diss. un. *de homicidio* c. 5. §. 2. dicens: *Dominicus Soto l. 5. q. 1. a. 8. addit, quod si is, qui adoritur, sit Rex, Princeps vel alia persona valde utilis Reipublicæ, tunc subeunda sit mors personę invasæ, omittendaque defensio. Hæc Soti sententia mihi* ( ait ille ) *sane non arridet, nec probatur. Hominis quippe innocentis vita suapte natura melior est vita hominis sontis tametsi Principis. Porro quisque ordine tum naturæ tum caritatis, magis diligit propriam, quam alterius vitam. Simul hæc duo jun-*

*jungantur: innocentia quæ semper magis prodest Reipublicæ quam iniquitas, & naturalis inclinatio cuique insita defendendi propriam vitam, & continuo apparebit evidens ratio, quæ concedit jus defendendæ vitæ propriæ adversus QUEMCUMQUE invasorem*, NB. *sive PRINCIPEM, sive REGEM, qui utilis Reipublicæ minime est, cum subditorum vitæ insidias struit: sed potius* NB. *comparatur LUPO devoranti gregem, juxta illud* Ezech. 22. *Principes ejus in medio illius, quasi lupi rapientes prædam ad effundendum sanguinem. Ex quo infert D. Thomas* 2. 2. *q.* 69. a. 4. *sicut licet resistere LATRONIBUS, ita licet resistere in tali casu malis PRINCIPIBUS: Nisi forte propter scandalum vitandum.*

Hucusque sunt verba celeberrimi Theologi R. P. Fratris *CONCINA*, zelosissimi reformatoris doctrinæ moralis, qui ubi toti erudito Orbi summa contentione inculcat, *semper circa licentiam actionis probabiliora esse sequenda*, is non satis probe percepto genuino a se citatæ sacræ scripturæ sensu, eaque minus apte casui proposito applicata: invite quoque adducta veneranda auctoritate D. Thomæ ( quem ex infra dicendis mox constabit, nullo modo favere suæ contra *Principes, sive Reges* assertæ opinioni ) sub fucato schemate *probabilioris tutiorisve* doctrinæ, idem de Regibus & Principibus ac de *lupis rapacibus*, imo hoc ipsum ac de nefariis *latronibus* formare judicium non dubitavit, sine ulla exceptione Personarum Publico valde utilium, ferens sententiam occisivæ defensionis *adversus quemcunque invasorem*, minime attenta Regni & totius Reipublicæ immani perturbatione, multorumque vitæ, ac fortunarum jactura.

Quo autem ille efficacius suam de tyrannicidio doctrinam quasi *practice tutam semper* & rationi conformem incautis Lectoribus persuadeat, nedum eam vendit *ut probabiliorem*: sed etiam ut *evidentem* & absolute *certam*, ubi addit: *& continuo apparebit evidens ratio, quæ concedit jus defendendæ vitæ propriæ adversus quemcunque invasorem, sive Principem, sive Regem*. Ne vero aliquis forte titubet & dubitet in sequenda hac sententia, neve contrariæ a *Dominico Soto* & aliis defensæ opinioni, tanquam securiori adhæreat, præoccupat ille adversa tela, dicitque: *Soti sententia mihi sane non arridet, nec probatur*, atque adeo hæc est minus probabilis Patris *Concinæ* judicio, *probabilior* vero est, quæ subditorum manus laxat in coronata Principum capita, contra severissimum *Concilii* citati decretum.

In hac ipsa quoque Theologia sua dogmatico-Christianâ *tom.* 4. *c.* 1. *cit. dissert. un.* idem P. Frat. *Concina* docet, quod Martyres potuerint licite arma arripere contra Tyrannos persecutores suos, hancque doctrinam vendit etiam pro infallibili, dicens: *Martyres quoque ipsi adversus Tyrannos arma stringere potuissent. Hæc omnia CERTA SUNT.*

Neque tamen hæc certitudo, nec illa contra Reges & Principes perniciose ac gratis afferta evidentia infringere potest contrariam ab Oecumenico Concilio decisam sententiam *Salmeronis*, *Bellarmini*, *Toleti*, *Suarezii*, *Molinæ*, *Azorii*, *Soti*, & aliorum supra laudatorum Theologorum ac Naturalistarum, quorum Auctoritati & rationi longe plus hac in parte attribuimus, quam *Concinianæ* evidentiæ ac certitudini frustra affertæ, & tristissimo multorum eventu deploratæ.

Nam I.) Ex eo, quod innocentia semper magis prosit Reipublicæ quam iniquitas, nondum sequitur, quod v. g. innocens *tympanotriba* a suo Rege temere *invasus* possit eum occidere privata auctoritate, unde magna incommoda sequi possint ex occisione personæ valde utilis Publico. Certe enim innumeri Milites innocentes sunt, non tamen ideo fiunt immunes ab obligatione se exponendi vitæ periculo pro Rege & Republica,

Innocentia quippe secundum *Ciceronem* l. 1. de Offic. *Est puritas animi omnem injuriæ illationem abhorrens*, illa proin magni meriti est apud Superos, & apud homines gratiis & præmio digna, nihilominus non tribuit jus defensionis *occisivæ* contra personas Regias & alias in thesi assertas, ex quarum nece tanta mala oriri possunt & solent. Imo ita se defendens nequaquam est innocens, cum violentas manus injiciat in eum, ex cujus interitu alii innocentes detrimentum sunt passuri.

Neque defensio hæc nomen *defensionis justa* meretur, potius enim est *vindicta privata*, jure naturæ absolute prohibita, quod crimen juxta *Aug.* tr. 112. in Joan. semper committit ille, qui intelligens se solo non posse ita aggressores plures vel unum superare, ut vitam propriam salvet, nihilominus adhuc aliquem ex illis vel illum solum occidit: Hoc enim casu nihil aliud habet pro objecto, quam *vindictam*, instar illius a Poeta factæ resolutionis ... *at nec inultus abibo*.

Et in hoc præsertim sensu dixit olim Christus Petro Matth. 26. *omnes qui acceperint gladium, gladio peribunt*, ac Ap. ad Rom. 12. ait: *Non vos defendentes Carissimi*, quia scilicet

etsi unum vel alterum persecutorem occidissent, adhuc occiderentur ipsi ab aliis longe pluribus: Porro hic fere casus ipse est, si v. g. *tympanotriba* occidat invasorem Regem; moraliter enim impossibile est, ut occisor hic evadat ultrices aliorum manus, uti docent plurima exempla: Igitur tuitio ipsius dicenda est non defensio: sed *vindicta* imprudenter & illicite attenta, ac proin si fugere nequit, jus occidendi invasorem hujusmodi non habet.

419. Sed nec II.) momentum *Concinianum* solidius est, quod illa desumit ex inclinatione cuique insita ad se defendendum. Naturalem quippe inclinationem non minus sentimus ad *meram defensionem*, quam & ad *privatam vindictam*, quin tamen hæc unquam, illa semper sit licita. Inclinationes igitur hujusmodi indigent fræno, & rectæ rationis ductum sequi debent; hæc autem citra errorem, vel actus imperfectionem suadere nequit, ut *vilis persona*, & quævis alia *Rege inferior* privata auctoritate eum occidat, cujus interitum *mala sequuntur* alios pressura.

Nec urget paritas ob quam Cl. P. Frat. *Concina* de malis *Principibus* perinde sentit ac de *latronibus*. Nam *primo*.) Comparatio hæc in *adventitio* ac *civili naturæ statu*, in quo sub Regibus, Principibus ac Magistratibus vivimus, merito odiosa, & a DEO constitutis Superioribus summe injuriosa est, non modo Ethicæ Gentilium: sed etiam, imo vel maxime verbo DEI contraria. Ille quippe etiam *dyscolos Principes* a maledictione populi exemit, *Exod.* 22. v. 28. præcipiens: *Diis non detrahes, & PRINCIPI populi tui non maledices*. Et D. Petrus 2. *Pet.* 2. v. 18. jubet: *Servi subditi estote in omni timore dominis, non tantum bonis & modestis: sed etiam Discolis*. Neque ideo licet aut expedit nobis, legitime in throno succedentes aut electos quoscunque Principes cum lupis & latronibus comparare, quia DEUS apud *Ezech.* l. c. hac comparatione usus fuisse legitur. Nam non omne id quod licet DEO, licet etiam homini. DEUS enim qua absolutus omnium Dominus non obligatur ad ullam reverentiam exhibendam Principibus, ad quam nos obligat, potuit igitur & potest eos nomine quocunque voluerit, compellare, imo & vitam illis, sicut & eorum subditis, quandocunque sibi placuerit, eripere, vel aliter eos affligere, juxta illud Job 9. vers. 17. *multiplicabit vulnera mea etiam sine causa*, quia scilicet supremus omnium Auctor, & absolutus vitæ & necis dominus est. Non tamen inde sequitur, quod vel nos

com-

comparatione & compellatione illa contra Magistratus, Superiores, Reges & Principes nostros uti citra temeritatem possimus, vel quod subditorum, etiam injuste oppressorum manus, in vitam & sanguinem eorum laxare, nobis ullo modo licitum permissumque sit.

Dein *secundo.)* Quia ex occisione latronis nullum sequitur incommodum Reipublicæ, imo viarum securitas cuique oritur, secus fit ex occisione Regis, vel Principis: aut enim de successione, aut de regimine, vel inter familiam, vel inter status Regni, sive alios cum eo fæderum vinculo conjunctos Principes, nequit non oriri negotium cum magna plurimorum perturbatione & incommodo. Atque adeo hujusmodi occisio sicut nequit esse NB. *sine scandalo* (quod etiam *D. Thom.* l. c. excipit) *ita nec fieri* aliter potest, quin sit *contra amorem* Reipublicæ debitum, & jure nat. præceptum.

III.) At non tantum irreverentia plenum: sed etiam a veritate devium est ejusdem *rigidioris* contra Principes Theologi argumentum, afferens, quod in prædicto casu Rex vel Princeps *desinat esse utilis Reipublicæ*, & cum *lupo* comparandus sit, aut quod ipso facto potius pro *latrone* quam Principe habendus. Etenim 1.) Dominia & *Imperia non amittuntur delinquendo*, nisi lex id statuat, qualem nullam uspiam Gentium dari scimus pro eo casu, quo Rex suum v. g. *subditum tympanotribam* injuste fuisset aggressus, eumque e vivis tollere voluerit. 2.) Ad personam privatam quantumvis inique *invasam* non spectat judicare de inutilitate sui Regis, qui si forte inutilis est temere occidendo suum subditum, non ideo omni ex parte inutilis fit toti Regno, familiæ Regiæ, fœderatis Principibus, ac Reipublicæ universæ, cujus interest Principem habere superstitem, juxta præclarum Poetæ effatum:

. . . *Rege incolumi mens omnibus una.*

Tandem idem Cl. D. Pat. Fratr. *Concinæ* argumentum hac etiam ex parte nullum est; quia eruditus: sed nimium quantum contra Reges & Principes *rigidus* Author hic non apte utitur verbis Sacræ scripturæ ex cit. *Ezech. c.* 22. adductis. Ibi enim declarantur quidem peccare Reges, si abutantur imperio suo contra subditos: verum non ideo datur ibidem privato homini ulla potestas eos occidendi tunc, quando illi quempiam subditorum minus juste invadunt. Neque in citato *Ezechielis* textu imponitur aliquod præce-

 ptum,

ptum, vel permittitur ulla facultas, ut subditus, vel alius quicunque Rege, & supremo Principe inferior *defensione occisiva* se tueatur contra injustam ejus aggressionem, eo casu, quando inde grave scandalum, ingens perturbatio, multorum gravis afflictio, vitæque aut bonorum jactura, vel Politici regiminis incommoda sequi possunt, & solent. Non afferit hanc licentiam ex Prophetia *Ezechielis* adductus textus. Imo patet jam contrarium ex supra allatis aliis Divini eloquii oraculis, ac ex naturali ratione, cui Sacra scriptura non est contraria.

Demum IV.) Non juvat *rigidum* Theologum veneranda auctoritas D. Thomæ superius adducta. Angelicus enim Doctor loc. c. non loquitur de jure resistendi Regibus resistentia *occisiva*, per hominem privatum ac Rege inferiorem attentanda ullo casu, & illo præsertim, quando ex resistentia hujusmodi hominis, privata auctoritate occidentis Regem, sequerentur gravia mala *in Rempublicam*, vel alios innocentes, dareturque ansa scandali & rebellionis subditorum, qui facile sibi persuadere possent, se a suis Principibus tyrannice ac inique opprimi, ac proin in sanguinem eorum consurgere posse. Unde vix aliquis Regnantium vitæ suæ securus foret. Non inquam docet hoc *D. Thomas*. Imo manifeste contrarium tenet, ubi istam *l. c.* addit limitationem: *Nisi propter scandalum vitandum, cum ex hoc aliqua GRAVIS TURBATIO timeretur:*

Porro citra temeritatem fingi non potest casus, quo non sequatur scandalum, aut *gravis perturbatio* Reipublicæ, status politici, Principum fœderatorum, aliarumque personarum, ex occisione Regis perpetrata a suo subdito, aliave inferiore persona, regicidium hoc *privata auctoritate* in effectum deducente; sive *in sui defensione*, sive *extra hanc* crimen ejusmodi attentarit; prout funestæ experientiæ a pluribus Historiographis relatæ satis docent.

Neque etiam V.) magis ad rem facit, quod idem *D. Th.* de Regimin. Princip. c. 6. ait: quod *Brutus non peccaverit, occidendo Cæsarem*. Contra enim est *primo*) quod plerisque gravibus Auctoribus cum *Card. Bellarm.* de Scriptor. Eccl. anceps dubiumque sit, utrum *Opusculum de Regim. Princip.* Angelico Doctori attribuendum sit, an vero potius alteri erudito Viro, qui illud composuit. Contra est *secundo*) quod Brutus perhibeatur non *privata*: sed publica auctoritate, tota Republica mortem decernente, eum occidisse.

Et

Et videri potest hic ipse Doctor Angelicus 2. *Sent. d. ult. q.* 2. *a.* 2. *ad* 5. ubi mentem suam explicat, & omnem suspicionem doctrinæ, quæ ipsi adscribitur, eximit.

VI. ) Utcunque autem sit de *Bruti* facto omnino bruto & ethnico, certum est quod ait *Seneca* l. 1. de clement. c. 4. *Principes Regesque, & quicunque alio nomine sunt Tutores status publici, non est mirum amari ultra privatas etiam necessitudines. Nam si sanis hominibus publica privatis potiora sunt; sequitur, ut is quoque carior sit, in quem se Respublica convertit.* Ac proin, sicut obligatur privatus vitam propriam postponere bono Reipublicæ, ita ad se incolumem faciendum nequit vitam eripere Principi etiam iniquissimo, si talis daretur, ob cujus mortem Respublica jacturam vel gravem turbationem pati cogatur.

VII. ) Planum igitur est, quod sicut ex aliis argutiis, quas contra vitam Regum & Principum Clarifs. D. P. Fr. *Concina* attulit, nihil solidi pro eius *rigida* & perniciosa opinione concluditur, ita adhuc minus quidpiam prudenter inferri possit ex doctrina D. Thomæ, cum hic sit contrarius immani contra Principes opinioni.

Sed fingamus ita docuisse *Angelicum Doctorem*, prout ei imponit Auctor nunc primum laudatus: Nihilominus hac etiam fictione interim admissa, nondum sequitur subsistere doctrinam ejusdem Theologi contra opinionem *Salmeronis, Bellarmini, Toleti, Suarezii, Soto* & aliorum Theologorum ac Naturalistarum melius sentientium assertam. Quia certum est *D. Th.* longe ante Conc. Oecumen. Constant. circa *Annum* 1414. sub *Martino* Papa V. celebratum, opera sua Theologica scripsisse, & scribere ac simul vivere desiisse anno 1274. Cum autem prædictum Generale Concilium doctrinam contra Reges & Principes etiam Tyrannos, *olim inventam*, & nunc recenter a Cl. D. P. Fr. *Concina* e suis ruderibus erutam, absolute reprobarit, nulla anterior *D. Th.* alioqui summe veneranda auctoritas, sicut nec aliorum DD. opinio amplius locum habere potest, contra *Universalis Ecclesiæ* definitivam sententiam, in materia præsertim adeo periculosa.

Nec amplius quid in hac de *Regicidio* quæstione dicendum superest, quam ut doctissimo juxta ac *rigide* alioqui Theologo ex corde gratulemur, quod *dogmatico-Christianam* Theologiam suam, jus defensionis occisivæ cuique etiam subdito, privato, ac minus Reipublicæ utili & necessario *adversus quemcunque invasorem sive principem, sive Regem*

tribuentem, nemo hucusque *sanguinariæ doctrinæ* ream, multo minus (quod semper avertant Superi) rogo & pyra infami dignam judicaverit. Quia *HERMANNO BUSEMBAUM*, & *CLAUDIO LACROIX* censura hæc reservata fuit, qui communissimam eruditissimorum *Thomistarum* sententiam, aliquot sæculis instituta Societate JESU antiquiorem, *paucis lineis*, & ut ajunt, mere *remissive*, in fidem aliorum attigerunt: imo ab aliis sine ulla limitatione assertam limitarunt, ne scilicet ex hujusmodi defensione mala in alios proveniant.

Liquet id ex verbis *Busembaum* l. 3. tr. 4. c. 1. dub. 3. resp. 8. ubi ille citatis verbis *Silvestri* Ord. Præd. Theologi, & sacri Palatii Magistri, ab aliis Doctoribus communiter afferri solitis & supra hic *num.* 415.) adductis, emendat illa & strictissime limitat in his terminis: *Nisi forte propter mortem hujus* (id est Principis) *secutura essent nimis magna incommoda* &c. Hæc ipsa verba refert *Lacroix*, & eadem limitatione usus est, quam Cl. D. P. Frat. *Concina* non admittit in sua dogmatico-Christiana Theologia, imo de Regibus & Principibus idem ac de *lupis* & *latronibus* formavit judicium, quin tamen vel ille, vel ii, ex quibus doctrinam hujusmodi hausit, & haustam Publico proposuit; ullam hucusque subierint crisim. Nec mirum est: nam ut canit *Juvenal.* Satyr. 2.

*Dat veniam corvis, vexat censuras columbas.*

Dogmatico-Christianæ igitur theologiæ, & simul *rigidæ* contra Reges etiam & Principes doctrinæ Author merito illud Virgilii canere potuit:

*Hos ego versiculos feci, tulit alter . . .*

Non jam *honores*: sed dolores.

## §. IV.

### *Jesuitarum doctrina directe contraria hic refutatæ opinioni de* Regicidio, *& Tyrannorum nece.*

JUre naturali *nulli privato* competere jus defensionis *occisiva* contra Regem suum ac Principem, quantumcunque etiam injustum & *tyrannum*, demonstravimus *an.* 416.) ubi quoque adduximus Theologos Soc. JESU, hanc ipsam doctrinam a prima Societatis institutione profitentes. Quia vero ibidem promisimus verba Doctorum hujusmodi ad calcem pertractatæ quæstionis fore opponenda, hinc datam fidem evincendo, juvat singulorum textus fideliter exscriptos Publico proponere. Et quidem

I.) Ex

I. ) Ex omnibus Soc. JESU Theologis primus occurrit *Alphonsus Salmeron*, Pontificius ad sacrum Conc. Trident. missus Theologus. Ille tom. 13. lib. 4. disp. 5. super verb. Apost. ad *Rom.* 13. *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*, ante omnia exponit statum dubii occurrentis, in quo id consistat, dicitque: *Quæstio est de Tyranno, qui injuste vi illata, aut metu incusso, occupavit imperium: an tali sit parendum?* Variorum jam opinionibus super hoc dubio prolatis, ait: *Sunt quidam qui putant, ( inter quos est CAJETANUS ) etiam privatis licere interficere Tyrannum; Bucerus vero hoc loco in aliud extremum inclinans; omnibus indistincte, ait, esse obediendum Tyranno non quærendo an jure, vel injuria invaserit Regnum: sed hæc extrema sunt declinanda.*

Adducit dein *Salmeron* opinionem *Lutheri* lib. de Visitation. Saxonic. dicitque: *Clamant aliqui Prædicatores temerarie, non esse resistendum Turcæ: hic sermo seditiosus est, qui neque fieri neque permitti debet.* Suam dein hac super re dicturus sententiam, præmittit resolutioni huic & ait, quod ad subditum non spectet ullo modo judicare de suo Principe, an ille habeat jus imperandi, regnandive, vel non, dicitque: *Præmittendum, quod privati non est judicare de Principibus, utrum jure vel injuria regnent.* Ex hac præmissa veritate infert: *Cum non sit ergo privati judicare de Principibus, etsi illi regnum non juste occupaverint, & regnent ex parte sua, JUSTE tamen sub ejus TYRANNIDE PLECTITUR POPULUS.* Hæc *Salmeron* loc. cit.

Qui etiam illationis hujus hanc affert rationem: *Cum mandatum sit nobis indistincte obedire Dominis & Principibus etiam dyscolis, id est morosis, & difficilibus, & hoc Sancti fecerunt, & Christus: iis parendum est, in his tamen, quæ non sunt contra Dominum.* Salmeron ibid.

Tanto minus autem *Salmeron* Jesuita favet *Concinianæ* & aliorum contra Reges & Principes sententiæ, ille enim eandem, quam nos demonstravimus, tuetur doctrinam, asserens *nullo casu* licere *privato* propria auctoritate occidere Principem, nedum legitime imperantem: sed ne quidem Tyrannum, verba sunt illius quæ sequuntur: *Non licet privato propria auctoritate Tyrannum interficere; maxime si in pacifica possessione sit, & armatus satellitio regnet.* NB. *In Concilio Constantiensi damnatur hæc propositio: quilibet Tyrannus potest licite a subdito occidi.* NB. *Sed male Cajetanus* (Ord. Prædic. Theologus ) *intellexit de Tyranno, qui ad suam uti-*

*sitatem convertit gubernationem, non autem de illo qui vi armorum occupavit imperium.* Salmeron ib.

Inconcussam hanc veritatem probans idem Auctor adducit alia verba Apostoli ex *Cap.* 13. l. c. quod scilicet teneamur Magistratibus obedire: *Non solum propter iram: sed etiam propter conscientiam. Resistere non tantum significat velle potestatem destruere . . . sed in genere significat potestati non obedire. Ex quo habet, letaliter eos delinquere, qui Potestati civili scienter resistunt.* Salmeron ib.

Solvens autem contraria argumenta, ait: *Non est adversus Regnum Christi & Evangelium, quod regnent super nos Pagani: ideo ad Constantinum usque Ecclesia sub Ethnicis Regibus fuit,* &c. Hæc est doctrina *Salmeronis* primi e Societate JESU Theologi pro Principum etiam molestorum & (si qui essent) iniquorum, debita veneratione, & vitæ eorum incolumitate.

II.) Sequitur jam Cardinalis Robertus *Bellarminus* e Soc. JESU Orbi erudito apprime notus Theologus. Hic in *Apologia pro responsione* sua *ad libr. Jacobi Magnæ Britanniæ Regis c.* 13. refellens contrariam opinionem eorum, qui asserebant Regicidis & Tyrannicidis esse appromissam vitam æternam, si suos Reges & Principes imperio abutentes, privata etiam auctoritate trucident; ad hunc impium errorem respondens ait: *Quod sicariis promissa sit spes vitæ æternæ, si Regum vitæ insidientur, nusquam legi, nusquam audivi: sed contra potius legi in Concilio Constantiensi Sessione* 15. *publice damnatum articulum illum:* Quilibet tyrannus &c. *Hunc articulum ita damnavit Concilium, ut Hæreticos censendos, & ut Hæreticos puniendos esse decreverit, qui ejusmodi articulum pertinaciter defendere voluerint. Illos autem, quos in exemplum Adversarius adducit, fuisse persuasos ab aliquo Ecclesiæ Antistite sub promissione & spe vitæ æternæ, ut facerent, quod fecerunt, Adversarius non probat; neque ex confessione ipsorum, aut aliis indiciis constare potest. Sed si Adversario placeat vera audire, vel legere, facile inveniet doctrinam, quam objicit Catholicis, propriam esse NOVATORUM.* Bellarmin. Apolog. pro respons. &c. Cap. 13. pag. 140. tom. 5. Edition. Venetæ 1721.

III.) Cardinalis Franciscus *Toletus* e Soc. JESU Theologus *lib.* 5. *Instruct. cap.* 6. *num.* 16. docet: *Tyrannum administratione, qui habet quidem verum titulum, sed tyrannice tractat subditos NON LICET OCCIDERE: & asserere*

*rere contrarium damnatur ut hæreticum in Concilio Constantiensi Seff.* 15.

Et idem Card. *Toletus* ibid. n. 25. ait : *Si invasus esset persona publica , & multum necessaria in Republica , potius invasus DEBET SE PATI OCCIDI , & TENETUR , quam occidere*. NB.

IV.) Franciscus *Suarez* Soc. JESU Theologus in *Defensorio Fidei Catholicæ l. 6. cap.* 4. tradit : *Diximus Principem propter tyrannicum regnum , vel propter quævis crimina NON POSSE ab aliquo privata auctoritate juste interfici. Assertio est communis & certa, conformis est præceptis Petri ep.* 1. *c.* 2. *subditi estote omni creaturæ propter DEUM &c. magis vero in specie definita est , & contraria ut hæretica damnata in Concilio Constant. Sess.* 15.

V.) Gregorius *Valentia* S. J. Theologus *tom.* 3. *disp.* 5. *quæst.* 8. ait : *Tyrannum perpravum & Communitati exosum , legitima alioquin auctoritate abusum in gubernando , NULLI particulari licet occidere.*

VI.) Joannes *Azor* S. J. Theologus tom. 2. l. 11. c. 5. referens *communem* aliorum opinionem de tyrannicidio, rejicit & refellit illam, dicens : *Hæc sententia de licita occisione Tyranni in titulo , quamvis tot Auctorum testimonio comprobetur, mihi tamen improbabilis est . Quia in Concilio Constant. damnatur articulus hic : Quilibet Tyrannus licite potest a quocunque subdito interfici; ubi Synodus generaliter de Tyranno loquitur. Ita S. Aug. l.* 1. *de Civ. DEI, ait: qui sine aliqua causa publica administratione maleficum occiderit, velut homicida judicabitur : & tanto amplius , quanto sibi potestatem a DEO non concessam usurpare non timuit. Huc accedit, quod maleficus nisi prius audiatur, & judicetur interimi jure non potest : Præterea evidentia patrati sceleris quamvis accusationem & probationem non postulet, requirit tamen sententiam. Insuper quamvis hujusmodi Tyrannus jus, & titulum non habeat in Regno, & Principatu, facto tamen habet possessionem, a qua dejici non potest, nisi prius audiatur, & judicetur.* Ecce! hic Theologus docet, ne quidem Principem illum licere privata auctoritate quocunque casu occidere, qui per vim, tyrannice & inique Regnum sibi usurpavit: tanto minus potuit docere licitam esse defensivam *occisionem* contra Principem legitimo jure Thronum possidentem, subditis tamen molestum, vel quempiam eorum injuste invadentem.

VII.) Ludovicus *Molina* S. J. Theologus *de Just. & Jur.*
*tom.*

*tom.* 4. *tr.* 3 *d.* 6. scribit: *Aliquis est Tyrannus, qui licet sit vere Dominus Reipublicæ, in qua tyrannidem exercet, inique tamen, atque injuste eam administrat.* NB. *Tyrannum hoc modo nefas est privatis interficere.*

VIII.) Leonardus *Lessius* S. J. Theologus *de Just. & Jur. l.* 2. *c.* 9. *dub.* 4. tenet: *Princeps etsi tyrannice regat, tamen manet superior: unde Scriptura jubet nos in rebus licitis parere Principibus Ethnicis tanquam superioribus* (*Rom.* 13. *Petri* 2.) *etsi maximi essent Tyranni, utpote qui Ecclesiam persequerentur, & ad impietatem cogerent: ergo non potest a subdito interfici.* Hæc *Lessius*; qui non docet cum P. Frat. *Concina* hujusmodi Principes esse *lupis & latronibus* comparandos: multo minus asserit Martyres potuisse arma stringere contra suos Reges & Principes se injuste persequentes, quam tamen doctrinam idem D. P. Frater *Concina* dixit esse *certam* in principiis suæ *probabilioris* theologiæ *dogmatico-Christianæ.*

Ne autem tædium benevolo Lectori pareret prolixa Auctorum Soc. JESU inductio, abstinuimus manum ab innumeris aliis recensendis, qui in hac materia pro incolumitate & reverentia Principum quorumvis, etiam Tyrannorum scripserunt, semper detestati illorum sententiam, qui licitum tyrannicidium asseruerunt. Illos proin solos Theologos hic adduximus, qui ab instituta Societate JESU usque ad *annum* 1614. lucubrationes suas in lucem publicam dederunt. Hoc enim anno 1614. severissimum Decretum promulgatum est a P. *Claudio Aquaviva* Præposito Generali ejusdem Societatis, quo sub gravissimis pœnis præceptum est omnibus, ne quispiam contra Reges, Principes quosvis & Magistratus, quidpiam, præsertim in materia tyrannicidii evulgare audeat, quod iis vel minimam offensionis ansam præbere quacunque ratione unquam possit.

Prudens igitur & partium studio non præoccupatus Lector facile concludet, quod si *Salmeron*, *Bellarminus*, *Toletus*, *Suarez*, *Valenzia*, *Azor*, *Molina*, *Lessius* longe adhuc ante Decretum Pris *Claudii Aquaviva* murum se opposuerunt pro vita Principum, & restiterunt communi sententiæ licitum tyrannicidium asserenti: tanto minus post prædictum Decretum anni 1614. potuerunt alii Soc. JESU Scriptores delinquere contra debitam Principibus observantiam, & quam exactissimam Decreto sui religiosi Ordinis obedien-

dientiam. Ex his autem omnibus pronum erit inferre & dispicere: *quisnam sit doctrinæ sanguinariæ auctor?* & tamen! &c. &c.

## §. V.

### *Quæ sint conditiones justæ defensionis in ordine ad tuendam vitam, & res proprias?*

420. MOderamen inculpatæ tutelæ consistit in conditionibus certis ad sui ipsius & rerum suarum defensionem requisitis: hæ autem sunt sequentes.

Requiritur I.) *Defensio inculpata*, & quidem *inculpata* quo *ad causam*, ne scilicet ullam justam aggresionis causam dederis invasori. Si enim tu primus illum aggressus es, tibi ipsi malum inde sequens imputare cogeris, nam excepto casu immediate jam deciso, ubi negavimus privato licitam esse defensionem *occisivam* contra Principes &c. in aliis plerisque casibus permissa est defensio, juxta illud:

*Armaque in armatos sumere jura sinunt.*

Alioqui si alterum provocasti, constitueris jam non in statu defensionis: sed aggresionis, atque adeo deest necessitas defensionis *occisiva*, quæ sit justa. Quo etiam facit antiqua paræmia apud *Quintilianum* de insolente puero illo, qui cum in alveare apum temere insufflasset, seque aculeis earum læsum conquestus esset, in responsis accepit: *Si non sufflasses, aculeum non sensisses*. Et simile quid legitur de *Pericle*, qui cum primus inventor fuisset machinæ æneæ *Phalaris* dictæ, bovinam formam referentis, cui inclusi homines subjecto igne torquerentur, terribilem per os machinæ edituri mugitum: ille primus fuit, qui industriæ suæ fecit periculum, & pœnas contra alios inventæ crudelitatis luit, insultante Poeta:

. . *docuitque suum mugire juvencum.*

Debet esse II.) inculpata *quo ad modum*, id est, cum ea moderatione, quæ præcise ad injuriam depellendam sufficiat. Nam in *retorsione injuriarum*, ac in defensione non potes uti majore vi, quam sit necesse ad injuriam arcendam. Alioqui non est *defensio*: sed *ultio*, unde teneberis ad restitutionem, si damnum pretio æstimabile intuleris. Quo fit, ut eum, qui percussit, & jam fugam capere incipit, vel certe amplius non metuitur; non possis occidere, vel re-

per-

percutere, (nisi forte interdum ad defensionem honoris, citra occisionem, de quo infra) quia illa repercussio non est necessaria ad vitam tuendam ab injuria, utpote quæ jam illata est. Si tamen paret se percussor ad feriendum secundo, vel putetur aliter non destitutus, potest statim repercuti, si alioqui vis ejus declinari nequeat.

Præter hæc, debet esse III.) *periculum certum*, *præsens*, nec *aliter*, nisi per iniqui aggressoris mortem evitabile (& quidem talis aggressoris, ob cujus interitum non redundent publica mala in alios innocentes, ut supra probavimus) si enim periculum tantummodo *verisimile*, atque remotum est, non parit, nisi jus defensionis *probabile*: igitur jus certum alterius quod habet ad vitam, auferri nequit, dicente *Quintiliano* l. 5. c. 13. *quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum occidat, a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur?* metus igitur solus *probabiliter* futuræ occisionis non sufficit ad hostem *occisiva* defensione præveniendum.

Si quoque periculum *aliter* sit evitabile, deest *necessitas*, quæ tamen fundamentum est legitimæ defensionis primario requisitum, eo quod alias aperta foret via ad plurimas cædes, cum detrimento humanæ universitatis. *Evitabile* autem est, si *citra vitæ*, vel *gravem honoris & famæ jacturam* contemni, vel aliter reparari potest, iis præsertim casibus, quando aggressio non tam *ex proposito*, quam potius ex *humana fragilitate*, levitate judicii, *ebrietate*, *subitanea ira* (quæ juxta Senecam: *furor brevis est.*) similique causa prævisionem effectus *invincibiliter* excludente, oritur.

Pro tali casu egregie docet nos *Martialis* VI. epigr. 64. cedendum esse belluino alterius furori, cum nullus nobis honor sit cum uno efferato animali, homine scilicet barbaro, ebrio, infami, vel omnino imprudente manus conferere; ita canente illo:

*Sed miserere tui, rabido nec perditus ore*
*Fumantem nasum vivi tentaveris ursi.*

Dignam quoque Philosopho legere est moralem apud *Senecam* de ira lib. 2. cap. 32. *Magni animi est injurias despicere. Ultionis contumeliosissimum genus est, non esse visum dignum, ex quo peteretur ultio. Ille magnus & nobilis est, qui more magnæ feræ latratus minorum canum securus exaudit.*

421. Non sine causa proin *Grotius* de J. B. & P. l. 2. c. 1.

§. 10.

§. 10. sugillat *Franc. de Victor.* Ord. Præd. Theologum, qui *de jure belli n.* 5. non modo cædem putat recte posse perpetrari, ut alapa vitetur; sed & accepta alapa, si qui eam impegit fugiat, ad honorem, ut ajunt recuperandum, posse occidi. Doctrina hæc non est conformis juri nat. quo spectato dixerunt Philosophi: *pusilli esse animi contumeliam ferre non posse:* at neque Divino consentanea est; id enim *alapam pro alapa* reddendam vetat, multo minus vita privare percutientem permittit, si percussor *jam fugiat*, & nullum amplius ab eo periculum percusso imminet.

Quodsi contendas, in statu *primævo naturæ* id fuisse licitum, nondum sequitur id licere propria auctoritate nunc in *statu Civitatis*, in quo vivimus sub Judice & Magistratu, qui de illata contumelia justitiam administrare potest, & tenetur, quin nobis ipsis jus vindictæ usurpemus. Non enim licet *privata auctoritate contumeliam* vindicare: sed tantum compescere. Quod etiam in vitæ & rerum defensione servandum. Jus enim nat. permittit defensionem ejusmodi in illis tantum casibus, quando *hic & nunc* grave periculum ope Magistratus superari, aut damnum aliter reparari nequit. Hinc *Victoriæ* sententiam *Lessius* de J. & J l. 2. c. 9. n. 80. dicit *mere speculative* probabilem, in praxi autem non sequendam, adeoque inutilem & otiosam: Imo ut scandalosam & falsam damnat Innoc. XI. *in propositione* 30. Atque adeo falsum est, quod etiam in statu *primævo naturæ* licita fuerit unquam occisio percussoris, qui alapa inflicta fugam arripit.

422. Loquendo autem IV.) de defensione *bonorum fortunæ*, requiritur, ut id, quod eripitur, sit in *notabili quantitate*, vel pretio, (ad quod non sufficit unus aureus) neque adsit probabilis spes aliter servandi, aut ereptum recuperandi, quam si morte furis vel latronis impediatur. Ratio *primi* est. Quia *pro re modica* non est concessum jus defensionis cum tanto alterius malo. Est enim valde iniquum, ut v. g. pro floreno, aut etiam uno aureo servando alicui vita eripiatur.

Excipit quidem *Sotus* Ord. Præd. Doctor apud *Less.* l. 2. c. 9. n. 68. dicens „ si tamen tibi verteretur probro, nisi „ rem furi extorqueas, posses conari, & si opus esset, e„ tiam occidere, tunc enim non tam rei, quam hominis es„ set defensio „ Verum *rigidiori* quidem (quo ad nomen) Theologi, laxa tamen moralis hæc merito proscripta est ab Innoc. XI. in prop. 31. *Regulariter occidi posse furem pro conservatione unius aurei.*

Quid

Quid enim est honor, nisi *testificatio alienæ excellentiæ animo conceptæ*, & si quidem honor in periculo versaretur eo, v. g. quod cum Miles sis, ob animi ignaviam *hostem publicum* non sies aggressus, justam haberes causam eum *in acie* aggrediendi & prosternendi: sed si *cum uno furunculo* tibi res sit, si honoris tui vere amanses, probro potius, vel sordidæ avaritiæ ducere debes, si pro tam parva quantitate, eum, & quidem non resistentem, quia jam in fugam actum prosternas. Relinquendum igitur id officii est lictoribus, qui tamen adhuc non aliter, quam post sententiam Judicis exequi possunt. Honesto autem Viro non honori: sed dedecori occisio hujusmodi ducenda est.

423. Ratio *secundi*. Quia si posſint res *aliter* recuperari, v. g. per Judicem, sæpe erit saltem contra caritatem, pro illarum defensione occidere: ut si fur re ablata fugere incipiat. Quodsi vero non fugiat: sed *vi se tueri* velit contra eum, qui nititur furtum impedire, poterit vicissim tunc illa vis vi repelli, *servato moderamine*, quantum necesse est, ut res salva sit, etiamsi per Judicem recuperari posſit. Quia ut ait *Covarr.* in Clem. Si furiosus *p. 3. §. un.* non dictat caritas, ut patiar res meas in mea præsentia capi, utque tantæ furis improbitati non resistam. Unde *Silvest.* v. Bellum 2. n. 3. dicit: *Quando res per viam Judicii potest rehaberi, non licet eam defendere, nisi dum est in ipso rapi*, nempe si raptor adhuc præsens est, nitens alterum re sua spoliare. Et habetur exemplum in *C. olim* 1. *de Restit. spol.* ubi Inn. III. docet, licitum fuisse Episcopo *vi ejicere injustum occupatorem possessionis*, & tamen facile Judicio potuisset recuperari: &c.

Hæc tamen omnia non sunt intelligenda semper de defensione *occisiva*, si res v. g. per Judicem recuperari posſit, vel modica sit, ut quid enim officio suo fungetur Magistratus, si propria auctoritate privati occidant? Huc facit, quod omnia jura dicant furem *nocturnum* occidi impune, non item *diurnum*, si hic rebus tantum, *non vitæ insidiatur*, *nec spes recuperandi pretiosa ablata deest*. Alioqui non servatur *moderamen inculpatæ tutelæ*, perinde ac si occidas aggressorem vitæ, quem alias fuste, aut sola non letali percussione repellere poteras.

A R-

## ARTICULUS III.

### *De Jure necessitatis tuendæ famæ propriæ, honoris, & pudicitiæ.*

### SUMMARIUM.

424. *Quid permittat jus nat. circa* famam *defendendam?*
425. *Prohibitus est totalis famæ neglectus.*
426. *Potest tamen homo quandoque se ipsum infamare.*
427. *An famæ tuendæ necessitas competat etiam Religiosis, servis, Filiis familias* &c.
428. *Probatur affirmativa opinio.*
429. *Respondetur contrariis momentis.*
430. &c. *Differentia inter* Actionem injuriarum: ad palynodiam: & præcise ad famam recuperandam.
432. *An locus sit defensioni* occisivæ *in honore tuendo?*
433. *Respondetur* negative, *& refellitur Bannesii opinio.*
434. *Examinatur licentia* duelli *privati.*
435. *Afferuntur* Recesfsus Imp. *contra* duella.
436. *Refutatur opinio* Recentioris Legistæ *pro licentia* duelli.
437. *An pro defensione* pudicitiæ *liceat invasorem occidere?*
438. *Licita defensio occisiva* pudicitiæ *male trahitur ad licentiam duelli privati.*
439. *Insanæ mentis argumentum est: velle provocare ad duellum, animo* ut occidas, *vel ut* occidaris, *quia* verbo læsus es.
440. Duella *etiam a barbaris Nationibus prohibita sunt.* Tartarica *tamen* duella, *uti curiosa, ita minus periculosa multos approbatores habere possent.*

### §. I.

#### *Quid permittat Jus nat. in necessitate famæ defendendæ?*

424. SUpponimus I.) quod *Fama* sit *multorum existimatio de vita & moribus alterius*. Hæc potest esse *bona* vel *mala*, & differt ab *Honore*, quod hic consistat in externa significatione nostræ æstimationis de excellentia alterius, & submissionis nostræ. Unde honoratio supponit opinionem excellentiæ, & intentionem exterius per aliquod signum eam testandi, v. g. dum alicui honorificum officium, aut locus eminens inter alios confertur.

Hinc

Hinc fit, quod honor sit quid excellentius, quam fama, nam ille includit famam, seu opinionem excellentiæ, & præterea ejus etiam testificationem & manifestationem. Ut proin merito *Aristoteles* lib. 4. Ethic. cap. 3. dicat: *Honorem esse maximum inter bona externa*, cujus signum est, quia ut ipse ait: *principatus & divitiæ propter honorem sunt optabilia*.

425. II.) Jure naturæ prohibitus est *totalis famæ neglectus*, præcipue si cum præjudicio proximi, aut boni publici sit conjunctus. Illa enim est fundamentum publicæ honestatis in societate humana simpliciter necessarium, adeoque ejus neglectus, seu per *vitæ infamiam*, seu per *malevolorum calumnias* injuste impactas (præsertim si sint *speciosæ*, hoc est si aliquam veri speciem & credulitatis ansam, cum tamen in se falsæ sint, præbeant) foret non tantum amori nobis ipsis, sed etiam proximis nostris naturaliter debito graviter adversus.

Nec obstat, quod homo sit *dominus suæ famæ* & honoris, cum possit ejus restitutionem condonare. Nam inde minime sequitur, quod eam negligere possit cum præjudicio aliorum, inter quos vivit, aut suæ familiæ, dicente *D. Th.* 1. p. q. 73. a. 4. ad 1. *In cujusque arbitrio esse pati detrimentum suæ famæ, nisi hoc vergat in DETRIMENTUM aliorum*. Sicut igitur habentes dominium pecuniæ & bonorum externorum delinquemus contra jus natur. si illis *prodigalitate* abutamur, & inutiliter dilapidemus; licet non teneamur forte ad restitutionem cuipiam, potiori ratione peccamus neglectu famæ & omissione in refellendis calumniis, si hæ refelli, & non abstersæ obesse nobis vel aliis possunt.

Præclare hac in re *D. Aug.* l. de doctr. Christian. ait: *Sic Doctor bonam eligat vitam, ut etiam bonam non negligat famam*. Rationem vero doctrinæ hujus affert idem *August.* l. de bono Viduit. cap. 22. dicens: *Conscientiam nostram esse necessariam nobis, famam proximis: ac proinde crudelem esse, qui famam negligit*.

Porro fama nostra *tripliciter* potest esse proximis necessaria. *primo*.) Quando ex nostra fama ita pendet fama proximi, ut ex nostra infamia illius infamia sequatur, sicut ex infamia Patris sequitur infamia filiorum, & ex infamia Monachi infamia quædam Monasterii. *secundo*.) Quando fama nostra est necessaria, ut proximo nostro præstemus of-

ficium

ficium, ei *stricto jure* debitum, sicut fama personæ publicæ, *Episcopi*, *Parochi*, *Abbatis*, *Professoris* necessaria est ut bene regat, vel instruat subditos, aut discipulos &c. Et in his duobus casibus *multorum judicio* etiam *contra justitiam* peccat, qui se infamari sinit: Non quia præcise se ipsum fama privat: sed quia per consequens *proximo nocet*, vel approbando infamiam, ad quam silet, vel se reddendo ineptum ad ei impendendum debitum officium.

Dein *tertio*.) fama nostra necessaria est proximo, quando non ex officio: sed solum ex caritate illi prodesse tenemur, & per infamiam ad hoc reddimur inepti. Hoc tamen casu solum *contra caritatem* delinquit, qui se infamari sinit, sicut contra caritatem, seu amorem naturali jure præceptum peccat, qui pecuniam, qua pauperibus prodesse poterat, in flumen projicit.

426. III.) Potest tamen quandoque homo *se ipsum infamare*, quando id in præjudicium aliorum non vergit, uti fit, 1.) Ad petendum consilium. 2.) Ad propriam sui humiliationem, sicut latro ille apud *Climacum gradu quarto*, qui publice gravissima crimina confessus est, & *D. August.* libros confessionis suæ juris publici fecit. 3.) Quando injuste aliquem infamavimus, tenemur restituere ipsi famam, etiam cum nostra infamia, si opus est. 4.) Quando legitime a judice competente interrogamur &c. 5.) Si lex aliquem inhabilem reddidit ad certum officium, characterem, vel statum amplectendum, ob impedimentum aliquod: hic tenetur illud aperire, ut possit in eo dispensari, si dispensationi locus est. Alioqui si secum statuat, se non teneri infamare se ipsum, neque etiam tenetur, imo neque potest officium illud, characterem, vel statum amplecti, ut liquet in impedimentis dirimentibus Matrimonii, Professionis, Officii Judicis &c.

## §. II.

### *An famæ tuendæ necessitas jure nat. se extendat etiam ad Religiosos, filios sub patria potestate constitutos, & servos?*

427. Ratio dubitandi vel maxime esse potest Religiosis, cur his non videatur assistere Jus nat. ad tuendam famam. Quia scilicet 1.) Religiosus tenetur obedire Præ-

lato: si igitur hic non permittat eum agere de sua infamia, pati infamiam potius tenebitur. 2.) Ille per Professionem religiosam est mortuus suæ famæ & honori. 3.) Vi ejusdem professionis tenetur abnegare suum honorem & famam, ac proin debet infamiam dissimulare. 4.) Prælatus subdito, & Pater filiofamilias, Dominus servo invito condonare potest injuriam calumniatori: Igitur &c. His tamen non obstantibus.

Dicendum est, Jus nat. tuendi famam per media cujusque statui *proportionata* & *honesta*, ita omnibus commune esse, quin ullus hominum usu rationis compos eo privetur, ac proin: Religiosus etiam invito Superiore, in *Judicio competente* (puta apud mediatos Superiores lege Ecclesiastica & suo Instituto agnitos ac receptos) agere potest ad famam in *plerisque casibus* recuperandam. Licet eo invito non possit instituere actionem injuriarum.

Ita tradit *D.Th.* 2.2. q.186. a.7. ad 4.& ibi *Cajet.* Martinus *Navarr.* de reditib. monit. 9. & Comment. 2. de Regular. Ac post *Suar.* & *Sanch. Less.* de J. & J. l. 2. c.4. n. 26. *Haun.* de J. & J. t.1.f.m. 297. num. 6. *Friderich.* thes. 13. ad calcem tract. de Empt-vend. *Beusch.* tract. Can-legal. d. pact. assert. 26. & alii.

428. Ratio est I.) Quia ut patet ex *n.* 425.) homo quilibet est dominus suæ famæ. II.) Adeo ut etiam Religiosus professus *capax* sit ejusdem *dominii*: Capax enim est jurium bonorum *spiritualium*, & *incorporalium*, ac *quasi dominii* eorum, v. g. beneficii juris eligendi, juris alimentorum petendorum, juris manendi in aliquo Cœnobio sui Ordinis, item juris quod habet ad suam *bonam famam*, vitæ innocentiam &c. Per Professionem enim non renunciavit his bonis: sed tantum *temporalibus* & corporeis.

Sicut igitur simplex Religiosus potest *nomine proprio* agere super jure alimentorum sibi competente: jure eligendi activo: jure manendi in aliquo loco suæ Religionis, licet forte Prælatus eum super his agere nolit; ita agere potest super fama recuperanda, cum non minus hæc per *nu.* 425. sit *fundamentum* publicæ honestatis in societate humana *simpliciter necessarium*, ac naturaliter *necessaria* sunt alimenta, quorum ille petendorum jus habet, *etiam invito* Superiore.

III.) Naturale jus hujusmodi, & famæ *quasi dominium* cum jure ejus, *via judicii* recuperandæ competens Religio-

giosô agnovit etiam Jus sacrum in *cap. de Priore* 31. *de Appellat.* ubi Regulari professo permittitur appellatio a sententia sui Superioris ad S. Pontificem, in puncto *denegatæ justitiæ*, & *excessu correctionis*, per quam ille falso infamatus fuit, ac si magni criminis reus foret, unde *notoriam injuriam* passus egit *ad palinodiam*; nil obstante, quod a Superiore immediato impositum ei fuerit præceptum silentii hac super re.

IV.) Recte proin *D. Hieron.* Epist. contra Ruffin. ait: *Nolo QUENQUAM* (atque adeo nec Religiosum) *in crimine hæresis patientem esse*. Casu igitur quo ipse Superior, vel cui ille favet, vel cum quo colludit, aut pecunia corruptus est, Religiosum subditum hæreseos, vel alterius magni criminis falso insimulet, eumque diffamet, atque præcepto ad silendum obliget, præceptum hoc silentii ab eo impositum, si infamatum adstringeret, quo minus mediati, & prudentiori Judicis competentis imploret officium, seque ab infamia purget: legem nat. & omnem æquitatem everteret. Imo foveret *nequitiam* hominum, pallio legalis, seu regularis observantiæ protectam.

V.) Cur autem jure hujusmodi, etiam supposita lege Evangelica de tolerandis calumniis, nequeat ullus hominum *invitus* privari: affert rationem *D. Th.* 2. 2. q. 72. a. 3. dicens, *Tenemur habere animum paratum ad contumelias tolerandas, si expediens fuerit. Quandoque autem oportet, ut contumeliam illatam repellamus, maxime propter duo: Primo propter bonum ejus, qui contumeliam infert, ut videlicet ejus audacia reprimatur, & de cætero talia non attentet*, NB: *secundum illud Prov. 26. RESPONDE STULTO JUXTA STULTITIAM SUAM, NE SIBI SAPIENS VIDEATUR. Alio modo propter BONUM MULTORUM, quorum profectus impeditur propter contumelias nobis illatas.*

Pergit Doctor Angelicus, & doctrinam suam scripturæ sacræ, & Pontificia auctoritate Gregorii Magni confirmat, dicens: *Unde Gregorius dicit super Ezech. hom. 9. Ii quorum vita in exemplo imitationis est posita, DEBENT, SI POSSUNT, detrahentium verba compescere, ne eorum prædicationem non audiant, qui audire poterant, & ita in pravis moribus remanentes bene vivere contemnant* &c. Huc usque D. Thomas.

429. Ad *primam*) rationem contrariam Respond. subditus religiosus tenetur obedire in iis, quæ Prælatus potest imperare: Porro ille Prælatus, qui ver. gr. ipsemet subditum

 suum

suum temere infamavit, aut cum Calumniatore collusit, & dein ita diffamato præceptum silentii imposuit, caruit jurisdictione ad imponendum hoc casu silentium, & ad prohibendum ne læsus Superiorem sibi competentem Judicem adiret, vel adeat faciatque ea, quæ famæ suæ redintegrandæ profutura judicat. Dein Regularis tenetur obedire in iis, super quæ cadit promissio obedientiæ per votum facta: nunquam autem vovit ille silendam v. g. *hæresin*, aut simile crimen, si hoc sibi falso impositum, malitiose per ipsum Superiorem vel alios divulgetur.

Ad *secundam.*) Religiosus est mortuus suæ famæ circa objecta quæ contingunt *juxta Regulam*, non vero quæ eveniunt *supra*, vel *contra illam*, & *sanam rationem*, uti fieret, si ipse Superior infamaret subditum, & calumnias nedum non revocaret: sed etiam augeret, ac inde nobili, vel honestæ Religiosi familiæ *atrocem notam* inureret: hæc silenda ille nec vovit, nec vovere potuit. Unde *D. Bernardus* l. 1. de præcept. & dispens. col. 4. ait: *Nihil me Prælatus prohibeat horum, quæ promisi, nec plus exigat, quam promisi*. Et infra dicit: *monentes eos non cogentes ad celsiora*. Alioqui facile foret homines impune calumniari, & illis patientiam suadere, vel præcipere altum silentium.

Addunt etiam *Suar. Sanch. 6.* mor. c. 2. *Laym.* & alii, quod Religiosus vi voti obedientiæ non obligetur præcepto Superioris, si is ultra Regulam, aut *cum infamia subditi* in ejus *Familiam, vel alios* redundante quidpiam præcipiat, id enim est contra mentem Ecclesiæ, quæ juxta Christi exemplum caritatem & justitiam præcipit ab omnibus observandam, tanquam fundamenta omnis religiosi Instituti.

Nec refert, quod forte Regulæ jubeant *in omnibus, ubi peccatum clare non apparet, obedire*: aut quod Prælato *probabile* videatur se posse ita imperare &c. id enim (ajunt cit. DD.) non de *obligatione Voti*: sed de *obedientiæ perfectione* intelligitur, præsertim quod *probabilitas* Prælati, ubi de gravi *injuria tertii* vertitur, non habeat locum.

Ad *tertiam.*) Ille quidem vi suæ Professionis tenetur abnegare suam famam, *per media suo Instituto & sanæ rationi conformia*: non autem ita ut v. g. habeatur pro fure: hæretico: violento sui ipsius percussore: homicida: sacrilego, aut alio infami homine. Talia enim vergunt in præjudicium nedum Religionis, & subditi ita traducti: sed vel maxime in dedecus *familiæ sæcularis*, cujus ille nomen gerit,

nem-

nempe Parentum, fratrum, agnatorum ejus. Qui etiam *contra Prælatum* hujusmodi possunt distincta Actione *ex lege l. diffamari*, agere, si vel ille ipsemet temere diffamavit, vel colludere cum Calumniatore, & subdito silentium, quo minus se purgare possit, imposuisse, aliove modo impedire ne agat, deprehendatur.

Ad *quartam*.) Sicut Pater filiosfamilias, ita Prælatus subdito Religioso illatam injuriam, etiam eo reclamante condonare potest; si *illa non redundet in subditum & alios*; C. secus *si redundet*, ut docet *Less.* l. 2. c. 11. n. 124. cum communi aliorum, & patet ex *D. Th. August. Gregorio*, & aliis supra adductis *a n.* 425.) Aut certe Pater & Prælatus regularis possunt condonare Actionem injuriarum, quatenus irrogandæ *essent pœnæ* Calumniatori: non vero quatenus *restituenda est fama* & recantandæ infames calumniæ.

Ita si v. g. filiusfamilias falso traducatur adulterii, aut furti; Pater ejus poterit *invito filio* condonare Actionem *injuriarum pœnalem*: sed citra temeritatem nequit valide prohibere filio, ne contra Calumniatorem agat Actione *ad palinodiam*, vel ex *l. diffamari*, ad recantanda mendacia perniciosa, & famæ reparationem. Has enim Actiones lex nat. concessit, & in casibus, ubi infamia vergit in præjudicium innocentis familiæ, fratrum, cognatorum nobilium, aut ipsiusmet infamati, quo minus hic juxta statum suæ vocationis utiliter ac decenter vitam ducere in Religione possit; etiam præceptæ sunt, ut liquet jam ex supra allatis: Nam *melius est nomen bonum, quam divitiæ multæ*, Prover. 22. Unde etiam præcipitur: *curam boni nominis habe*, ac *Aug.* hic supra, incuriam hanc *crudelitatem* & cæteris illatam *injuriam* vocat, quam nullum Institutum religiosum approbare potest.

430. Dixi 1.) *Licet Prælato invito non possit instituere Actionem injuriarum*. Nam *Actio injuriarum* ex suo conceptu ad æstimationem est *pœnalis*, & arguit *publicam vindictam*, cum irrogatione pœnæ corporalis, vel mulctæ pecuniariæ, estque simul *pœnalis & personalis*. Quæ cum sapiat ultionem Judicis ope sumendam: non videtur respondere consilio Evangelico, condonationem pœnarum suadenti, quod consilium Religiosus *vi suæ professionis* ad perfectionem legis Evangelicæ tendere obligatus, præ aliis Christianis observare tenetur, ac proin eum *non decet* personales pœnas ex Calumniatore petere. Secus Actio *ad palino-*

X 3 *diam*;

diam; quæ est *persecutoria* tantum *famæ ablatæ*, estque *mixta* realis simul & personalis, ac ex se contenta est *sola revocatione*, seu reparatione famæ injuste ablatæ, ad quam etiam Jure nat. obligatur Calumniator.

Imo longe minus, modestiusque & Religioso magis conveniens est, quod ei competat præcise Actio *ad famam recuperandam*, quod fit tunc, dum non jam urgeo, ut Calumniator *sollemniter recantet*, quod est proprium Actioni *ad palinodiam*: sed ut ego meam innocentiam probem, quin petam ex Calumniatore pænam aliquam, vel sollemnem recantationem, propter quam rubore suffundi, & *juris infamiam* contrahere deberet. Atque hæc est differentia inter Actionem *ad palinodiam*: & inter Actionem *ad famam præcise recuperandam*, prout utraque hæc Actio distinguitur ab Actione *injuriarum* supra explicata.

431. Dixi 2.) in *plerisque casibus*. Quia si nulla *redundet infamia* in *tertium*, & calumnia illa se contineat intra parietes solius & unius Monasterii, ubi Religiosus degit, neque Superior ejus causa, complex, vel fautor & propagator fuerit: Religiosus citra scrupulum, etiam cum suo magno merito poterit, imo vi suæ Professionis, qua obligatur ad perfectionem tendere, debebit patienter sustinere, ubi nulla religiosa ac modesta purgationis remedia successerint. Salvo tamen semper jure recursus ad Superiorem mediatum *sui Ordinis*, v.g. ad Generalem, cujus judicio, prædicto casu, acquiescendum erit. Nisi forte etiam ex prædicti casus calumnia falso inflicta inhabilis ad munia sui Monasterii redderetur, aut ex eo innocens pellendus foret, &c.

## §. III.

### *Utrum in honore tuendo locus sit defensioni* occisivæ, *secundum Jus naturæ?*

432. Sciendum est, variis modis honorem tuum posse impeti & auferri, in quibus circumstantiis dubitari solet, an, & qualis sit a Jure natur. concessa defensio. Et quidem *primo*.) Si baculum, vel alapam tibi nitatur quis impingere. *secundo*.) Si contumeliis afficiaris sive per verba, sive per signa. *tertio*.) Si illata tibi forte alapa, cesset ab altera invasor ac fugiat. *quarto*.) Si nomini tuo falsis criminationibus apud Principem, Judicem, vel Viros honoratos detra-

detrahere quis nitatur, nec ulla ratione possis illud damnum famæ avertere, nisi eum occulte interficias, prout tanquam *PROBABILIUS* defendit *Bannes* Ord. Præd. Theologus ad 2. 2. *qu.* 64. *art.* 7. quod tamen *certo*, falsum, & ab Ecclesia proscriptum infra ostendemus. Demum *quinto*.) Si aliqua occasione provoceris ad duellum, & nisi acceptes, censeberis ignavus & meticulosus, nec possis amplius comparere in aula, vel ullam promotionem militarem sperare, uti in quibusdam aulis Principum dicitur esse usitatum.

433. In his omnibus & singulis læsi honoris casibus, quemadmodum juxta jam superius adducta momenta, datur jus defensionis *convenientis*, quæ moderamen *inculpatæ tutelæ* non excedit: ita defensioni *occisivæ* in praxi nullus jure fiat locus permittitur, quidquid theorice plerique in contrarium frustra senserint. Assertio hæc quo accuratius exponatur, eam per singula propositorum casuum membra deducere placuit.

I.) Si *baculum*, vel *alapam* quis nitatur tibi impingere, seposito primo impetu mentem plene perturbante, & omnem advertentiam auferente, nequis eum *deliberate*, licite occidere. Non solum quod ab *Alex.* VII. propositio 17. & ab *Innoc.* XI. propos. 30. proscriptæ sint, quæ hujusmodi licentiam tribuebant; sed etiam quod spectato *Jure naturali*, ut aliquis possit *cum moderamine* inculpatæ tutelæ *interfici*, duo requirantur, scil. ut *evidenter* grave damnum inferatur, & ut *evidenter* non possit moraliter alia via impediri damnum illud: alias innumeris cædibus aperiretur ostium: Id autem respectu *alapam* infligere *nitentis* vel *calumniantis* vix unquam verificatur, ita ut detur duplex hæc evidentia. Imo propter universale periculum multarum cædium, non potest esse licitum, etsi in *aliquo* casu videretur utrumque esse evidens, quia facile vindictæ amore, cæca passione decipimur. Demum *nisus* infligendi alapam potest impediri fuste, pugno, vel aliter citra efficacem animum occidendi, alioqui non servatur moderamen inculpatæ tutelæ, & defensio vergit in privatam vindictam jure natur. prohibitam.

II.) Si *contumeliis* afficiaris, nondum jus occidendi Calumniatorem acquiris. Satis enim est, quod in *statu Civitatis*, quo nunc vivimus, habeas Magistratus, & Judicem, apud quem per *actionem injuriarum*, aut *ad palinodiam* satisfieri læso honori suo possit, imo & per *retorsionem ver-*

balem, calumnia aut repelli, aut compensari, ut plerumque fit, possit.

III.) At neque illo casu quo *impacta tibi alapa* aggressor fugit, potes eum occidere. Cum enim vivas non in statu *puræ naturæ*, sed in statu Civitatis bene ordinatæ, quæ læsum honorem tuum publica auctoritate restituere in integrum, etiam cum pænis aggressori infligendis, potest, & periculum vitæ a fugiente nullum timeatur: sana ratio non sinit in occisionem consentire, quæ privatam vindictam saperet. Præsertim quod fugiens post calumniam non auferat secum honorem, sicut fur secum asportat surreptam v. gr. pecuniam: hinc paritas in contrarium adducta elumbis est.

Confer supra hic *n.* 421.) ubi *Francisci de Victoria* Dominicani Theologi sententiam hujusmodi, nedum a *Grotio* aliisque Protestantibus justa notatam censura: sed etiam a S. Pontifice proscriptam ostendimus. Imo praxis docet, hujusmodi *occisivas* defensiones, utpote non servato inculpatæ tutelæ moderamine, ultimo supplicio a Magistratibus puniri.

IV.) Equidem circa *quartum* casum *Bannes* Ord. Prædicator. Doctor ad 2. 2. quæst. 64. artic. 7. dub. 5. putat esse probabilius *licere calumniatorem occulte occidere*, si nomini tuo *falsis criminationibus* apud Principem, Judicem, vel Viros honoratos detrahere *nitatur*, nec ulla ratione possis illud damnum famæ avertere, nisi occidas, addens: idem dicendum esse, etiamsi crimen sit verum, dummodo occultum:

Verum hæc *major probabilitas Bannesiana* est maxima falsitas proscripta ab *Alex.* VII. in propos. 17. 18. 19. & ab *Innoc.* XI. in propos. 30. 31. & 32. Cujus etiam *ratio* est, quia alioqui multis occultis cædibus, cum magna Reipublicæ perturbatione præberetur occasio. In jure enim defensionis semper considerandum, ne eius usus in perniciem societatis humanæ vergat. Tunc enim jus natural. illam non permittit. Quo etiam facit, quod infamia illa, vel sit jam illata, vel non: Si *est illata*, non extinguetur per mortem infamantis, sed potius confirmabitur. Si *non est illata*, non satis sibi constat *aliter* non posse eam impediri, quam ut occidas, ac proin non poteris eo modo defensionis uti.

434. V.) Quintus & ultimus modus lædendi honoris est,

est, si ad *duellum* provoceris, & nisi acceptes, censeberis ignavus &c. Non est autem hic sermo de iniusta aggressione, quando *subito* v. g. in rixa impetitus te defendis: Sed quæstio est de *duello* formali, quod sonat *duorum pugnam ex condicto*, determinando locum, tempus &c. Certum quoque est jure nat. licitum esse *duellum* ex causa gravissima *publici boni*; v. g. ad extinguenda bella inter duos Reges, aut ubi salus Patriæ, cui vita subditorum subordinatur, id exigeret. Tunc enim fieret *publica auctoritate*, ac ex naturali officio, quo Princeps obligatur erga Rempublicam, alioqui neque justa bella licerent: cum tamen præstet unum perire, quam multos.

Quemadmodum vero hæc certa sunt, ita ambigi nequit in casu proposito *diffidationis*, ac prætextu læsi honoris, seu abolendæ notæ timiditatis &c. jus nat. non tibi permittere licentiam *acceptandi duelli*. Quod verum est, etiamsi *status civitatis* fuisset male ordinatus, & Judices in administranda justitia non fungerentur suo officio:

Vitam enim propriam & alienam in discrimen vocare *ob levem finem*, repugnat rectæ rationi, consequenter & legi nat. Levis autem finis est, ne temere provocatus, apud paucos, eosque solos, qui vani nominis umbram sequuntur, & qui Divinæ ac humanæ, imo *omnium fere Gentium* legis contemptores sunt, ac inter homines leves, parumque prudentes computantur, notam timiditatis incurras. Apud alios enim *cordatos* Viros ignaviæ notam non incurrit, qui ne DEUM & leges offendat, *duellum* probro & capitali pœna dignum recusat. Imo insipiens potius & vitæ imprudenter prodigus a sanis habetur, qui illud acceptat. Demum quia duellum, hoc est *privata vindicta*, jure nat. *absolute* prohibetur, ac repugnat naturali prudentiæ.

Si Vir dives ac opulentus temere invitaretur ad projicienda omnia sua bona in flumen, alioqui pro avaro habendus; nunquid *insipiens esset*, si ad evitandam avaritiæ notam id faceret, bonaque sua in flumen projiceret? Porro idipsum facit, qui ad privatum duellum provocatus comparet, ne *timidus* videatur.

Legis naturalis prohibitionem declarant Leges nedum Divinæ, verum etiam humanæ. Præterquam enim quod vix aliqua Gens adeo barbara reperiatur, quæ duella non prohibeat, & severe non puniat, illa, ubi alter alterum injuriis forte aliquibus lacessitus provocat ad *duellum* & alter

alter comparet, sunt in Republica Christiana illicita, & in Imperio S. Romano vetita. Quia hujusmodi provocatio & acceptatio Magistratui politico auctoritatem suam detrahit, & contra manifestam legem naturalem, & Divinam, *vindictam sibi sumit*, ac reipsa injustitiæ eum arguit; qui tamen in hunc finem a DEO est constitutus, ne quis sibi ipsi jus dicat, & propriam ultionem exerceat; *l. extat* 13. *ff. quod metus caus.* ac *l. ult. C. de vi privat.*

435. *Maximilianus* etiam I. Omnes *diffidatores duella* offerentes, & acceptantes Cæsareo banno subjecit, & ex Imperio proscripsit in Comitiis Vvormatiensibus art. 2. & 3. Anno 1495. Maximiliani constitutionem firmavit *Carolus* V. in Comitiis aliis Vvormat. *art.* 1. *&* 2. magis autem roboravit in Comitiis Augustanis, *art.* 1. 2. *&* 3. Anno 1548. *Ferdinandus* deinde in Recessu Imp. Augustæ, §. 45. *& seq. Anno* 155. duella penitus extirpavit.

Jus quoque sacrum gravi animadversione prohibet *duella*, ut liquet ex *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 19. *de Reform.* pariter ac ex proposit. 2. ab Alexand. VII. prop. 30. ab Innoc. XI. & quinque propositionibus a Bened. XIV. proscriptis, quas retulimus in *Erotem. theor. pract. a f.* 390. ) ubi etiam demonstratum est, per *duellum* non vindicari honorem læsum: sed eum magis lædi potius & amitti. Talis quippe habetur pro infami legum naturalium, Divinarum & humanarum transgressore, & se servum infamis supplicii constituit, juxta adductas leges S. Rom. Imperii, imo & omnium aliarum bene moratarum Regionum.

Cum igitur omnium Populorum & legislatorum *consensus* sit in proscriptionem *duellorum*, illa nequeunt jure nat. non esse prohibita, tanquam *ex se* vergentia in detrimentum Reipublicæ humanæ, *privatæ vindictæ* exercitium, & *imprudentem* vitæ suæ, cujus nemo habet dominium, periculo expositionem, ac aggressionem alterius, in quam *privata auctoritate* nullum jus habemus.

436. Est quidem non nemo J. U. Doctor, qui asserere non erubuit: propositiones a summis Pontificibus circa licentiam *duelli* damnatas nullius momenti esse argumentum; *primo.* ) Quod illi tanquam *privati Doctores* eas proscripserint. *Secundo.* ) Quod tam summorum Pontificum, quam Imperatorum & Regum hac super re publicatæ constitutiones nequeant vim legis obligantis habere, eo quia *famæ periculum est certum, mors incerta. Tertio.* ) Demum, quod

cum

cum homo habeat sibi jus a lege nat. concessum, famam honoremque suum, pariter ac vitam tuendi, nulla lex humana derogare privilegio huic, atque adeo neque duella prohibere possit. Hæc ille.

Sed ineptire & nugari potius quam argumentari *Legista* hic merito censendus est, ubi ita imperite de legibus ac temere de summorum Principum legislativa potestate sentit. Fallitur quippe *primo*, ) quod SS. Pontifices *privata tantum auctoritate* propositiones illas condemnarint: Cum enim Juris utriusque, atque adeo Canonici etiam se Doctorem profiteatur, scire deberet & discere, quod propositiones *ad materiam morum* spectantes, & toti populo Christiano perniciem, scandalum, & jacturam sive animarum, sive vitæ, aliorumque malorum periculum invehentes, SS. Pontifices non privata tantum: sed publica, a Christo accepta auctoritate profligare & inhibere soleant, ac debeant.

Quodsi forte *Legista* ille contra hujusmodi summorum Pontificum prohibitiones adhuc excipere velit, eo quod *putet* materias *morum* iuxta ac *Fidei articulos* a Conciliis, non a solis SS. Pontificibus determinari debere: habet hac in parte severissimum Decretum Oecumenici Concilii Tridentini, quod *seß.* 25. *c.* 19. *de Reform.* ait: *Detestabilis duellorum usus*, NB. *fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe PENITUS EXTERMINETUR &c.* Reliqua verba Decreti hujus possunt legi in *cit. c.* 19. ubi sub pœna excommunicationis prohibentur Domini Territoriorum, ne *locum ad monomachiam in terris suis* concedunt Christianis, aliique rigores & pœnæ *ibid.* statutæ leguntur. Summi igitur Pontifices damnando propositiones illas, non aliquam novam legem condiderunt: sed antiquam Ecclesiasticam, imo naturalem & divinam declarant.

Fallitur *secundo*, ) ubi Summorum Imperantium impugnat Decreta ex hac frivola ratione, quod *famæ periculum sit certum: mors incerta.* Nam 1. ) Si aliquod famæ est periculum, est apud solos homines leves & imprudentes, ut supra ostendimus. 2. ) Ineptum est medium velle *famam* recuperare *per longe majorem infamiam*, sive enim occidatur, sive occidat, non reparat famam: sed majorem incurrit infamiam temerarius homicida, aut vitæ alterius infamis aggressor, qui & a Divinis & humanis judiciis justam condemnationem timere cogitur.

Quo

alter comparet, sunt in Republica Christiana illicita, & in Imperio S. Romano vetita. Quia hujusmodi provocatio & acceptatio Magistratui politico auctoritatem suam detrahit, & contra manifestam legem naturalem, & Divinam, *vindictam sibi sumit*, ac reipsa injustitiæ eum arguit; qui tamen in hunc finem a DEO est constitutus, ne quis sibi ipsi jus dicat, & propriam ultionem exerceat, *l. extat* 13. *ff. quod metus caus.* ac *l. ult. C. de vi privat.*

435. *Maximilianus* etiam l. Omnes *diffidatores duella* offerentes, & acceptantes Cæsareo banno subjecit, & ex Imperio proscripsit in Comitiis Vvormatiensibus art. 2. & 3. Anno 1495. Maximiliani constitutionem firmavit *Carolus* V. in Comitiis aliis Vvormat. *art.* 1. *&* 2. magis autem roboravit in Comitiis Augustanis, *art.* 1. 2. *&* 3. Anno 1548. *Ferdinandus* deinde in Recessu Imp. Augustæ, §. 45. *& seq. Anno* 155. duella penitus extirpavit.

Jus quoque sacrum gravi animadversione prohibet *duella*, ut liquet ex *Conc. Trid. Sess.* 25. *c.* 19. *de Reform.* pariter ac ex proposit. 2. ab Alexand. VII. prop. 30. ab Innoc. XI. & quinque propositionibus a Bened. XIV. proscriptis, quas retulimus in *Erotem. theor. pract. a f.* 290. ) ubi etiam demonstratum est, per *duellum* non vindicari honorem læsum: sed eum magis lædi potius & amitti. Talis quippe habetur pro infami legum naturalium, Divinarum & humanarum transgressore, & se servum infamis supplicii constituit, juxta adductas leges S. Rom. Imperii, imo & omnium aliarum bene moratarum Regionum.

Cum igitur omnium Populorum & legislatorum *consensus* sit in proscriptionem *duellorum*, illa nequeunt jure nat. non esse prohibita, tanquam *ex se* vergentia in detrimentum Reipublicæ humanæ, *privatæ vindictæ* exercitium, & *imprudentem* vitæ suæ, cujus nemo habet dominium, periculo expositionem, ac aggressionem alterius, in quam *privata auctoritate* nullum jus habemus.

436. Est quidem non nemo J. U. Doctor, qui asserere non erubuit: propositiones a summis Pontificibus circa licentiam *duelli* damnatas nullius momenti esse argumentum; *primo*. ) Quod illi tanquam *privati Doctores* eas proscripserint. *Secundo*. ) Quod tam summorum Pontificum, quam Imperatorum & Regum hac super re publicatæ constitutiones nequeant vim legis obligantis habere, eo quia famæ *periculum est certum, mors incerta. Tertio*. ) Demum, quod

cum

cum homo habeat sibi jus a lege nat. concessum, famam honoremque suum, pariter ac vitam tuendi, nulla lex humana derogare privilegio huic, atque adeo neque duella prohibere possit. Hæc ille.

Sed ineptire & nugari potius quam argumentari *Legista* hic merito censendus est, ubi ita imperite de legibus ac temere de summorum Principum legislativa potestate sentit. Fallitur quippe *primo*, ) quod SS. Pontifices *privata tantum auctoritate* propositiones illas condemnarint: Cum enim Juris utriusque, atque adeo Canonici etiam se Doctorem profiteatur, scire deberet & discere, quod propositiones *ad materiam morum* spectantes, & toti populo Christiano perniciem, scandalum, & jacturam sive animarum, sive vitæ, aliorumque malorum periculum invehentes, SS. Pontifices non privata tantum: sed publica, a Christo accepta auctoritate profligare & inhibere soleant, ac debeant.

Quodsi forte *Legista* ille contra hujusmodi summorum Pontificum prohibitiones adhuc excipere velit, eo quod *putet* materias *morum* juxta ac *Fidei articulos* a Conciliis, non a solis SS. Pontificibus determinari debere: habet hac in parte severissimum Decretum Oecumenici Concilii Tridentini, quod *sess.* 25. *c.* 19. *de Reform.* ait: *Detestabilis duellorum usus*, NB. *fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur, ex Christiano orbe PENITUS EXTERMINETUR &c.* Reliqua verba Decreti hujus possunt legi in *cit. c.* 19. ubi sub pœna excommunicationis prohibentur Domini Territoriorum, ne *locum ad monomachiam in terris suis* concedunt Christianis, aliique rigores & pœnæ *ibid.* statutæ leguntur. Summi igitur Pontifices damnando propositiones illas, non aliquam novam legem condiderunt: sed antiquam Ecclesiasticam, imo naturalem & divinam declarant.

Fallitur *secundo*, ) ubi Summorum Imperantium impugnat Decreta ex hac frivola ratione, quod *famæ periculum sit certum: mors incerta*. Nam 1. ) Si aliquod famæ est periculum, est apud solos homines leves & imprudentes, ut supra ostendimus. 2. ) Ineptum est medium velle *famam* recuperare *per longe majorem infamiam*, sive enim occidatur, sive occidat, non reparat famam: sed majorem incurrit infamiam temerarius homicida, aut vitæ alterius infamis aggressor, qui & a Divinis & humanis judiciis justam condemnationem timere cogitur.

Quo

Quo etiam fit, ut occisores hujusmodi perpetrato homicidio *in monomachia*, fugiant, & cuti suæ timeant, non aliter ac improbus *Cain* occiso *Abele* fratre suo: non facturi id, si actus foret honestus & licitus. 3.) Etiamsi forte mors esset incerta: at *mortis periculum* proximum omnino *certum & evidens* est, cui *temerarie* vitam exponere nulla lex permittit:

Porro scire deberet Doctor ille, quod exponere se ipsum *proximo* vitæ periculo contra legem nat. Divinam & humanam, ex sola *privata vindicta*, vana honoris persuasione aut famæ, vel ex his motivis alterum velle occidere: coram DEO idem sit, ac si vel sibi ipsi violentas manus injecerit, vel alterum *dolo malo* occiderit: sufficit enim in his consensus perfectus, quidquid sit de actu externo, qui malitiam *formalem* non, aut vix *secundum aliquid* superaddit actui interno.

Hinc si laqueo cervicibus tuis injecto suspendas te e trabe vel fronde, licet mors nondum sit certa (fieri enim potest, ut laqueus rumpatur, aut eum superveniens aliquis refecet & præcidat, atque ita vitam tuam conservet) nihilominus sive mors hæc sequatur, sive non, coram DEO & hominibus semper es infamis. Id ipsum contingit in duello, cum sufficiat conatus & quidem notorius, vitam sibi ipsi, vel alteri adimendi ob *privatam vindictam*.

Fallitur *tertio*,) allegans *jus a natura concessum*: Jus enim hoc a natura non aliter concedi potuit, quam concedente DEO naturæ Auctore: Atqui hic non potuit id concedere homini ob *privatam vindictam*, ac propria auctoritate attentandum. 1.) Quia vindictam privatam utpote *intrinsece* malam, & amori mutuo ac societati humanæ in reciproco amore consistenti directe contrariam *absolute* prohibuit, uti etiam per Prophetam, imo & per Apostolum suum ait: *Mihi vindicta, & ego retribuam*. 2.) Auctor naturæ non potuit *dominium* suum, quod solus habet *in vitam hominis*, abnegare, transferendo illud in arbitrium hominis *privati*; abnegaret autem permittendo illi, ut *pro suo placito* & phantasia libere ac licite de ea disponat, sive voluerit propriam, prætextu vani honoris privati exponere mortis periculo: sive alterius ex eadem causa invadere.

Privilegii hujus igitur concessio absolute repugnat perfectissimæ gubernationi Divinæ, pari ratione ac repugnat, ut ille permiserit homini propter famæ vel infamiæ motivum

se

se ipsum e trabe suspendere, aut de rupe præcipitare, vitamque miseram adimere, cujus solum *usum honestum*, non item *dominium directum* concessit, obligando eum, ut illa utatur pro sui Creatoris gloria, & ad communem Reipublicæ humanæ, proximique sui *prudentem* utilitatem.

Demum 3. ) Patet jam *a num.* 41. ) Jus nat. *concessivum* posse impediri humana auctoritate, tanto magis Divina. Si igitur, per impossibile, concessa fuissent aliquando *privata duella*, non possent jam tolerari post tot prohibitiones legitime emanatas: multo minus cum illa nunquam jure nat. non prohibita fuerint.

## §. I V.

### *Utrum pro defensione pudicitiæ Jus nat. permittat invasorem occidere?*

437. QUamvis *D. Aug.* l. 1. de lib. arbitr. c. 5. dubitet de hujusmodi licentia: communis tamen opinio nihil ambigit de jure hujusmodi. Quia pudicitia pluris merito æstimatur, quam multæ opes, quæ amissæ reparari possunt, non item illa, canente *Ovidio* epist. 5.

*. . . nulla reparabilis arte*
*Læsa pudicitia est, deperit illa semel.*

Hanc ob causam, & præsertim, quia amissio pudicitiæ constituit *in periculo peccati*, defensio ejus etiam *occisiva* contra iniquum aggressorem jure nat. permissa est. Cujus sententiæ Ethnici quoque fuisse deprehenduntur. Ait enim *Plato* de legibus l. 9. *Qui mulierem liberam, aut puerum ad rem veneream vi subegit, impune non ab eo solum, cui vis est illata, verum etiam a patre, fratribus, filiisque vita privetur.* Hinc ut scribit *Cicero* Orat. pro Milone, Adolescens, qui Tribunum occiderat, volentem vim inferre ejus pudicitiæ, a *Mario* exercitus Imperatore absolutus fuit.

Quia tamen, ut ait *Seneca* ep. 102. *Mens impudicam facere, non casus solet.* Et *D. Aug.* de Civit. DEI L. 1. c. 18. docet: *Non amitti corporis sanctitatem, manente animi sanctitate, etiam oppresso corpore*: ob hanc rationem, sunt, qui cum *Molin.* de J. & J. tr. 3. d. 17. n. 11. *Dicast.* de J. & J. l. 2. tr. 1. d. 10. d. 51. n. 65. putant non obligari Virginem, ut vim
inten-

intentatam ſtupratoris nece repellat: ſed laudabilius fore vim ſuſtinere, quam violatorem orco tranſmittere; *dummodo abſit periculum conſenſus*: Secus utique valeret illud Matth. 16. v. 26. *Quam dabit homo commutationem pro anima ſua?*

438. Sunt etiam, qui aſſertum hoc pudicitiæ defendendæ a lege nat. indultum privilegium, ad prætenſam *privati duelli* licentiam extendere ſatagant, hunc in modum ratiocinantes: licitum eſt *occidere invaſorem pudicitiæ*: igitur & invaſorem famæ, aut honoris licebit provocare in duellum, eumque *occidere, vel ab eo occidi*.

Verum inepta argumentatio eſt. Neque enim imminet prudens periculum conſenſus in peccatum illi, qui v. gr. læditur verbo aut alapa injuſte ſibi inflicta, ſicut imminet ei puellæ, quæ iniquum ſtupratorem pateretur: neque alapa, aut injurioſum verbum obeſt *integritati corporis*, prout obeſt ſtuprum. Neque corpus mortis, nec animam propriam æternæ damnationis periculo, & etiam temporalibus pœnis ac infamiæ apud homines, juraque tam ſacra quam civilia, exponit defenſione *occiſiva* defendens *pudicitiam*, ſicut omnibus ac ſingulis his ſe exponit & ſubjectus eſt ad *privatum duellum* provocans, & comparens.

Demum puella ſtuprum paſſa, ſi ſtupratorem non occidit *impediendo* turpem actum, non poterit eum *ex poſt facto* propria auctoritate occidere: quia id redoleret propriam vindictam, cujus exercendæ privata auctoritate nullum jus habet: Ita pariter, quamvis juxta *n.* 433.) habeas jus *citra moderamen inculpatæ tutelæ* te defendendi contra alapam temere *infligendam*, ſi tamen hæc jam inflicta eſt, nullum habes jus occidendi eum, qui inflixit.

439. Ex his igitur, non minus ac ex iis quæ *a n.* 432.) adduximus, patet inepti argumenti hujus ſolutio, quod ab inſano cerebro excogitatum eſſe vel inde conſtat, quod ille, qui in ſua fama vel honore læſus eſt, ideo ad duellum provocare alterum velit, ut vel hunc *occidat, vel ab eo occidatur*: porro quid homine rationis compote indignius eſt, quam ideo velle *occidi*, quia alapa percuſſus eſt, aut verbo injurioſo læſus, quaſi una injuria non eſſet contentus, niſi etiam vita privetur. Recte proin *Apoſtolus* ait: *Sapientia hujus mundi ſtultitia eſt*.

440. Hac ipſa autem ſapientia imbuti ſunt illi Sophi, & temerarii Doctores, qui licentiam *privati duelli* evincere con-

contendunt, nitentes contra torrentem omnium legum & Nationum illa feverissime prohibentium, ita ut etiam apud *Turcas* ad duellum provocans & comparens ultimo supplicio puniatur.

Apud *Tartaros* autem seu *Scythas* non alia permissa sunt duella, quam ut *nervis bubulis*, aut *scutica* armati manus conserant, ex quo conflictu neutri mortis periculum, aut vulneris imminet; sed sola *per indusium* facta flagellatio vicissim sustinenda est. Hujusmodi duella si forte etiam inter Christianos toleranda quis contendere velit, paucos sententiæ suæ habiturus est adversarios, multos vero, non sine risu approbatores.

## C A P U T IV.

*De officiis & obligationibus naturalibus hominis erga proximum, Rempublicam, & Civitatem.*

### A R T I C U L U S I.

*De causa exigente officia hominis erga proximum, eorumque varietate.*

### S U M M A R I U M.

441. *Quid sint, & quo fundamento officia aliqua proximo nostro debeantur?*
442. Senecæ *& aliorum Ethnicorum sententia.*
443. *Statuitur verum fundamentum officiorum erga proximum.*
444. *An detur obligatio nat. ad officia interna proximo exhibenda?*
445. &c. *Respondetur* affirmative: *Et solvuntur contraria.*
448. *An aliqua officia* inimicis *nostris exhibenda?*
449. Inimici *alii publici, alii privati; refellitur* Heineccius.
450. *Privatis* inimicis *exhibenda sunt officia: quando autem publicis?*
451. *Peccatum inimici odio habendum, non ejus persona.*
452. *Communia dilectionis signa debentur inimicis.*
453. *Hæc tamen possunt negari a Superioribus.*
454. *Signa* specialia *dilectionis sunt tantum* de consilio.
455. *In quo consistat condonatio injuriarum?*
456. *Quid sit* ex animo *remittere injurias?*

457. *Re-*

## §. I.

### *Quid sit, & quo fundamento exhibendum sit aliquod officium proximo nostro?*

441. EXposuimus hic supra *a n.* 258.) officia hominis erga proximum esse *actiones, vel earum omissiones, quas ille jure nat. debet alteri homini, tam unicuique in singulari, quam Magistratibus, Civitati, vel Reipublicæ.* Officia hæc diximus *num. cit.* esse in quadruplici classe; scilicet 1.) *Perfecta*, quæ nil aliud sunt, quam *Actiones, vel earum omissiones jure naturali, eoque interdum etiam rigoroso ac proprie tali præceptæ* ita, ut alter eas jus exigendi habeat: utpote fundatas in debito naturali. 2.) Officia *imperfecta*, quæ sunt *Actiones, vel earum omissiones, non in debito quidem omnino rigoroso pariente alteri jus strictum eas exigendi, bene tamen adhuc in æquitate naturali fundatæ*, a qua imperantur omnia officia illa, quæ dicimus tantum *ex amore*, seu *caritate* proximo deberi, quin ipsi debeantur ex justitia commutativa. Talia officia sunt, quæ *accipienti prosunt, & dantem non gravant.* 3.) Officia *absoluta* sunt, quorum *obligatio* cum *homine ipso oritur.* Illa proin debentur proximo secundum obligationem omnibus & singulis hominibus communem, nullo supposito jure, quod proveniret ex facto aliquo nostro; id est, obligamur absque omni contractu, consensu nostro, juramento & promissione. 4.) Officia *Hypothetica* a contrario sunt illa, quæ ex hypothesi alicujus *facti* nostri, vel alieni debentur proximo. Prout sunt illa, quæ debentur ex contractu, promissione, pacto, damno dato, aliave simili causa. Suntque varia, pro varietate *status adventitii*, & terminantur non solum ad proximum: sed etiam *ad DEUM*, uti fit, si quid ex promissione & voto aliquid illi præstandum sit, ut diximus *a n.* 259.)

Porro tam *Hypothetica*, quam *Absoluta* sunt *perfecta* officia, utpote præcepta a lege nat. ita, ut pariant in altero *jus* illa *exigendi*, ac proin fundatur in *debito naturali*, sive dein

dein obligatio eorum proveniat a justitia *commutativa* & rigorosa, sive a mere *legali naturali*, quam alii vocant *minus rigorosam* justitiam, a quali descendit præceptum prohibens ne proximo etiam mere *officiose* mentiamur, ut cibo & potu moderate utamur, temperate vivamus &c. De quibus singulis, pluribus in decursu hujus *capitis* 4. agemus.

442. Quod vero aliqua officia ab homine *necessario* exhibenda sint aliis hominibus, naturalis ratio dictat, & omnes hac in parte consentiunt. Unde *Seneca* Epist. 48. ad Lucill. ait: *Homo homini vivere debet*: quo autem fundamento? affert hic ipse Philosophus *loc. cit.* rationem; quod scilicet id ad naturalem beatitudinem societatemque humanam requiratur, ita enim docet: *Nec enim potest quisquam beate degere, qui se tantum intuetur; qui omnia in utilitates suas convertit. Alteri vivas oportet, si vis tibi vivere, hæc societas diligenter & sancte observanda est, quæ nos omnes hominibus miscet, & judicat aliquod esse commune JUS GENERIS humani.*

Solidius adhuc causam obligationis nostræ erga alios homines attingere voluit *Cicero*, qui postquam *l. 1. offic.* dixerat: *Homines hominum causa sunt generati, ut ipsi inter se aliis prodesse possint*. Dein *l.3. offic.* ait: *Hoc natura præscribit, ut homo homini, quicunque sit ob eam ipsam causam tantum, quod is homo sit, consultum velit*. Verum rationes hæ Ethnicorum nondum attigerunt genuinum fundamentum quæstionis hujus, cur homo homini aliqua officia *necessario* debeat. Et quamvis nonnulli e Christianis Naturalistis fundamentum *adæquatum* & *ultimum* obligationis hujusmodi statuant *in Amore* proximo nostro a nobis debito: sed neque hi satisfaciunt, cum respondeant per id, de quo quæstio vertitur, hæc quippe procedit: *Quo fundamento homo homini necessario debeat amorem?* illi vero reponunt: *Quia amor hic est debitus*: nec probant unde hoc debitum proveniat, atque ita ludunt verbis, difficultatem autem non explanant.

443. Dicendum igitur est, quod *ultimum* hoc & *adæquatum* fundamentum officiorum hujusmodi, seu principium *constitutivum* sit *voluntas DEI*, nobis, quid proximo exhibere, vel omittere debeamus, per dictamen rationis nostræ necessario imperantis: *Indicativum* autem obligationis ejusdem principium & fundamentum est idem ac obligationis erga DEUM, & erga nosmetipsos. Qua enim ratione ho-

mo debet amorem erga *naturæ Auctorem*, & *se ipsum* propter DEUM, infinite bonum, & omni amore dignum: hac eadem ratione obstringitur etiam amare proximum, illique certa officia *necessario* exhibere:

Tale autem principium est DEUS ipse, *qua sapientissimus Auctor & Gubernator* naturæ humanæ, qui si mutuum amorem, illaque officia hominis *erga hominem* necessario non præcepisset, quæ ad naturalem beatitudinem, quietem & pacem in Republica humana requiruntur, ac istis contraria non prohibuisset, non sapienter condidisset, nec provide gubernaret creaturam rationalem, male quoque eam ordinasset ad finem ultimum & adæquatum, etiam naturalem obtinendum. Repugnat quippe dari aliquam beatitudinem etiam *mere civilem*, si Respublica Civium amore destituta mutuis odiis & dissensionibus fluctuet.

Necessarium igitur fuit ad rectam constitutionem & gubernationem naturæ humanæ, ut DEUS præciperet *amorem* mutuum, qui sicut se ipsum non potest non amare, ita non potuit non præcipere, ut homo *hominem ad DEI perfectiones manifestandas conditum diligeret propter illum*, prout id pluribus demonstravimus *a n. 83.*)

Amor itaque proximo debitus est principium solummodo *inadæquatum* ac imperfectum, seu potius *motivum* officiorum homini ab homine præstandorum, ex quo *necessitatem* eorum haud recte inferre possumus, siquidem DEUS extra se nihil absolute *necessario* facit, vel omittit, præcipit vel prohibet, nisi id, quod perfectiones ejus divinæ exigunt, ut constat jam ex n. 105.)

## §. II.

### *An detur obligatio naturalis exhibendi officia proximo etiam* interna?

444. Nedum positivo, quod hic & nunc extra nostrum forum est; sed etiam *naturali jure* spectato, homo obligatur proximum suum diligere, non *externo* tantum: verum *interno* etiam actu. Et de *externo* quidem non ambigitur, alioqui nulla officia hominis *erga hominem* fuissent jure hoc præcepta, si ne quidem *externa* ipsi deberentur: Ita autem nec ulla vita socialis inter homines institui posset, neque pax & quies, consequenter nec felicitas naturæ rationali conveniens unquam obtineri posset.

De

De solo autem *interno* dilectionis actu dubitabant olim Naturalistæ & T.T. propter sequentia momenta. I. ) Externa tantum dilectio in proximi bonum cedit, nec ille intuetur cor ut DEUS. II. ) Vel deberem diligere omnes homines in confuso? at hoc est inutile: vel omnes in particulari? at hoc est impossibile. Cur hos autem quam alios; nulla est ratio. Igitur sufficit ut in necessitatibus occurrentibus præsto simus exhibendo *sola externa* officia caritatis *debita*. III. ) Sufficit dilectio proximi virtualis ac interna, prout est inclusa in DEI dilectione. IV. ) Juris nat. generale præceptum exposuit ipse Christus Dominus; qui solum præcepit actus amoris externos: *Omnia ergo, quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos* NB. *FACITE illis*. Et 2. *Joan. c.3.* dicitur: *Non diligamus verbo, neque lingua* ( atque adeo neque corde ) *sed* NB. *opere & veritate*. V. ) Quodsi aliquis S. scripturæ textus afferatur, qui actum amoris *interni* videatur præcipere, amor hic solum ad *perfectionem* caritatis jure nat. præceptæ: non vero *ad obligationem* ejus spectat.

445. Verum hæc tanta non sunt, quæ actus *internorum* officiorum obligationem excludant. Sicut enim datur speciale præceptum *naturale* diligendi DEUM actu *interno* & *formali*, ut apud omnes, præter *Puffendorfium* & ejus erroneos sequaces, minime controversum est: ita diligere etiam proximum propter DEUM & post DEUM actu quoque *interno* obligamur. Idque ex his rationibus: Tum quod homo debeat esse *paratus* ad succurrendum proximo in necessitate extrema *saltem*, vel quasi extrema; item condonare ex animo injurias, &c. ista vero animi comparatio nequit esse sine actu interno. Tum quia id necessarium est ad generis humani conservationem, pacem, & ultimo tandem id exigit summa perfectio DEI, qua Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ, quæ ab eo fuisset imperfecte constituta, si tantum apparenter & externe sufficeret homini exhibere amoris officia. Hac quippe ratione hypocrisis potius, fallacia, & omnis iniquitas externa operum specie contecta foveretur.

446. Bene proin *Inn.* XI. proscripsit *propositionem* 10. & 11. veritati a nobis assertæ contrariam; cui neque Adversariorum argumenta obstare possunt. Nam ad I.) R. quamvis proximus non intueatur cor; *exigit* tamen dilectionem etiam *internam*, sine qua consistere nequit externa, hu-

mano modo & deliberate exhibita, cum actus *externus liber* ac præmii alicujus vel pœnæ meritorius, absolute nequeat exerceri sine interno, nihil quippe volitum nisi præcognitum. Ad II. ) Ita proximus *in confuso* diligendus, ut animus sit *paratus* ad diligendum quemlibet in particulari, etiam *inimicum*, si *necessitas* occurrat: ad hoc autem necesse est, ut aliquando exerceatur actus dilectionis tam in confuso, quam & in particulari. Ad III.) Non sufficit *ulla* dilectio proximi *virtualis inclusa in DEI dilectione*, qua volumus servare omnia ejus præcepta: sicut non sufficit talis dilectio DEI. Si enim in DEO tantum deberet diligi proximus, non essent *duo præcepta* naturalia: sed unum tantum, consequenter non forent præcepta officia alia ab illis, quæ præcipiuntur exhibenda DEO.

Ad IV.) Dum a Christo legis naturalis interprete & Auctore exponitur in *cit.* textu lex naturæ, ibi ita præcipitur actus externus caritatis, ut etiam simul insinuetur præceptus esse *implicite* internus, eo quod hic sit necessarius, ut homo sit *paratus* aliis succurrere in necessitatibus, parcere in obligationibus dissidii, inimicitiæ & offensionum. *Paratus* quoque esse debet unicuique quod suum est tribuere, nullum lædere. Imo unusquisque nostrum vult, ut alii de nobis bene sentiant, bene rebus nostris optent, & precentur nedum externe; sed etiam *interne*: cum igitur velimus ut hæc nobis alii exhibeant, consequens est obligari nos vicissim ad similia nedum opere ipso: sed etiam animo præstanda, eaque tam *positiva*, quam *negativa*.

Ad V. ) Actus internus *ad perfectionem* tantum amoris jure nat. præcepti requiritur solum *in casibus meri consilii* naturalis, qualia sunt *pleraque* circa officia *imperfecta* non fundata in debito naturali : non item *in casibus quoque necessitatis* proximi, in quibus succurrendi adest præceptum naturale. Tunc enim tam internus, quam externus amor exhibendus est; *bonum enim est ex integro, malum ex singulis defectibus*.

447. Nec refert, quod Christus Dominus Joan. 13. dicat: *Mandatum NOVUM do vobis, ut diligatis invicem, sicut dilexi vos*. Hæc enim mandati novitas non id importat, ac si nunc primum per legem *positivam* Divinam actus *internæ* dilectionis erga proximum præciperetur: sed quod vi istius novi mandati teneamur *aliquando* proximum diligere amore *supernaturali*, orto ex motivo cognito *lumine* super-

*supernaturali* Fidei, ut exponit *D. Aug.* t. 9. tr. 9. in Joan. 4.
Atque adeo naturalis obligatio nequit eludi verbis a Christo Domino adductis. Alioquin *mere interna temeraria judicia* de proximo: *mere interna* item *odia* contra illum in corde nostro retenta, non essent jure nat. prohibita: quod tamen sentire omnino erroneum est.

## §. III.

### *An, & qualia officia Jus naturæ disponat inimicis nostris exhibenda?*

448. IN resolvenda quæstione hac duæ reperiuntur sententiæ secum pugnantes. *Altera* est Protestantici Naturalistæ *Heineccii* in Elem. J. N. & G. l. 1. c. 8. §. 219. & 220. asserentis: *inimicis non denegandas esse res, quibus abundamus*, quia Christianis (ait ille) inculcatur *Matt.* 5. diligendos esse inimicos, & quod humanitatis officia hæc *imperfecta* non proficiscantur *ob alterius merita*: *sed ob æqualitatem naturæ*. Hæc ille. Altera priori contraria opinio est multorum cum *Grotio*, *Puffendorfio* & aliis, hosti negans omnia, etiam *perfecta* officia de jure naturæ exhibenda, quamdiu in illo hostilis animus durat. Sed pace istorum Naturalistarum, utramque eorum opinionem dixerim falsam, nisi hunc in modum distinguatur:

449. In duplici classe sunt inimicitiæ & hostes; publici alii, alii privati. *Publicis* hostibus, qui pro talibus a legitimo Principe vel Republica *juste* declarati sciuntur, certum est, nulla deberi, imo jure naturæ aperte prohibita omnia illa officia, *quæ si iis impenderentur, foveretur malum publicum*, & hostis majores vires assumeret. Ita v. g. si in *Heineccii* opinione publicis inimicis S. Rom. Imp. non denegentur res, quibus Cives ejus abundant, si armorum, annonæ, equorum, vestium, pecuniæ, aliarumque rerum copia subministretur: Cives hi recte collusionis cum hoste publico, imo *fractæ pacis*, ac proin apertæ hostilitatis ac rebellionis, aut seditionis rei constituentur.

Atque in hoc sensu accipienda sunt verba *Aristotelis* Politic. c. 11. dicentis *Inimicis ne via quidem communis esse debet*. Hanc quoque interpretationem recipit illud *Socratis* in Themistio Orat. ad Valent. de bello victis: *amicis bene faciendum: male inimicis*, puta: *publicis*, quamdiu

In illis *animus Reipublicæ nocendi* durat, & vires ad nocendum suppetunt. Cetera officia, *quorum exhibitio bono publico minime obest*, etiam hosti *publico* non sunt neganda. Hæc enim ei exhibentur non qua Reipublicæ hosti, sed qua proximo nostro, æqualis nobiscum & communis naturæ homini. Ita v. g. pubblico hosti servanda est fides data a nobis in contractibus emptionis-venditionis earum rerum, quæ non *augent nervum* inimicis contra Rempublicam; cadavera illorum sepelienda sunt, aut saltem locus sepulturæ conveniens non est denegandus, veritas ac fidelitas in omnibus, quæ *publico non obstant* servanda est, nunquam iisdem mentiendum, malum animæ & salutis æternæ jactura nullo modo ipsis imprecanda &c. &c.

450. Loquendo autem *de privatis inimicis*: dicendum est I.) Hostes nostros, & peccatores quosvis *ex caritate* jure nat. etiam præcepta diligendos esse, quatenus proximi nostri, seu ejusdem naturæ consortes, & beatitudinis, creaturæ rationali convenientis capaces sunt, uti docet *D. Th.* 2. 2. q. 25. a. 6. & 8. & q. 83. a. 8. Naturæ enim rationali a suo Auctore inditum est: ut etiam ab inimicis nostris velimus diligi, & præstari nobis humana officia, adeo ut magis irritemur, & ægre feramus, quoties ea nobis negari ab illis intelligimus: consequens igitur est, ut eadem exhibeamus æmulis nostris, juxta *naturale* principium a Christo explicatum: *Omnia ergo quæcumque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis.*

Atqui nedum *perfecta*: sed etiam *imperfecta* officia volumus nobis impendi a nostris adversariis: hæc ipsa pro in illis impendenda sunt, hoc solo discrimine, quod pro qualitate necessitatis, & indigentiæ proximi inimici nostri, modo sub *gravi*, modo *levi*, eaque *justitiali* rigorosa, vel *ex mera caritate* orta obligatione *teneamur*, aut solo naturali *consilio* ad benefaciendum *invitemur*. Quod eo majori liberalitate illis præstandum est, cum hostes nostri plerumque dum nobis nocere cupiunt, præter suam intentionem prosunt, teste *Franc. Petrarcha* dial. 22. *Inimicitiæ tibi sunt? cautior eris & notior. Multos inimicitiæ illustrarunt, qui obscuri mansissent, si hostibus caruissent.*

451. Nihilominus quod in hostibus nostris, aut peccatoribus malum *morale* & peccaminosum est, hoc odisse & detestari convenit, exemplo *Davidis* Psalm. 118. *iniquos odio habui*, idque per emendationem tollere, si ipsimet

jure

jure possimus, vel optare ut a DEO, aliove legitimo Magistratu pro publicis delictis puniantur. Siquidem Reipublicæ interest ut mali affligantur, & a Communitate, si non resipiscant, tollantur. Eleganter hac super re disserit *D. August.* l. 19. contra Faust. c. 26. *Non est contrarium, quod in antiqua scriptura dictum est: oderis inimicum tuum, & in Evangelio: diligite inimicos vestros. Quia unusquisque iniquus homo, in quantum iniquus est, odio habendus est: in quantum autem homo est, diligendus est.* Neque enim per inimicitias desiit esse homo proximus noster, nec naturam humanam exuit, ac proin neque in nobis sublata est naturalis obligatio eum diligendi qua hominem, nobis natura, & fine, quo creatus est, æqualem.

452. Dicendum est II.) Etiam ex naturali *Amoris* mutui *præcepto* quilibet homo, saltem privatus, tenetur proximo, etiam inimico *communia* dilectionis signa & beneficia exhibere, seu talia, quæ ordinarie omnibus ejusdem status ac conditionis hominibus exhibere solemus: *Specialia* vero, qualia sunt inimicum ægrotum invisere; mœstum solari &c. ex *consilio* tantum nisi aliqua ratio obligationis *per accidens* accedat; veluti si adsit timor scandali ex omissione: spes salutis inimici: necessitas spiritualis, vel temporalis: culpæ deprecatio &c.

Quo ad *communia* signa *ratio est*. Quia ista negare est vindicare injuriam, quod non licet privato. Hinc si v. g. cognatos *omnes* ad cœnam invites, omnes in collegio, vel alio congressu salutes, *solum* vero *inimicum* excludas, aut omittas, nisi te actus imperfectio, vel alia justa causa excuset; odii privati jure nat. prohibiti coram DEO convinceris. Quod naturæ Auctor declaravit Levit. 19. *Non quæres ultionem, neque eris memor injuriæ Civium tuorum*: Et nisi hoc lege nat. fuisset prohibitum, pessima foret constitutio Reipublicæ humanæ, quæ ultimo redundaret in DEUM naturæ Auctorem & Gubernatorem perfectissimum, quod talia objecta non prohibuerit tanquam *in se ipsis* intrinsece mala, atque adeo cordi humano ea vitandi præceptum non inscripserit.

453. Hæc tamen procedunt de *privato*. Quia Parens, Prælatus, & aliæ personæ, quibus *jus puniendi* competit, subditos in se peccantes a communibus beneficiis, vel amoris indiciis excludere possunt, dummodo id *correctionis gratia*, non suæ privatæ ultionis stimulo, sub specie ca-

ftigationis faciant, vel omittant. Dicente enim *D. Gregorio* lib. 1. moral. *Sæpe privato odio ducimur, & zelum putamus.*

454. Quod autem *specialia* officia, seu dilectionis signa, extra casus exceptos, *de consilio* tantum sint, & *ad perfectionem* potius virtutis Christianæ spectent: *Ratio est*, quia præceptum naturale *affirmativum* de exhibenda *speciali* dilectione, aut *beneficentia* non pro semper obligat: sed in casu *necessitatis*, juxta illud Prov. 25. *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum*, licet interim quisque semper animo *paratus* esse debeat speciatim subvenire inimico, cum is indiguerit, juxta ea, quæ diximus *a. n.* 445. )

## §. IV.

*In quo consistat condonatio injuriarum de jure nat. inimicis exhibenda?*

455. CUM *homines natura* omnes *sint æquales*, æqualibus omnes donis a natura instructi, iidemque æquali omnes jure *primævo* naturali gaudeant, consequens est I. ) ut licet homo prius *se ipsum*, non minus tamen alios quam se diligere, ac felices velle, ideoque officia jure nat. disposita, quæ sibi, eadem & aliis exhibere teneatur, nullo inter illos facto discrimine, æqualis enim est lex nat. æqualiter proin eos respicere, & consulere omnibus ex æquo, ac pro suo posse debet.

Ratio est, quia perfectiores gradus, qui ex majore ingenio, venustate, fortuna, moribus, aut nobilitate, vel aliunde ab extrinseco variis hominibus adveniunt, naturam humanam, pariter ac legem nat. *quo ad communia* officia non mutant; quamvis *particularia*, seu specialia ratione *status adventitii* plerisque hominibus, veluti Parentibus a filio, Hero & Patrono a servis famulisque, Superiori a subditis &c. debeantur: Obligationes enim *status adventitii* non elidunt obligationes communes naturæ status *primævi*: sed perficiunt.

Consequens est II.) ut ob hanc æqualitatem naturæ, nullus *privatus* habeat jus *vindictæ* ex proximo suo inimico privata auctoritate sumendæ: sed illam supremo naturæ Domino, vel ejus locum tenenti legitimo Magistratui relinquere debeat, juxta illud *Hebr.* 10. v. 30. *Mihi vindicta: & ego retri-*

*retribuam*. Quando igitur obligatur homo condonare injurias inimicis suis, obligatio hæc in eo consistit, quod teneatur offensas *ex animo remittere* illis ita, ut vindicare propria ac *privata auctoritate* ipsemet nolit. Obligationem hanc naturalem exposuit Christus *Matth. 6. Si non dimiseritis hominibus: nec Pater cælestis dimittet vobis peccata vestra.*

Ethnicis autem & *malis Christianis*, qui Christi Domini interpretationem in jure naturali explicando a jurisprudentia hac temeratie excludunt., persuadere id debet jam allata ratio, quod scilicet privatus ex privato sumere vindictam nequeat, defectu jurisdictionis in eum, cum par supra parem non habeat auctoritatem: porro *jure nat. spectato* omnes sumus natura pares & æquales: recurrendum igitur est ad Superiorem: demum quia odium personæ, seu *privata* inimicitia *per se* est quid malum, & nunquam a jure nat. permissum juxta superius demonstrata.

456. Dixi teneatur *ex animo remittere*: quia ex *phantasia* & *memoria* repellere offensas valde difficile, & forte quibusdam impossibile est, perinde ac impossibile est v. g. magnos capitis dolores non sentire *physice*, licet qui eos *ex virtute*, animo summe resignato, ac patienter sustineat. Quapropter monet D. Bernardus: *Non nocet sensus, si non adsit consensus.*

457. Afferta tamen naturalis obligatio *ex animo* condonandi injurias, non impedit *Actionem injuriarum*, tam *civilem*, quam *criminalem* contra inimicum, apud legitimum Judicem instituendam pro foro *externo*. Quia juxta vulgare adagium: *Causa causam non perimit*; & possumus esse *Amici personæ, inimici causæ.*

In *foro* itaque *animæ* deponendus est privatus rancor & vindicta, cum hæc ob defectum jurisdictionis in hominem naturali conditione nobis æqualem, medium sit inefficax ac inutile. In *foro* tamen *fori*, cum Judex DEI ordinatione teneatur injuriam passis administrare justitiam, dummodo non ex odio, sed animo compensandi damni, restituendi honoris, famæ, compescendæ proterviæ, aut publicæ justitiæ amore, ne crimina impunita maneant, neve facilius in posterum perpetrentur, agamus, urgeamusque, tunc utimur jure nobis a natura concesso. Hac autem ratione & offendens & offensus, uterque recipit *quod suum est*, hic nempe suum honorem, famam, vel damni reparationem Judicis auxilio deman-

demandatam, ille vero amorem, sibi ab offenso naturaliter debitum, quem experitur in condonatione interna offensionum suarum, externe ab offenso manifestata.

## §. V.

*Qui sint fontes inimicitiarum, & quae media naturalia eas evadendi, aut sopiendi?*

458. Cum omnium inimicitiarum duo praecipui sint fontes: *Primus* juxta *D. Chrys.* consistit in violatione nostri juris, vel dominii, & spoliatione rerum nobis alioqui devinctarum, quae pariunt odia: *Meum ac tuum frigidum illud verbum, innumera gignens bella.* Alter *fons* est, qui e mente *Aristotelis.* 2. Rhetoric. oritur ex *laesione honoris nostri vera*, aut, prout fieri solet, *immaginaria*. Laesio haec plerumque se nobis insinuat per sensus nostros, praesertim *per auditum* & *visum*, tanquam per quosdam Referendarios, injuriarum contra nos dictarum, vel factarum. Unde facile ira excandescimus, & odio proximi tangimur: *Inimicitiam concitat ira, incommodatio & calumnia.* Ait *Cicero*.
Eundem dissidiorum fontem perstrinxit *Plato* in dial. de Sanct. ubi Scholasticorum, & eruditorum Virorum ex disputationibus orta dissidia describit, dicens: *Inimicitiae oriuntur, cum aliqui docentium, vel discentium invicem de justo, & injusto, pulchro & turpi, bono & malo ita disputant, ut idoneum harum quaestionum judicium diruere nequeant.* Et quia juxta eundem *Platonem* in *Tymaeo*, dicentem: *Multi homines disputando de rebus, haud secus quam animantes & bruta pugnando, solam sibi victoriam proponunt*, inde argumenta delabi possunt ad convitia, nam ut ait *Demosthenes* cent. singul. ad Germ. epist. 10. *Nihil magis crebrum inter Literatos, quam digladiari & conviciari*, hinc dum ambo disputantium sunt juxta *Martialem*

*Et certare pares, & respondere parati,*
*Qui velit ingenio cedere, nullus erit.*

Inde igitur facile est, ut a literato praelio ad animorum dissensiones vergat disputandi ardor, desinatque in calumniis, quibus nihil efficacius est ad enervandas eruditas mentes, secundum illud Eccl. 7. *Calumnia conturbat sapientem.* Hae sunt igitur occasiones & causae offensionum, quae contingere possunt, scilicet laesio *realis*, & *verbalis*.

459.

459. Contra primum autem ex recensitis inimicitiæ fontem egimus jam, ubi *de jure necessitatis* circa defensionem vitæ & *rerum* nostrarum, *a n.410.*) ibi probatum est, vitam & res nostras, *servato moderamine inculpatæ tutelæ*, contra inimicum defendi posse, citra juris nat. læsionem, & privatæ vindictæ periculum.

Alterum autem fontem, qui ex apprehensione *læsi honoris* oritur, & se per aures, oculos & linguam nostram vel aliorum, nobis insinuat, erudite obstruere conatus est *Seneca* l. 3. de ira, ubi ad inimicitias tollendas connaturale præscribit remedium, si iræ temperemus, & coerceamus sensus, quorum ministerio animi nostri quies turbari solet, ita quippe l. c. docet: *Non expedit omnia videre, omnia audire; multæ nos injuriæ transeant, ex quibus plerasque non accepit, qui nescit. Non vis esse iracundus? ne sis curiosus. Qui inquirit, quid in se dictum sit, qui malignos sermones, etiamsi secreto habiti sint, everrit, se ipse inquietat.*

His ita sapienter pronunciatis, idem Philosophus *libr. eod.* suggerit modum, quo aliorum contra nos dicta ita semper interpretemur, quin jura amicitiæ lędamus: *Quis sum ego*, inquit, *cujus aures lædi nefas? ignoverunt multi hostibus, ego non ignoscam pigris, negligentibus, garrulis? Puerum ætas excuset, feminam sexus, extraneum libertas, domesticum familiaritas. Amicus est? fecit quod voluit: inimicus est? fecit quod debuit. Prudentiori credamus; stultiori remittamus; pro quocumque demum illud respondeamus nobis: sapientissimos quoque Viros multa delinquere: & nullum esse tantæ potentiæ, in quem aliqua non incurrat injuria.*

Idem sapientissimus Ethnicus *libr. de morib.* linguarum calumniis exacerbatos animos hunc in modum lenire studet: *Male de te loquuntur homines, quia bene nesciunt, faciunt non quod mereris: sed quod olent.* Ac dein *lib. de remed. fortun.* præclare disserit: *Male de te opinantur homines: sed mali. Moveret me, si de me Marius, si Cato, si Lælius sapiens, si alter Cato, si Scipiones duo ista loquerentur: moveret, si hoc judicio facerent, quod nunc morbo animi faciunt.*

460. Nec dissimili Philosophia usus est *D. August.* contra calumnias Donatistarum in se jactas, *l. 19. contra Faust. c. 25.* dicens:

*Sinamus stultos loqui, quæ volunt.*

Et alibi ait: *Senti de Augustino, quidquid libet, modo me conscientia non accuset.* Hæc sunt arma, quibus prudens homo

mo lenire dolores suos, & contra omnem privatam vindictam, odium proximi, & legis naturalis transgressionem animum suum munire possit, contemnendo injurias, & amando adhuc injuriantem, quod & suaserunt & fecerunt, nedum Christiani, sed Ethnici quoque ipsi, ut liquet ex *Platone, Seneca* & aliis hic laudatis, qui his mediis naturalibus instructi, inter summas malevolorum persecutiones, linguas garrulorum, & odia obtrectantium, summe tranquillam, beatam, ac dignam Philosopho, sapienteque homine vitam vixerunt.

461. Singulare autem, non minus patientiæ quam & inimicitiarum vincendarum, ac laudabilis vindictæ medium est, quod Apostolus *Epist. ad Rom.* 12. *v.* 10. & 21. præscribit: *Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hoc enim faciens CARBONES IGNIS CONGERES SUPER CAPUT EJUS*. Nequit genio humano vindictam spiranti efficacior ultionis subesse modus, quam si igniti carbones super caput inimici nostri congerantur: id autem unusquisque offensus inimico suo facere permittitur, & potest, si illi benefaciat, hoc enim vindictæ genere confunditur adversarius noster, ubi videt iniquis suis conatibus & belluina iræ passione non potuisse nos affligere. Hinc *ibidem* subdit Apostolus: *Noli vinci a malo: sed vince in bono malum*. Quod ipsum docuit *Seneca* lib. 3. de ira, dicens: *Satius est inimicos beneficiis mitigare*.

## ARTICULUS II.

*De officiis erga proximum ortis ex ipsa justitia naturali sine nostra voluntate, pacto, contractu, promissione, aliove facto; & primo de officiis* negativis *perfectis & absolutis*.

## SUMMARIUM.

462. *Quæ sint officia orta ex ipsa* justitia nat.?
463. *Quod ejus principium* constitutivum & indicativum?
464. *Solus* amor *non est tale principium*.
465. *Sicut neque* æqualitas Heineccii.
466. *Officia* perfecta, *alia* Negativa, *alia* Affirmativa.
467. *Quot modis lædi possit proximus? Et an etiam in* bonis animæ? & animi *quo ad intellectum* &c.?
468. *Lædi potest* in anima *quo ad* voluntatem.

469. *Læ-*

## §. I.

*Quid sint officia orta ex ipsa justitia naturali, & quæ eorum objecta?*

462. Officia proximo exhibenda, ex directione *ipsius justitiæ naturalis*, ac independenter a nostro *facto*, promissione, vel contractu provenientia, ab aliis Naturalistis dicuntur *perfecta* & *absoluta*, qualia definivimus *a n.* 258. & 441.) quod scilicet sint *actiones vel earum omissiones jure nat. ita præceptæ, ut eas alter ante omnem promissionem sibi factam vel initum contractum, jus exigendi a nobis habeat.* Quod jus ille acquisivit præcise *qua homo*, ejusdem nobiscum naturæ. Officia hæc dicuntur *absoluta*, quia ante omnem conventionem & pactum proximo a nobis debentur, ex lege nat. & qui eas homini sine causa negat, est *formaliter iniquus*, eo quod non satisfaciat obligationi omnibus hominibus communi, *in debito naturali* saltem la-

tius

tius tali fundatæ. Fiet quoque *formaliter iniustus* eo casu, quo negat officium proximo debitum ex *justitia rigorosa* seu commutativa proveniens, ut dicemus *a n.* 525. ) Dicuntur item *perfecta*, eo quod jure naturali rigoroso præcepta sint, ita ut pariant nobis *jus exigendi*, ac proximum nostrum constituant verum debitorem ut illa nobis exhibeat.

463. Principium *constitutivum* diximus esse voluntatem DEI nobis per dictamen rationis hujusmodi actiones, vel earum omissiones necessario præcipientis. Principium autem, seu fundamentum *ultimum*, & *adæquatum indicativum* hujus obligationis *necessariæ*, perfecta & absoluta officia proximo exhibenda inducentis ostendimus *a n.*443. ) esse perfectissimam gubernationem naturæ rationalis Auctoris DEI O. M. qui nisi hujusmodi actiones necessario præstandas, vel omittendas recte dispositæ naturæ humanæ præcepisset, improvide eam gubernaret, utpote qui ordinaret eam ad beatitudinem etiam naturalem obtinendam, in pace, quiete, & amore mutuo consistentem; non provideret autem de mediis necessariis, quibus mutuus inter homines amor cum aliis requisitis, & demum ipsa beatitudo naturalis obtineri possit.

464. Ibidem quoque, pariter ac *a n.* 106.) Amorem proximo debitum probavimus esse potius *medium* inter alia ad obtinendam beatitudinem naturalem requisitum, ac principium solum *inadæquatum* & *particulare*, non vero ultimum, fundamentale & adæquatum officiorum homini necessario exhibendorum. Alioqui esset fundamentale & ultimum principium *sui ipsius*: quid enim aliud est *amor proximo exhibendus*, quam *officium proximo exhibendum*? igitur officium proximo exhibendum esset fundamentale & ultimum principium officii proximo exhibendi. Ad quem paralogismum non se reflexerant illi, qui pro ultimo & adæquato principio omnium officiorum ab homine *necessario* exhibendorum, *Amorem* cum *Heineccio* statuunt.

465. Idem autem judicium est de *æqualitate*, altero *Heinecii* principio, in quo ille reponit obligationem officiorum prædictorum, hunc in modum argumentans: *Homo homini natura æqualis: proinde amore amicitiæ est prosequendus, quia æqualitas naturæ æqualia etiam officia exigit*. Verum ex hac æqualitate & amicitia licet forte quadantenus sequantur officia *imperfecta*, & illa, quæ in solo *honesto* & *deco-*

*decoro* ethice spectato fundantur: *perfecta* tamen ac *absolute* præcepta vel prohibita nulla ratione posse recte inferri manifestum est.

Neque enim *naturæ æqualitas* potuit absolutam necessitatem imponere DEO, ut ille ineluctabili præcepto *absolute* præceperit, vel prohibuerit aliquos actus ab homine erga suum proximum necessario exercendos vel omittendos. Ac proin neque lex nat. propter illam *æqualitatem* solam, potuit homini imponere absolutam *moralem* necessitatem succurrendi proximo v. g. in extrema, vel quasi extrema necessitate. Cur enim eandem necessitatem ei non imposuit extra omnem *extremam* proximi indigentiam; cum tamen hic *semper sit æqualis natura* alteri homini? Hinc sicut ex *amore* solo, ita & ex *identitate*, ac *æqualitate* naturæ nequit inferri absoluta necessitas officiorum perfectorum: sed aliunde repetenda est ut eam jam ostendimus.

466. Officia *perfecta* in genere duo sunt, scilicet *Negativa*, quæ consistunt in abstinendo ab injuria; & exprimuntur hoc præcepto: *Nemo sine causa lædendus*: ac *Affirmativa*, quæ reducuntur ad hoc alterum præceptum: *Jus suum cuique tribuendum*, de quo *seq. Art.* agemus. Officium proveniens ex præcepto naturali *negativo* est *perfectum* & simul *absolutum*. Contra autem, officium procedens ex præcepto nat. *affirmativo* est partim *perfectum - hypotheticum* partim *perfectum - absolutum*. Officium *perfectum - hypotheticum* ex præcepto affirmativo descendens præstandum est proximo ex *hypothesi* nostræ promissionis ab altero acceptatæ & honestæ, contractus, sententiæ judicialis, damni culpa theologica dati, aut alterius nostri, vel alieni facti, statusve adventitii, de quibus hic *Art. IV.* agemus. Jam vero *perfectum, absolutum* officium ex eodem præcepto naturali affirmativo promanans, ac etiam *in tribuendo jure alterius* consistens exhibendum erit, si v. g. proximus in *extrema* necessitate fuerit constitutus. Tunc ille *jus absolutum habet* a nobis aliunde non impeditis hujusmodi officium exigendi, quod ei *citra injustitiam* negari haud potest ab illo, qui copiam rerum habet, unde commode succurrat.

Quo autem exactius *obligationes absolutæ & perfectæ* negativæ ac positivæ, seu tam *in nemine lædendo*, quam *in jure suo cuique tribuendo* consistentes exponantur, juvat eas per particulares quæstiones discutere, & declarare.

§. II.

## §. II.

### *Quot modis proximus lædi possit, & prohibeatur: ac, num etiam in BONIS ANIMI?*

467. Quanquam juxta Poetam *artes sunt mille nocendi*, nihilominus illæ ad *tres modos* commode reduci possunt. Proximo enim sicut prodesse, ita & nocere possumus in *bonis animi*, *corporis*, *& fortunæ*. Cum autem secundum *Nonium Marcellum* c. 5. diversa sint *animus* & *anima*: Nam *animus est, quo sapimus*, *anima qua vivimus*. Et teste *Isidoro* lib. 11. c. 1. originum; *dicunt Philosophi*, *etiam sine animo vitam manere*, *& sine mente animam durare*. Hinc alia læsio fieri potest, eaque prohibetur respectu *animæ*, alia respectu *animi* hominis.

Læditur homo & lædi prohibetur *in anima* quo ad *intellectum*. I.) Per doctrinas pravas *bonis moribus* & *fidei salvificæ* contrarias, imbuendo *intellectum* ipsius perversis dogmatis, sophismatibus, erroribus, mendaciis, contra quam moneat *Aristoteles* Lib. de morte & pomo, dicens: *docentes alios, mentiri non debent*. Quod vitium proprium est *Novatoribus*, in quorum personis Sciolos amicos suos alloquens Job c. 13. ait: *Fabricatores mendacii*, *& cultores perversorum dogmatum*, *utinam taceretis*, *& putaremini esse sapientes*.

468. Lædi prohibetur. II.) In *anima* quo ad *voluntatem*, eandem corrumpendo, ad *voluptates*, *hæresin*, *atheismum*, *rebellionem* in Principes & Magistratus, qua Ecclesiasticos, qua Civiles, aliaque vitia inflectendo, verbis, exemplis depravando, libros scandalosos *Epicuri*, *Machiavelli*, *Hobbesii*, & similium Naturalistarum suggerendo. Quos etiam Ethnicus *Plato* proscriptos haberi voluit, *Epist. lib.* 7. dicens: *Libri etiam boni scelestorum hominum, ut memoria eorum auferatur, sunt tollendi*.

Cum vero tenera præsertim ætas boni omnis juxta ac mali capacissima, facili negotio corrumpi in *sua voluntate* possit, monet Parentes ac Præceptores Philosophus lib. 7. Politic. *Juvenes sunt custodiendi, ut nec dicant, nec audiant malum, vel turpe aliquid, quia ex dicere & audire aliquid turpium, de facili fit facere aliquod turpe*. Hujus opinionis reperitur fuisse *Paschalius*, qui lib. de virtutib. c. 18. encomiis celebrat Romanorum solertiam in educandis Juvenibus, dicens;

cens: *Laudabilis mos Romanus, quo non licebat puero decenni incomitato & incustodito ambulare per urbem* &c.

469. Non est quoque lædendus proximus. III. In *bonis animi*, qui ita lædi censetur I.) Quoties a Parentibus statui suo conformis filiorum educatio, aut a Præceptoribus debita institutio negligitur. Jactura hæc merito inter gravissima filiorum damna, & Parentum aliorumque delicta reputatur, eo quod felicitas hominis, quandoque etiam æterna a recta cultura ingenii circa obligationes erga DEUM, seipsum, & proximum, ac ab educatione conveniente statui dependeat, illaque defectum fortunæ supplet, quoties hæc modica vel nulla a Parentibus relicta est Liberis, dicente *Ovidio*, hominis præcipuum bonum consistere in expolitione ingenii, quod immortalem facit:

*Vivitur ingenio, cetera mortis erunt.*

Et *Laertius* lib. I. cap. I. interrogatus, quisnam esset felix? respondit: *Qui corpore sanus est, animo vero eruditus.* Seneca etiam *Epist.* 116. Lucillo suo discipulo scribit, eum non debere esse solicitum de paterna hereditate & divitiis, si Philosophiam perfecte didicerit, idest si mores suos ad regulas rationalis naturæ composuerit, & ingenium perfecerit, unde immortale nomen cum reliquis bonis promanare possit.

470. Lædi prohibetur homo ab homine IV.) etiam *cogitatione*, seu *temerario judicio*, quo in re dubia, vel occulta propter aliquas meras conjecturas, sinistram de eo concipimus in nostra mente opinionem, existimando illum v. g. sceleribus occultis deditum, luxuriosum, rapacem, furem &c. Licet hos mentis nostræ conceptus nulli alteri pandamus, coram DEO tamen cordium scrutatore injurii sumus proximo, qui habet jus, ut de eo recte sentiamus, quamdiu *manifesta* veritas illum possessione suæ famæ non dejecit. *Tu quis es, qui judicas alienum servum? Domino suo stat, aut cadit*, ait Apostolus Rom. 14. Et Christus naturalis juris sapientissimus interpres præcipit: *Nolite judicare secundum faciem*, Joan. 7.

Injuriam hanc proximi detestati sunt etiam Ethnici, dicente *Ammonio Marcello* l. 15. *Nec visum hominem, nec auditum damnare nefas ultimum est.* Et præclare vitium hoc persequitur *Seneca* Epist. 72. ubi ait: *Magno animo de rebus magnis judicandum est, alioqui videbitur illorum vitium esse, quod nostrum est. Sic quædam rectissima cum in aquam demissa sunt,*

*speciem curvi præfractique visentibus reddunt* &c. Porro tale judicium est *temere* judicantium de proximo.

Hanc ob causam *D. Gregorius* Moral. l. 15. sanum præbet consilium *temerariis* Judicibus dicens: *In ambiguis DEO serva sententiam*. Enimvero ubi de existimatione proximi agitur, Scepticos nos esse oportet, docente *Aristotele* lib. prædicamentor. *Dubitare de singulis non est inutile, si de homine judicium formandum est.*

471. Multo magis autem læditur homo V.) *Sermocinatione*. Si *existimatio* ejus apud alios, & bona *fama*, quam ille ex morum honestate, scientiis, literatura, aliisque mediis acquisivit, injuste denigratur, per detractoris calumnias, cavillationes, vel *occulti* (quamvis veri) defectus moralis publicationem factam coram personis, ad quas scire de officio non spectat.

Est autem *detractio* alienæ *famæ occulta & injusta denigratio*. Hæc differt a *contumelia*, quod detractio directe lædat famam, contumelia autem etiam honorem, eo quod non jam absenti & occulte; sed præsenti ac in faciem proximi dicantur illi probra.

Ita definita detractio fit *octo modis*, scilicet *quatuor* directe, & aliis *quatuor* indirecte. *Directe* fit I.) imponendo crimen falsum. II.) Amplificando crimen verum, tanto magis dubium vendendo pro certo. III.) Revelando crimen occultum. IV.) Sinistre interpretando alterius factum. Jam vero *indirecte* fit detractio I.) Negando recte facta, vel dotes alterius. II.) Ea quæ in laudem proximi sunt ab aliis dicta, vel scripta extenuando, & diminuendo. III.) Tacendo bona alterius eo loco & tempore, quo tuum silentium alii interpretantur tacitam vituperationem. IV.) Simulate & frigide laudando: ut quando quis simulat se velle laudare aliquem, & nihil affert laude dignum. Nam ut *Phavorinus* apud *Gellium* l. 19. noctium attic. c. 3. ait: *Pejus est frigide laudare, quam aperte reprehendere.*

472. Ut tamen censeatur proximus lædi detractione, requiritur ut injuste fama lædatur: quod bifariam contingere potest. *Primo*) Directa intentione, *secundo*) indirecta. Si directe intendas famam alterius lædere, erit formalis detractio, & ex genere suo (nisi parvitas materiæ excuset) delictum grave, imo gravius furto, cum lædas proximum in bono, quod pecunia est præstantius.

Inter omnes autem detractiones pessima est, quæ fit *per lite-*

*literas*, & *famosos libellos*: Tum quia ad plurimos permanat, tum quia ægerrime potest aboleri, vel quod auctor non potest deprehendi, vel quod majorem imprimat legentibus credulitatem, quam si auribus incidenter tantum percepissent. Hinc morte punitur, qui libellum famosum sparserit, & qui inventum vulgaverit, ut patet ex *l. un. C. de famos. libell.*

Quodsi non intendas lædere famam: sed ex sola garrulitate sine sufficiente deliberatione narres delictum, vel defectus alterius, dicitur detractio *materialis*, eo, quod læsio alterius non sit *directe* volita. Si tamen *deliberate* narres delictum proximi grave, aut aperias defectum honori ejus notabiliter præjudiciosum: nihil excusante loquacitate delinques graviter. Quia etsi expresse non intendas lædere, tamen intendis *implicite*, dum vis illud, unde per se læsio sequitur.

473. Oriri hic potest quæstio, an ille, qui *indeliberate* ex sola garrulitate *materiali* detractione detraxit alteri, teneatur retractare ea, quæ stulte effutiit? Verum responsio est *affirmativa*. Licet enim forte indeliberate deblaterando contra proximum non deliquerit *formaliter*, ubi tamen advertit sua dicta posse graviter nocere famæ ejus, tenetur effectum detractionis suæ impedire, ea ratione, ac si domum alienam per solam inculpabilem imprudentiam, & seclusa nocendi malitia incendas, ubi periculum conflagrationis advertis, incipis graviter obligari ad extinguendum, quantum potes.

474. Licet quoque juxta nonnullos DD. non censearis graviter lædere proximum, si audita & sparsa de eo propudia, absque asseveratione & sub dubio narres aliis; quia hoc casu non videtur esse prudens periculum damni proximo inferendi. Id tamen fallit I.) si crimen esset valde grave, uti est proditio, parricidium, sibi ipsi violenta manuum injectio, hæresis, ac similia. Tunc enim si verisimile sit ex narratione auditoribus malam suspicionem suborituram, non excusaris a gravi injuria, eo quod talis suspicio sit magnum malum respectu honestæ personæ.

Fallit II.) Si quis audita referat coram iis, quos verisimile est ex sua levitate credituros. Hic enim licet infamiam proximi non intenderit, & non sit *causa efficax* damni: sed mere *per accidens*, & ideo non delinquat *contra justitiam*, propter quam ad restitutionem teneretur: delin-

linquit tamen adhuc *contra caritatem* illi debitam, & lege nat. universali præceptam.

475. Qui enim advertit ex suis dictis, vel factis alium graviter lædendum, sive in fortunis, sive in fama, sive in corpore, tenetur ex caritate abstinere, si commode possit, licet id ex alterius culpa proventurum videat. Quisque enim tenetur impedire notabile damnum proximi, quantum commode potest, & maxime quod sui occasione proveniret.

Fallit III.) Si referas audita eo modo, vel nominatis iis Auctoribus, ut audientes facile possint induci ad opinandum malum de proximo: delinques tunc etiam *contra justitiam*, & teneberis ad restitutionem. Quia hoc casu ob *exactam* tuam narrationem, ac Auctorum, aliarumque circumstantiarum inductionem, præbes sufficientem causam aliis male opinandi, ex qua opinio mala reipsa sequitur. Si enim absolute diceres v. gr. Titium virum honestum perpetrasse grave furtum, & alii crederent, peccares *contra justitiam*, & tenereris ad restitutionem famæ: Porro quando eo modo narras, cum iis circumstantiis, vel eo Auctore, cui merito æque sit credendum, atque ipsi tibi; non minus efficaciter inducis audientes ad sic opinandum, quam si ipse ex te asseverares. Adducere enim alterius testimonium, est adferre argumentum non exigui ponderis ad persuadendum: igitur &c.

## §. III.

### *An heredes infamatoris teneantur de jure nat. ad restitutionem famæ, si ipse eam non restituit?*

476. Quæstionis hujus decisio pendet a resolutione alterius quæsiti: an scil. fama, si restitui nequeat, pecunia compensanda sit? Et non paucis olim *affirmativa* placuit, eo quod I.) Fama sit vita carior. II. Pecunia est mensura omnium rerum humanarum: igitur in pecunia potest dari æquivalens. III.) Etiamsi fama superet omne pretium æquivalens suæ iacturæ, debet tamen dari opera, ut quam proxime ad æqualitatem accedatur. Sicut is, qui intulit damnum *mille aureorum*, si non potest reddere æquivalens, tenetur tamen dare quantum potest, &c. Hæc opinio si vera esset dependeret iterum a nova, eaque spi-

nosa

nosa difficultate: *utrum heres defuncti delinquentis teneatur ad damna reparanda, si lis contra Auctorem non fuit contestata?* quam in *Respons. jurid. part.* 1. *Resp. XI.* affirmative decidimus.

477. Nihilominus communior & verior doctrina est negans *justitiam* postulare, ut infamia compensetur pretio, idque ob hanc rationem: Quia *justitia commutativa* tantum postulat, ut restituatur, quod ablatum est, vel quod communi hominum æstimatione est æquivalens, quodsi neutrum fieri possit, cessat ejus obligatio: Atqui si fama per Calumniatorem jam mortuum ablata, non est hucusque restituta, restitui ab eo nequit: æquivalens autem nihil reperiri in tota relicta hereditate potest, quod famæ subrogetur. Hæc enim *pari passu cum vita ambulat*: Porro pro vita hominis *liberi* ablata non est necessario facienda restitutio pecuniaria, ut communiter docetur, eo quod vita hominis excedat omne pretium, attestante etiam *l. ult. ff. de his, qui effuder.* & *l.* 3. *ff. si quadrupes.* igitur tali casu cessat penitus in herede obligatio, quæ cum nonnisi ad aliquid *agendum*, non vero ad aliquid *dandum* fuerit in Infamatore; erat *mere personalis*, adinstar voti, v. g. de jejunio, solam voventem personam obligantis, & cum persona expirantis.

478. Tenetur tamen heres adhuc ad reparationem damnorum *realium*, quæ ex infamia illa secuta sunt. Pateat id in exemplo: Pater tuus *Sergio* viro honesto malitiose detraxit apud Principem, quod bona ejus suffuraretur, & reditus perceptos extra Provinciam eveheret, in dies ipse fugam arrepturus. Hac susurratione persuasus Princeps *Sergium* primo conjecit in vincula, dein eumdem officio, & omnibus rebus ejus privavit. Jam, cum Pater tuus ante recantationem calumniarum mortuus sit, tibique sufficientem hereditatem reliquerit; jure nat. sine dubio obligaris, *non* quidem *ad pœnas* Calumniatorum, neque ad recantationem mendaciorum paternorum, si eorum neque complex fueras, neque ullo modo approbasti; omnino tamen *ad damna realia*, quæ inde orta sunt, compensanda, uti fuse deduximus id in *cit. Respons. jurid. XI.* Ubi etiam ostensum est, hanc obligationem, quoad jus nat. esse certam, controversam vero solum quoad forum *judiciale*, & quidem *Civile* tantum.

479. *Ratio* quoque est, obligatio illa non fuit pure *personalis*: sed ex *causa damni* dolo malo dati afficiebat aliquo modo etiam bona Calumniatoris, quæ cum eadem

obligatione & affectione perveniunt ad te heredem. Veleri si Pater tuus domum alterius per injuriam incendisset, tenereris damnum ex bonis illius, jure nat. obligante reparare. Quia illa pars bonorum, quæ in reparationem damni ab incendiario Patre tuo danda erat damnum passo, manet in hereditate tibi relicta. Atque adeo, sicut fuisset tibi minor substantia relicta, si ille obligationi naturali satisfecisset: ita cum satisfactionem hanc omiserit, factus es ditior, utpote pinguiorem adiens hereditatem.

480. Momenta contraria, quæ volunt famam pecunia compensari debere, non stringunt. Ac proin ad I.) R. sit sane quod fama sit *vita carior:* Atqui vita hominis liberi ære non appretiatur: sed tantum plerumque solvenda sunt damna realia ex occisione injusta sequi solita, ut patet ex *n.* 150.) Ad II.) Pecunia secundum communem usum hominum non est mensura, nisi rerum venalium, quas homines solent pecunia commutare, fama autem neque natura sua, neque Gentium consuetudine pecunia solet æstimari, neque est venalis. Quidquid sit, quod reperiri forsan possit ita vilis cujuspiam animus, qui pro sua fama velit pecuniam sibi offerri, hic ad venales animas cum spectet, pro exemplo adduci nequit.

Ad III.) Neg. assumpt. Quia is, qui damnum mille aureorum intulit, tenetur vel totum damnum reparare ex æquo, si potest, vel si non potest, tenetur partem ex æquo; quodsi nec totum nec partem, cessat obligatio justitiæ commutativæ: Atqui in casu nostro nec tota fama, nec pars pretio æstimatur ex æquo, alioqui Infamator posset eam pecunia compensare etiam nolente infamato. Sufficeret enim, ut restituat id, quod æstimatione æquale est. Porro sequela absurda est, divites quippe pauperem audacter calumniarentur confisi marsupio suo, ex quo solvere vel invito, ac ita satisfacere possent.

481. *Colligis*: Famam etiam *defuncto* esse jure nat. restituendam a suo Calumniatore. Quia illa est bonum, quod homo post mortem quoque censetur possidere, per hanc enim vivit quodammodo in memoria hominum. Hinc maxime solent homines appetere famam post mortem, quasi per hanc immortalitatem quandam consecuturi, prout id vibrata emphasi expressit *Cicero*, l. I. Tuscul. qu. *Opifices etiam post mortem nobilitari volunt. Quid enim Phi-*

*dias*

*dias sui similem speciem inclusit clypeo Minervæ, cum inscribere non liceret? Quid nostri Philosophi? nonne his ipsis libris, quos scribunt de contemnenda gloria, sua nomina inscribunt?* Unde etiam *Martialis* mortuo Philosopho allusit, dicens:

*Docte jaces, tua fama viget, tua scripta leguntur.*

## §. IV.

### *Quis intellectus sit præcepti naturalis, ne proximus lædatur* IN BONIS CORPORIS?

482. Lex hæc naturalis prohibet hominis occisionem, mutilationem, verberationem, similesque afflictiones injustas. Id enim exigebat summa perfectio naturæ Auctoris & Gubernatoris, ut *necessario* vetaret, ne homo in proximum suum ejusdem naturæ consortem, ac ad eumdem finem creatum propria auctoritate ita sæviret: Alioqui genus humanum nunquam posset sibi destinatum beatitudinis naturalis finem, in pace, quiete ac amore mutuo situm obtinere, DEUS privaretur servo, Respublica cive, familia membro, & præsidens vitæ alterius invasor sumeret jus supremum in eum, cum tamen, qua privatus, nullam jurisdictionem in vitam proximi habeat, aut ejus membra.

Homicidiorum proin *intrinseca* turpitudo nunquam incognita fuit etiam Ethnicis Legislatoribus, uti testantur gentiles Philosophi, Politici, & Poetæ multa de homicidarum suppliciis in vita & post mortem luendis tractantes. Prout videre est apud *Platonem* in Phæd. ubi ait: *Qui ob scelerum magnitudinem insanabiles esse videntur, qui videlicet sacrilegia multa & magna, vel cædes iniquas, vel alia horum similia perpetraverint: hos omnes conveniens sors mergit in tartarum, unde nunquam egrediuntur.* Quod etiam attigit Virg. *Æneid.* 6. ac *Juven.* Satyr. 10. qui postquam dixerat:

*Sed jam serpentum major concordia parcit*
*Cognatis maculis, similis fera quando leoni,* &c.

illico sanguinariorum in inferno pœnas decantat, dicens:

*Ad Generum Cereris pro cæde & vulnere multi*
*Descendunt homines, & sicca morte tyranni.*

*Aristoteles* autem differens super hoc argumento 1. *Politic.* 2. gravitatem hujus criminis inde desumit, quod: *Brutæ animantes non sæviant in genus suum, quas certe sensu utiretius,*

ctius, quam nos ratione dirigi plerumque compertum est. Hinc ille concludit:

*Homo alienus a lege & jure pessimum animalium est.*

Jam vero præter naturalem ac etiam positivam legem Divinam: *insontem non occides*, jura quoque Civilia justam pœnam in homicidas statuerunt, ut liquet ex §. *Item lex Cornelia* 5. *Inst. de publ. judic.* & toto tit. *ff. ad legem Jul. de vi publ.* Item tit. *ff. de vi privat.* tum toto *tit. C. de Sicar.*

483. Scitu autem, imo admiratione dignum, quam exacte descripserit varietatem homicidii *iracundia* perpetrati, *Plutarchus* de legibus, dialog. 9. dicens: „ Homicidium *iræ causa* bifariam distinguitur. Nam peragitur cædes ab his, qui de repente, & nulla occidendi præmeditatione, plagis, aut aliquo hujuscemodi *impetu* confestim oriente, aliquem occiderint, & pœnitentia statim factum sequitur. Vel qui verbis antea lacessiti, aut contumeliis factis ultionem prosequentes, postea aliquem occiderint, *volentes* ipsum occidere, & nulla sequitur ad factum pœnitentia: hic *voluntario* similis est, ille *involuntario*, seu potius *involuntarii imago*: Contra primum *leviores* pęnas, contra secundum *graviores* sancire oportet. „

484. Ex his igitur adductis argumentis & Ethnicorum testimoniis clarum est, jure nat. prohibitam esse omnem læsionem proximi in *BONIS CORPORIS*, ac præsertim *directam* occisionem *innocentis*, ita ut si Tyrannus minetur extremam patriæ ruinam, ille adhuc *interfici non debeat, nec possit licite*, naturalem obligationem exponente DEO naturæ Auctore Exod. 23. *Insontem & justum non occides, quia aversor impium*: Est igitur impietas id facere, quam jure nat. prohibitam esse ambigi nequit.) Ac *ratio* est, quia cum nullus hominum habeat jus in vitam innocentis, nemo potest eam illi *directe* tollere, nisi vel ad necessariam defensionem, vel ad criminum punitionem, quæ de homine *insonte* non præsumuntur.

Nec obstat, quod Respublica possit periculo exponere vitam suorum Civium ob communem salutem: non enim inde sequitur, quod possit vitam alicui eripere, quando id necessarium est ad commune bonum. Nam Respublica non aliter potest suorum Civium vitam exponere, quam imperando *justam defensionem*, in qua non omnes moriuntur, qui eam defendunt, jure naturæ eos ad id obligante.

Lon-

Lenge autem diversum est, si ei ipsam vitam *directe* eripiat inferendo mortem. Neque ereptio hæc vitæ quidpiam *per se* confert ad avertenda publica mala: sed mere *per accidens*, ac sola malitia tyranni attenta. Cum itaque occidere innocentem *per se* malum sit, Respublica non justificabitur ex eo, quod *per accidens* referatur ad talem finem, alioqui liceret abnegare DEUM, ex fine liberandi patriam ab interitu, quem illi minatur tyrannus, ea lege: *si DEUS non abnegetur*: Igitur Respublica *directe* occidere nequit insontem.

## §. V.

*An vero, si jam non occidere insontem, saltem extradere possit Respublica tyranno, a quo eum occidendum prævidet? Et quid Jus nat. disponat circa* abortum *non procurandum* ? *ac* infantes & languidos non *exponendos*?

485. Circa *primum* casum in utramque partem disputant Naturalistæ, ac verisimilior opinio est docens, quod Respublica vel Princeps *possit præcipere innocenti*, ut tyrannum ipse accedat, quodsi ire detrectet, *jam nocent* esse incipiet, & veluti contumax ac rebellis poterit tyranno extradi, *dummodo nulla spes* supersit, etiam cum multorum sanguine Rempublicam liberandi.

Addunt aliqui cum *Mol.* d. 10. in tali casu malum non esse, si Respublica tyranno petenti innocentem statim *directe* tradat, non ut occidatur, sed ut Respublica servetur, cum hæc non sit cooperatio ad homicidium: sed tantum permissio. Cum tamen de vita innocentis agatur, prior opinio huic alteri præponenda videtur, eo quod in re tanti momenti cautius procedat, & requirat ut Reipublicæ nulla spes supersit libertatis aliter obtinendæ.

*Ratio* autem prioris sententiæ est, quia ille innocens ex naturali amore & pietate in patriam, pariter ac ex *justitia legali* tenetur egredi & se morti exponere, si ei certum sit calamitatem communem ita aversum iri: igitur potest ad id etiam præcepto adstringi & cogi, ea ratione, ac jubentur Cives certam stationem contra hostem occupare, etiam cum mortis periculo. Jure enim nat. spectato melius est innocenter perire unum, quam plures vel omnes.

486. Si

486. Si respondeas cum *Soto* de J. & J. l. 5. qu. 1. art. 7. & aliis, eum non teneri ex *justitia particulari* exire, ac proin nec posse præcepto cogi. *Contra* erit, quod ad multa cogi possimus, ad quæ ex justitia particulari non obligamur, ut ad dandam eleemosynam in magna fame, extra extremam, vel quasi talem necessitatem ad vendendum frumentum, ad vitandos sumptus immodicos in vestes & convivia, ad vitandam ebrietatem, fornicationem, blasphemiam & similia: potest igitur similiter ille cogi, ut tyrannum accedat, etiamsi certo sit interficiendus, sicut cogi potest, ut stationem certam tempore conflictus occupet, licet constet eum fore interficiendum ab hoste.

487. Neque urget paritas, quod si tyrannus peteret sibi extradi virginem, ad eam violandam: hæc extradi licite non posset. Nam hoc casu virgo ob periculum animæ non teneretur ire, ac proin neque cogi posset a Republica. Si tamen nullo alio modo posset incolumitas publica servari, hoc casu posset virgo illa excludi Civitate, ut eat quo velit, cum non teneatur eam protegere cum suo extremo malo, præsertim cum juxta *n.* 437.) violenta oppressio virginis possit ex parte hujus fieri sine animæ periculo, si consensus internus subtrahatur. Sacramenta tamen extradi tyranno non possent, etiam ad evitandum extremum Civitatis malum, idque ob periculum scandali publici, & gravissimi contemptus rerum Divinarum, quem etiam Ethnici inter maxima crimina habuerunt, teste *D. Aug.* Epist. 64. & 71. ac *hæresi* 69.

488. Ad naturalem legem de innocente non occidendo spectat præceptum de non procurando *directe* in se ipsa, vel altera persona *abortu*. Hæc quippe graviter delinquit, idque sive fetus sit *animatus*: quia est verum homicidium, *sive non*: quia tendit ad occisionem hominis; & est contra naturam generationis, dicente *Tertull.* in apolog. c. 7. *Neque refert, natam quis eripiat animam, an nascentem disturbet*. Naturali hac ratione permoti Legislatores, hujusmodi criminis reos veros esse homicidas declarant, ut liquet ex *c. Si aliquis, de Homic.* ibi: *Si aliquis causa explendæ libidinis, aut mulieri ad potandum dederit, ut non possit generare, aut concipere, vel nasci soboles, de homicidio tenetur*. Idem justitiæ rigor colligitur ex *L. Si quis aliquid, §. qui abortionis, ff. de pœn.* ubi statuitur: *Qui abortionis, vel amatorium pocuium dant, & si dolo non faciant, tamen quia mali exempli res est:*

*humi-*

*humiliores in metallum damnantur; honestiores in insulam, amissa parte bonorum relegantur. Quodsi mulier, aut homo perierit, summo supplicio afficiuntur.*

Nec refert, quod fœtus *non sit forte animatus*: quia non licet procurare pollutionem *directe* ad declinandum periculum mortis: igitur multo minus directe licebit procurare abortum ad avertendum periculum infamiæ. Nam pollutio non est licita, quia semen ex natura sua est ordinatum ad propagationem speciei humanæ: Atqui fœtus *inanimatus* adhuc magis proxime a natura est ad eumdem finem ordinatus, quoniam ex semine primum fit embryo &c. Fœtus igitur inanimatus & semen in matricem receptum, habet se ut alter homo *in potentia proxima*, & reductive. Si ergo non licet per medicinam *directe* expulsivam procurare abortum fœtus animati, neque licet, quo ad fœtum nondum animatum.

Recte proin ab *Innoc. XI.* damnata est propositio 34. *Licet procurare abortum ante animationem fœtus, ne puella deprehensa gravida occidatur aut infametur:* Ac propositio 35. *Videtur probabile omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere anima rationali* &c. Quæ etiam omnia ad suadentem, & cooperantem extenduntur.

489. Innocentem adhuc lædit, qui *infantem*, vel hominem *languidum* pro derelicto exponit. Et quidem infantium expositio *parricidio* propinqua, atque adeo simplici homicidio pejor est, utpote qua vel mors infantis per expositionem intenditur, vel *per accidens* non raro sequitur. Factum hoc eo gravius detestatur natura rationalis, quo evidentius agnoscit id esse innato amori erga prolem contrarium. Cum neque bestiæ suos partus relinquant, imo leones, ursi, lupi aliæque feræ, etiam cum suæ, vel alienæ vitæ periculo eas humana interdum industria sublatas defendunt, & recuperant. Ut recte dixerit ethnicus Istus in L. necare 4. ff. de agnosc. & alend. liber. *Necare videtur non tantum is, qui partum præfocat: sed & is, qui abjicit, & qui alimonia denegat: & is, qui publicis locis misericordiæ causa exponit, quam ipse non habet.*

490. Quam ob rem sicut *infantium*, ita & *languidorum*, ac *infirmorum* quorumcunque, & cujuscunque ætatis existant, est jure naturali prohibita expositio, *si ab exponentibus languidi sustentari & ali possunt.* Quia illi non tantum in extrema proximi necessitate non succurrunt: sed etiam quantum in ipsis est, occidere videntur, ut patet ex adducto

textu,

textu, *necare*; & Can. *Pasce* 21. *dist.* 86. Atque hæc dicta sunt de non lædendo *in bonis corporis* proximo innocente: sed oritur quæstio:

## §. VI.

*An saltem* nocentem & malefactorem *licet occidendo lædere? Et num etiam adulterum?*

491. Dubium hoc eximit certa omnium responsio: quod extra casum necessariæ defensionis, de qua *a n.* 420.) egimus, nulli sit permissum malefactorem occidere, nisi *auctoritate publica*, & iuris ordine servato. Lex enim naturalis, ejusque Auctor DEUS non permittit interficere malefactores, nisi ob bonum Reipublicæ: sicut non permittit amputare membrum proprium, nisi ob salutem sui corporis; procuratio autem boni publici vindicativa & justitiæ administrativa pertinet ad publicam potestatem, quæ est in Principe & Magistratu: ad hos igitur spectat eos e vivis tollere. Quod etiam declaravit DEUS ipse *Exod.* 22. & Apostolus ad *Rom.* 13. ubi de Principe & ejus Magistratu, ac Judice ait: *non frustra gladium portat*.

492. Quamvis vero *interdum* licitum sit occidere publicos hostes, quales sunt latrones, proscripti, banniti &c. nihilominus occisio illa non alia fit auctoritate, quam *publica*, concessa a Principe, qui eam dare potest, quando alia via malum averti nequit, aut si criminis convictus delinquens ad terrorem aliorum secus puniri non posset.

493. Hinc autem concludes: Non licere Marito propria auctoritate *occidere uxorem* in adulterio deprehensam, *aut adulterum*, etiamsi hic fuerit persona vilis, contra quam sentiat *Jul. Clarus* §. homicidium n. 48. & seq. cum aliis non paucis. Neque enim subest causa sufficiens ad id concedendum *in statu Civitatis*, ubi adest legitimus Magistratus, qui justitiam administrare tenetur & potest. Ac proin occisionem hujusmodi nulla insuperabilis necessitas urget; qualis dari interdum solet in subitanea aggressione vitæ; ubi *res non patitur moram*; neque implorationem auxilii Magistratus, sive Judicis.

Cum igitur Adulter deprehensus non injiciat violentas manus in Maritum supervenientem, ille potest capi, accusari, & per sententiam puniri, quin privata auctoritate occi-

occidatur. Alioqui sine perimente necessitate exponeretur manifesto periculo salus animæ ejus, & læderetur caritas Christiana, hominem *imparatum* & impœnitentem occidendo. Unde etiam juste proscripta est ab *Alex. VII.* propos. 19. *Non peccat Maritus occidens propria auctoritate uxorem in adulterio deprehensam.*

494. Neque obstat *l. Patri* 20. *ff. ad legem Jul. de adult.* ubi Patri datur jus occidendi adulterum cum filia sua peccantem, *dummodo* filia hæc juncta sit matrimonio, maneatque in Patris potestate, & ut zelosus Pater *eodem impetu* occidat filiam & adulterum, si possit, faciatque id in domo sua paterna, vel Generi, ac eos deprehendat actu in opere turpi. Imo per *cit. l.* 20. ac per *l. si adulter.* necnon *l. Marito* 24. tum per *l. Grachus* 4. *cod. ad legem Jul. de adulter.* conceditur etiam Marito potestas occidendi adulterum cum sua uxore deprehensum. Quod etiam permisit Lex XII. Tabular. *Mœchum in adulterio deprehensum necato*, ut refert ex aliis *Covarr.* de Matr. 2. p. c. 7. §. 7. Quæ lex etiam multo ante Athenis viguit lata a *Dracone* & *Solone*, teste *Plutarcho* in Solon. Porro adductæ leges dicuntur a suis Patronis dare hanc auctoritatem, & constituere Parentem & Maritum veluti executores justitiæ, ut proin non videantur facere privata: sed *publica* auctoritate.

Non obstant inquam hæc. Quia citatæ Juris positivi dispositiones *mere permissivæ*, utut aliquam verisimilitudinis speciem habere videantur: illæ tamen moralem certitudinem *de licentia actionis*, qualis omnino requiritur, ubi de vita hominis, & animæ ejus salute res est, prorsus non faciunt, multo minus restringunt naturalem legem, homicidia, præter casum necessariæ defensionis vitæ supra expressum, privata auctoritate attentanda prohibentem, quod hunc in modum demonstratur.

Nam I. Ne quidem Jure Cæsareo permittitur Maritis occidere *uxores* adulteras: sed tantum *adulterum*, & tunc uxorem jubentur accusare in judicio puniendam, ut testatur idem *Covarr.* loc. cit. & colligitur ex *l.* 22. §. *ult. ff. ad legem Jul. de adulter.* necnon ex *l.* 24. *pr. ff.* eod. tit. ubi datur quidem facultas Marito occidendi adulterum: sed eum, qui *Judicio publico damnatus, neque in integrum restitutus est*, ceteros occidere ille absolute prohibetur.

495. Et quamvis olim aliquamdiu promiscue licentia

hæc

hæc ab Athenienſibus introducta viguerit, quemvis ſine diſcrimine occidendi, nihilominus *Auguſtus* ſuſtulit, ut refert *Suetonius* in Auguſto. Patri tamen permiſit quidem ille ut occidat filiam ſimul cum adultero. Hæc ipſa autem variatio & perplexitas Legum ſufficiens præbet indicium, ex illis nihil certi contra vitam adulteri concludi poſſe extra ordinem judicialem. II.) Quomodocunque contendat quis leges prædictas habere nunc ſuum vigorem in occidenda à Patre filia, vel a Marito perſona peccante in adulterio deprehenſa, reperiet ſaniorem & majorem partem Eruditorum, qui probant ſanctiones hujuſmodi fore iniquas, ſi id permittant *approbative*, dando ſcilicet licentiam pro foro conſcientiæ. Uti conſtat ex *Can. Inter hæc 6. cauſ.* 33. *q.* 2. ubi Nicolaus I. expreſſe declarat ejuſmodi occiſionem non licere. Et ita docent *D. Thom.* in 4. d. 37. q. 2. ar. 1. *Henric. Gandavens.* quodlib. 5. q. 31. *Covarr.* in Epit. p. c. 7. §. 7. n. 12. *Tholoſan.* l. 36. Syntagm. c. 6. *Mol.* tr. 3. d. 7. *Lugo* de Juſt. d. 10. n. 91. Ac *Barboſa* de homicid. refert pro hac ſententia 48. Auctores ſui ævi, contra *Jul. Clarum* loc. citat.

496. *Rationem* negatæ hujus licentiæ dat ipſummet jus civile in l. 136. ff. de R. J. ubi ait: *Non eſt ſingulis concedendum, quod per Magiſtratum publice POTEST expediri*. Præclare *D. Aug.* l. 2. de adulterin. conjugiis c. 15. dicit: *Poſtremo quæro abs te, an Marito Chriſtiano liceat, vel ſecundum veterem DEI legem, vel Romanas, adulterum occidere?* (alii legunt: *abjicere*; ſed male) Et poſt pauca ait: *Si quod verius dicitur, non licet homini Chriſtiano adulteram conjugem occidere: ſed tamen dimittere, quis dicat tibi, fac quod non licet, ut tibi liceat, quod non licet? Cum enim utrumque ſecundum legem Chriſti illicitum ſit, ſive adulteram OCCIDERE, ſive illa vivente ALTERAM DUCERE, ab utroque abſtinendum eſt.*

497. Leges igitur, ſi quæ forent contrariæ in *materia morum*, in naturali juſtitia fundatorum, rationi diſſentaneæ, *correctæ* ſunt a Jure Canonico, quo ad licentiam actus occiſionis. Id tamen *Julio Claro* & ſequacibus ejus permitti poteſt, quod in foro externo Judex homicidam hujuſmodi *mitius* punire poſſit, aut interdum a pœna criminali abſolvere, *ob vehementiam impetus & doloris*, quo impellente *adulterum*, vel *uxorem* peccantem occidit, prout etiam notat *Lugo* l. c. n. 96. Quod ipſum aſſerit de occiſione Clerici

vici in adulterio deprehensi, quem occidens *licet peccet*; tamen Excommunicationem non incurrit; doloris vehementia eum excusante. Talis quippe legum Civilium permissio cum sit mere *negativa*, quatenus scilicet actionem criminalem; seu civilem contra eum non recipiunt, nec pœnam decernunt, teste *Molin.* de J. & J. tr. 3. d. 99. pr. tolerari potest ad detestationem criminis, & terrorem aliorum. Quod ipsum & solum etiam colligitur ex *L. si adulterium §. Imperator, ff. ad legem Jul. de adulter.*

## §. VII.

*An lædere censendus sit proximum; qui eum cogit ad bibendum?*

498. EBrietatem & ingluviem jure nat. vetitam ostendimus a *n.* 363.) Alia jam oritur quæstio, an ille lædere proximum suum; atque adeo naturalem legem transgredi dicendus sit, qui alterum alioqui temperantem & abstemium, qua importunis precibus, qua exprobratione ingratitudinis, ignaviæ; aut animi non satis addicti, qua minis, aliisve mediis cogit ad bibendum, seu potius provocat ad æquales calices exhauriendos?

Provocationem hanc, seu Potatorum certamen eleganter describit *D. Ambr.* de Elia & jejun. c. 13. *Primo* inquit, *minoribus poculis velut velitari pugna præluditur. Verum hæc non sobrietatis est species: sed disciplina bibendi, ut irritent sitim*, &c. *ergo ubi recalere cœperint, poscunt majoribus poculis, fervor inardescit*, &c.

In eundem sensum *D. Aug.* serm. 231. disserit: *Majora pocula providentur, certa bibendi lege contenditur; qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.*

Præclare etiam *Apulejus* florid. 3. totum certaminis hujus ordinem enarrat, eumque ad certos reducit gradus, seu *bibendi regulas*, dicens: *Prima cratera ad sitim pertinet: secunda ad hilaritatem: tertia ad voluptatem: quarta ad insaniam.*

De hac igitur *quarta* quæ ad insaniam est, *cratera*, præsens vertitur quæstio, an ita ad potandum provocans lædat proximum, consequenter jus naturæ? Et responsio *affirmativa* non minus prompta quam certa est. Quia provocatio hujusmodi continet *per se* quid alienum a ratione, & in

& in moribus turpe. Nam regula bibendi hoc casu statuitur non sana ratio, non necessitas naturæ, non bona valetudo, non animi vigor, aut sensuum alacritas: sed mera levitas animi, & tum provocantis venter, tum provocati, qui importunam humanitatem hanc velit, nolit, cum suæ sanitatis dispendio pati cogitur, ne amicum, vel aliam, quæ se provocat, personam offendat, ab eaque male tractetur, vel ei displiceat.

499. Hinc provocatio hujusmodi inter gravia contra legem nat. delicta reputatur, si provocans eam faciat *animo* se vel alterum inebriandi, vel *si advertat*, aut facile *advertere possit*, inde in seipso vel altero ebrietatem secuturam; etiamsi *non eo animo* faciat: nisi forte causa aliqua justa excuset. Qualis v. gr. esset, si aliqui meditentur proditionem Civitatis in *certam horam*, aut occisionem innocentis *præstituto tempore*; vel aliud simile grave machinentur malum. Hoc casu non violabitur lex nat. si illi ad liberales haustus provocentur eo fine, ut ita bene poti vel dormiant, vel inhabiles hic & nunc reddantur ad prava molimina in opus deducenda. Jure quippe naturæ e duobus malis insuperabilibus minus eligere permittimur.

Illicitæ etiam ad bibendum provocationis reus convincitur ille, qui animo alterum inebriandi, aut probe intelligens eum facile inebriari posse, exhaurit crebros vel luculentos quidem calices: sed impletos aqua colorata, vel alio potu, qui inebriare bibentem non potest, compotator autem ad bibendum provocatus cogitur bibere v. g. vinum generosum & ad inebriandum efficax. Tali convivio interfuerat olim Poeta *Martialis* a *Pontico* Cive Romano invitatus, quem cum ille deprehendisset in arte bibendi astutum, sibi scilicet parcentem, alios autem inebriare vino generoso meditantem, considerato ejus calice, quod hic ex materia opaca confectus fuerit, reliqui vero Convivæ vitris pellucidis bibere jussi sint, ingeniose accinuit, *lib. 1. Epigr.*

*Nos bibimus vitro, tu mytro: Pontice quare?*
*Prodat perspicuus ne duo vina calix.*

500. Jus naturale manifeste prohibuit hujusmodi artes bibendi, & alios ad *ebrietatem provocandi*, quam legem inter primos exacte implevit Rex *Assuerus*. Ille, uti perhibet Sacra historia, Esther 1. *Fecit grande convivium cunctis princi-*

*bus & pueris suis fortissimis Persarum, & Medorum inclytis, & præfectis provinciarum coram se.* Hi jucundi omnes hilaresque regia utebantur munificentia: *bibebant qui invitati erant, aureis poculis, & aliis atque aliis vasis* &c. *Vinum quoque abundans & præcipuum ponebatur.* In tanta autem, quod mireris! rerum copia & Principis profusa liberalitate, nullus repertus est, qui ad potandum provocaret: *Nec erat qui nolentes cogeret ad bibendum; sed sicut Rex statuerat, præponens mensis singulos de Principibus suis, ut sumeret unusquisque quod vellet,* &c.

Nihilominus, quia naturalis hæc observantia contrariis moribus in discrimen adduci visa fuit, hinc factum est, ut Augustissimi Imperatores in variis *Recessibus* Imperii Constitutiones dictaverint moderantes compotationes immodicas, coactiones ad bibendum & provocationes. Prout id patet ex *Recess. Ann.* 1500. *Augustæ, tit.*28. *de Compotat.* Ac ex *Recess. Ann.* 1530. *tit.* 8. *de reform. polit. Augustæ:* Pariter ac ex *Recess. Coloniæ Ann.* 1512. *tit.* 4. §. 5.

Porro causa, quæ Augustissimos Legislatores hos ad prædictas sanctiones dictandas permoverat, hæc fuerat inter alias, quod illi ex hujusmodi conviviis magna in Rempublicam mala invehi posse adverterint, ac præ primis blasphemias, juramenta, contentiones, dissidia, cædes, demum paupertatem & inopiam cum incolumitatis jactura, ne aliquando irreperent, præpedire conati sint.

501. Pro harum legum exactissima custodia, & simul contra compotationes hujusmodi acriter detonans eruditissimus JCtus *Besoldus* th. pr. lit. T. n.43. hunc in modum perorat: *Perniciosissima illa hodie pro salute alicujus bibendi ratio, vulgo adeo invaluit, ut ingratus & injurius erga alterum putetur, qui erectus, uno haustu, plerumque grande poculum pro ejus salute ebibere, & se inebriare recusat. Sed audiant isti salutis potatores Ambrosium qui Lib. de Elia & jejunio c.17. sic scribit: Quid obtestationes compotantium loquar? quid memorem Sacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro salute Imperatorum, & qui non biberit sit reus in devotione: videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus salute non biberit. O! piæ devotionis obsequium; bibamus pro salute Exercituum, pro Comitum virtute, pro filiorum sanitate. Et hæc vota ad DEUM pervenire judicant, sicut illi, qui calices ad sepulcra Martyrum deferunt, atque illic in vesperam bibunt, & aliter se exaudiri posse non*

*credunt. O! stultitiam hominum, qui ebrietatem sacrificium putant; qui æstimant illos ebrietate placari, qui jejunio passiones sustinere didicerunt*. Ita Besoldus.

Consultum sane foret, si non tantum memoria: sed & attenta ratio haberetur illius versiculi *Oveniani*:

*Non est in pota sæpe salute salus.*

502. Et illius, quod Sapiens monet *Ecclesiastici* 37. v. 34. *Propter crapulam multi obierunt: qui autem abstinens est, adjiciet vitam*. Experientia etiam testis est, haud raro magnas clades rebus publicis illatas contingere, Militibus ac Ducibus inter compotationes oppressis ab hoste, permultas quoque & insignes victorias hostibus adversariorum suorum ebrietate partas esse, nemo est qui neget. Porro vel hæc sola pericula malorum sufficerent, ut prædictæ compotationes lege nat. fuerint prohibitæ, per quas nedum privati Cives læduntur in sanitate, vita, corpore & anima: verum etiam bonum publicum ingens detrimentum patitur.

## §. VIII.

### *Quæ læsio proximi Jure nat. prohibetur quo ad* BONA FORTUNÆ?

503. JUre nat. inhibita est omnis *voluntaria* læsio proximi in *bonis fortunæ*, quæ fieri potest per *furtum, rapinam, fraudem, contractus iniquitatem, ac damnum dolo malo datum*. Quod contractus concernit, cum læsio hæc pugnet contra officia *hypothetica*, de ea, pariter ac de damno, *Art. IV.*) agemus, ubi per suas proprietates singula specifice exponentur. Loquendo autem hic & nunc *in genere*, sicut *restitutio*, seu redditio, & damni illati compensatio *ad tres radices*, id est tria læsionis capita, ita & injuria proximo in ejus bonis illata *ad tres fontes*, seu læsionis causas bene reduci potest. Scilicet, potest ei injuria irrogari I.) Per *injustam acceptionem*, seu prout alii cum *Haun.* tom. 3. f. 94. n. 140. melius explicant, *per læsionem juris alieni* formaliter & theologice injustam. II.) Per *rem acceptam*. III.) Per *contractum*.

504. Per *injustam acceptionem*, seu *læsionem juris alieni* theologice injustam proximo fit injuria non solum furtive res ejus contrectando: sed etiam *damnum* quodvis dolose per violationem, destructionem rei, aut aliter dando. Prout fit per omne homicidium, adulterium, stuprum, ra-

rapinam, infamiam, vel aliud factum *iniquum*, ex quo *aliquod damnum* in rebus ejus sequitur. Quicunque enim alteri damnum *dolo malo* infert, aufert aliquid ab eo, & sic dicitur teneri ratione injustæ acceptionis, seu *læsionis juris alieni*, prout tenetur v. g. adulter, si ex ejus iniquo concubitu Marito proles nata est, quam hic sustentare cogitur, putans esse suam. Quia damnum hoc inferendo violavit æqualitatem, quam poscit *justitia commutativa*, & exigit absolutum & perfectum officium hominis erga hominem. Ut igitur æqualitatem illam resarciat, tenetur lege justitiæ ad restitutionem, etiamsi forte damnum illud *damnificanti* non fuerit *lucrosum*: sed in mera violatione, aut destructione rei constiterit, sufficit enim quod rei domino destructio hæc vel juris læsio damnum pretio æstimabile attulerit.

Per *rem acceptam* infers injuriam, non solum tunc, dum rem alienam *dolo malo* contrectatam retines (hæc enim læsio ad *primam* illam radicem spectat) sed etiam dum bona quidem fide, & putans esse tuam accepisti, vel ab alio datam usucapere inchoasti, prius quam tamen præscriptio compleretur, in notitiam rei alienæ devenisti. Quo etiam referuntur res inventæ, si sufficiens in investigando domino suo *diligentia non sit adhibita*, quamvis alioqui tempus præscriptioni determinatum elaberetur, quia tunc deest bona fides.

Si item rem, quæ v. g. *facto* tui Parentis ex justitia alteri debita est, apud te retines, veluti legatum, vel rem donatam, venditam alteri, tibi autem traditam ut eam suo legatario, donatario, emptori restituas: obligaris *ex re accepta*. Licet enim hæc & similia non injuste acceperis, ubi tamen vel in notitiam rei alienæ devenisti, vel mutasti animum, quo minus alteri reddendam rem reddas, irrogas injuriam, cum habeas plus quam tuum sit, & verus Dominus, cui res debebatur, habeat minus: ut igitur fiat æqualitas justitiæ, debet restitui.

305. Per *contractum* inique initum, vel non impletum sicut irrogari potest injuria, ita ex eodem oriri solet restitutionis obligatio. Et quamvis plerique solis *duabus* prioribus *radicibus* contenti, inter fontes restitutionis non faciant contractus mentionem, nihilominus post JCtos & Naturalistas, eum cum *Lessio*, *Haunoldo*, & aliis admittunt etiam multi JT. eo quod *restitutio*, seu *damni dati*

*compensatio* generatim acceptam, sine hac *tertia radice* explicari nequeat, ac proin nec læsio proximi in bonis ejus ex causa stipulationis, promissionis, contractus vel pacti facta exponi *adæquate* possit.

*Ratio* est, quia is qui obligatur v.g. ex *stipulatione*, *pacto* aut *promissione acceptata*, non tenetur ex *injusta acceptione*, neque *ex re accepta*, obligatur tamen adhuc ad reintegrandum & reparandum jus alterius læsum, pro æqualitate rei. Quod ipsum patet in *mutuo*, *pretio rei emptæ* & similibus. Cum enim fieri possit, ut res hæ non extent, neque eas inique acceperis, non obligaris ex *injusta acceptione*, ut per se patet, non etiam *ex re accepta*: tanto minus ex *quasi accepta*, siquidem non extat; & tamen teneris ad restitutionem: Igitur ex contractu; ad quem reducuntur omnia pacta, stipulationes, promissiones, & *vota realia* &c.

Quod etiam firmatur praxi omnium Tribunalium, & Juris Romani dispositione, quæ distinguit obligationes ortas ex stipulatione, pacto & contractu tanquam *personales*, ab obligationibus ex re accepta, & injusta acceptione, tanquam realibus, quæ præbent fundamentum vindicationis rei Domino suo obligatæ, apud quemcumque possessorem fuerit.

506. Huc etiam facit ipsum discrimen inter enumeratas tres læsionum causas, & restitutionis radices. Quando enim aliquid debetur ex *injusta acceptione*, vel *ex contractu*, v.g. mutui, manet obligatio restitutionis, etiamsi res debita pereat sine nostra culpa, quia *debitor generis* vel *ex delicto*, nullo rei interitu obligatione liberatur, *l. 11. C. si certum petat.* ibi: *Incendium ære alieno non exuit debitorem*, juncta *l. si te bonis 10. C. de jure delib.* ac *l. 35. ff. de contrah. empt.* juxta quos textus *genus perire non potest*, sicut neque *res inique ablata*. Quamdiu enim damnum ad æqualitatem justitiæ commutativæ reparatum non est, jus nat. eam exigere de bonis damnificanti propriis non cessat. Quando autem debetur tantum *ratione rei acceptæ*, vel *quasi acceptæ*, non manet tunc obligatio, re absque nostra culpa pereunte, ut omnes fatemur in casu v. g. rei alteri donatæ, quæ meis consignata fuerat manibus, ut eam donatario traderem: interea sine omni mea culpa per latrones mihi erepta est.

507. Neque dixeris, admissa *tertia* causa, seu *radice* restitutionis, quæ ex *contractu* deducitur, sequeretur admit-

teu-

rendas etiam plures alias, scilicet *quartam* ex damno dato injuria formali, *quintam* ex eodem damno dato sine formali injuria, *sextam* ex delicto vel quasi, *septimam* ex quasi injusta acceptione, *octavam* quasi ex contractu, *nonam* ex re quasi accepta.

Nam R. non sequi hanc pluralitatem. Quia ad priores *tres* causas & radices omnes hæ referuntur. Si enim damnum formali injuria, id est cum *culpa theologica* datum, v. g. si malitiose alterius gemmam projicias in flumen, aut frangas speculum (quale *damnum* vocatur damnificanti *infructuosum*) vel si easdem res alienas non jam destruas: sed tibi appropries (quod damnum damnificanti *fructuosum* dicitur) utrumque refertur ad injustam acceptionem, seu *læsionem juris alieni* theologice injustam. Quodsi damnum *non lucrosum* datum fuerit sine injuria formali, seu theologica, prout fit, dum v. g. alienum vitrum frangimus sine ulla prorsus nostra culpa formali, ac mero casu, vel cum culpa tantum juridica; tunc refertur ad *leges noxales* tantum. Quia jus nat. hic versatur non nisi circa damnum peccaminose illatum aut durante obligatione contractus, ut infra dicetur.

Casu autem quo damnum datum quidem foret, sine ullo peccato tuo, tibi tamen *lucrosum* seu *fructuosum* fuerit, v. g. quia per invincibilem errorem rem alienam ut tuam bona fide accepisti, eamque retines agnoscens nunc esse alienam, refertur hoc damnum ad obligationem restitutionis ex *re accepta*.

508. Obligatio item ex *delicto*, v. g. ex *malitiosa* occisione alieni bovis, incendio domus, homicidio &c. reducitur ad radicem ex injusta *acceptione* vel *quasi*, seu læsione juris alieni &c. Dummodo culpa theologica in delinquendo intercesserit: alioqui proveniens ex sola culpa juridica, refertur ad *leges noxales*.

Obligationem autem *quasi ex delicto* contrahit, qui sua culpa saltem juridica omisit scire, quod tenebatur, v. g. Judex, Advocatus &c. ob culpabilem muneris sine juris peritia susceptionem damnum inferens alteri. Hæc autem obligatio reducitur ad eandem radicem, ac si foret *ex delicto*.

509. Jam vero *quasi ex contractu* tenetur ille, qui obligatur ex *tacita*, seu præsumpta conventione, ex qua mediante facto aliquo producitur obligatio. Ita obligatur heres ad

*vota realia*, *legata*, aliaque *onera* sui Auctoris: *Judex* ad juste judicandum: *Princeps* ad protegendos subditos suos &c. Verum hæc obligatio *reducitur* ad eam, quæ oritur *ex contractu*.

510. Demum per rem *quasi acceptam* lædis proximum, & ad restitutionem ex eadem radice teneris; si v. g. rem non quidem accepisti ab eo, vel ex ejus mansione, hanc tamen ille in tua domo diversatus imprudens reliquit ex mera oblivione, quam *agnitam ut alienam* teneris reddere domino suo, perinde ac si inventa a te extra domum tuam foret. Obligatio tamen ista non ad aliam radicem spectat, quam ad illam *secundam*, quæ est *ex re accepta*, at utraque eodem legis nat. privilegio gaudet, quod scilicet non maneat restitutionis onus *pro foro animæ*, re absque culpa nostra pereunte, ut mox fusius ostendetur.

## §. IX.

### *Quid Jus nat. disponat circa reparationem damni?*

511. TRifariam contingere potest, ut damnum alteri nostra culpa inferatur. I.) Si quis teneatur ex officio impedire, & negligat. II.) Si ex contractu. III.) Extra officium & contractum quidem: nostro tamen aliquo facto accedente. Quocunque ex his tribus modis detur aliquod damnum alteri, id fieri potest non tantum ex *dolo malo* (qui culpam *theologicam*, seu ut aliis placet, *latissimam* constituit, sive hæc mortifera, sive venialis tantum fuerit) sed etiam ex culpa solum *juridica*, eaque lata seu latissima, levi, aut etiam levissima.

Culpa *in genere*, est *omissio alicujus diligentiæ, unde sequitur aliquod incommodum*. Culpa *lata* seu latissima, est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis, quam homines ejusdem conditionis adhibere communiter solent. Veluti si quis pallium alterius commodatum relinquat foris ante suam domum.

Culpa *levis* est omissio ejus diligentiæ & circumspectionis, quam solent *diligentiores* ejusdem artis vel professionis adhibere. Veluti si rem commodatam inferas quidem cubiculo tuo, non tamen eam reponas in *loco tutiore*, quo exteri hospites non ita facile perveniunt.

Culpa *levissima* est omissio diligentiæ, quam *diligentissimi*

*fimi* & prudentiſſimi adhibent. Ut ſi veſtem commodatam reponas quidem in loco apud te ſeparato, & bene claudas; non tamen te reflectas ad feneſtras a terra non ſatis remotas, non crate ferrea munitas, peſſulum quoque non periclíteris, an fores bene cohæreant poſtibus, nec ne, & utrum ferratura ſit ſatis firma. His ſuppoſitis.

512. Communior opinio eſt, damnum damnificanti *non lucroſum*, ſine culpa theologica datum, *ſpectato jure mere naturali*, ac *ſecluſo contractu vel quaſi*, ante ſententiam Judicis nullam parere in conſcientia obligationem ejus reparandi, ſeu compenſandi.

Excipiunt quidem plerique culpam juridicam *latam* ſeu latiſſimam, volentes ex hac ſemper teneri in *foro animæ*, eo quod putent culpam hanc non poſſe committi ſine advertentia ſufficiente ad peccatum, eamque quatenus *lata* eſt, ſemper conjungi cum dolo malo & culpa theologice *gravi*. Verum hæc theorica præſumptio in praxi ſæpiſſime eſt falſa. Nihil enim vetat, quin aliquis ita ſit perturbatæ, vel abſtractæ mentis, ut rem v. g. commodatam, ſine omni advertentia imprudens, vel ex mera oblivione relinquat in loco omnibus patente, v. g. in platea, nullo modo ſe reflectens ad periculum ejus interitus. Quo caſu committet culpam *latam juridicam*, qui tamen doli mali, ac conſequenter culpæ theologicæ damnandus ſit, ſiquidem nullâ ſibi prorſus advertentia incidit, nec forte incidere ob graviſſimam perturbationem, aut facti errorem potuit.

513. Hinc rectius alii ſtatuunt, *nullam culpam* etiam *latam* ſeu latiſſimam, quamdiu *juridica* tantum eſt, inducere *ullam obligationem* damni compenſandi ante ſententiam, ſi nullum in ea peccatum theologice tale a dolo malo inſeparabile contra juſtitiam intervenit. Quidquid ſit, quod *ſpectato contractu, vel quaſi contractu, officio, legibus poſitivis, ac conſuetudine introducta* detur hujuſmodi obligatio, etiam pro foro interno, & ante omnem ſententiam. Quod tamen an ſemper locum obtineat; decidemus *Art. IV.* ubi examinanda veniet quæſtio; qualis culpa præſtanda ſit *in contractibus* &c.

514. *Ratio* noſtra eſt. Quia I.) In foro conſcientiæ illo caſu nulla commiſſa eſt injuria, & injuſtitia: igitur in hoc interno foro non datur ulla obligatio. Hæc enim pro hoc foro ex ſola formali injuſtitia damnum inferentis oritur. II.) Actus hujuſmodi non fuit *moraliter* voluntarius

damnificanti, utpote nec in re, nec in sua causa ullo modo prævisus, aut intentus: alioqui infantes, & amentes ex tali damno dato tenerentur ad reparationem ejus.

515. Facit huc III.) quod, qui ita damnificat alterum, neque teneatur *ratione contractus, vel quasi*, aut *ex officio*, cum hæc non supponantur in eo hoc casu; neque ratione *rei acceptę*, seu *dolosa juris alieni læsione*, cum sine omni peccato formali damnum sit secutum: Igitur cum actus sine omni culpa theologica commissus, pro foro mere interno habeat se perinde ac casus fortuitus: hinc sicut nemo dicitur obligari in conscientia ante omnem sententiam ad reparandum damnum, si res aliena apud eum existens fulmine tacta interierit, dummodo ille non fuerit *in culpabili mora* restitutionis, aut *casus* etiam *fortuitus* non sit *in contractum deductus*, ita neque obligabitur in casu præallegato.

516. Nec stringet argumentum, si dixeris: Ex hac decisione sequi *incendiarium*, qui volens incendere domum Petri, erravit, incenditque domum Pauli, ad nullam damni compensationem teneri, siquidem Petro nullum intulit, Paulo autem intulit quidem: sed sine culpa theologica, quia per merum facti errorem invincibilem.

*Contra* enim est, quod falso labores supposito, in utroque dicto casu defuisse peccatum, ac proin neque deesse debet obligatio restitutionis, non quidem Petro præstandę, cui præter solam nocendi voluntatem, nullum re ipsa damnum datum est, bene tamen Paulo, cui damnum licet errore quidem, tamen *voluntarie* illatum est. *Ratio* hujus: Quia tota quantitas damni incendiario est *voluntaria*, quod autem sit hujus, vel illius damnum, non est necesse me scire, ut jure nat. obligatio compensationis imponatur. Sicut quando quis damnificat communitatem, non ideo excusatur, quod nescierit quinam sint in communitate.

## §. X.

*Quid disponat lex nat. circa grave damnum datum cum voluntate nocendi, aut advertentia semideliberata, seu venialiter tantum peccaminosa theologice?*

517. Duæ sunt opiniones circa hunc casum. *Prima* docet, damnum hujusmodi in foro conscientiæ com-

*compensandum*: sed non *integre*, verum ad proportionem culpæ. *Ratio primi* affertur: quia hoc casu radix, unde restitutionis obligatio oritur, est *injusta acceptio*, vel *læsio*: qui autem per venialem injuriam damnum infert, is *injuste lædit*: igitur resarcire debet, & quidem *sub obligatione gravi*, si materia restituenda notabilis sit. Nam certum est, mortaliter peccare eum, qui notabilem quantitatem ex justitia restituere obligatus sine justa causa intermittit.

Quo etiam facit, quod cum *alteruter* ex duobus damnum subire cogatur, æquius sit illum pati qui aliquo modo nocens, & moralis causa damni est, quam qui omnino innocens.

*Ratio secundi* datur, quod cum injusta damni illatio causam restitutioni præbeat, consequens est, ut *secundum quantitatem* injuriæ *formalis* tanquam causæ, sit etiam restitutionis effectus. Si igitur injuria *formalis* consistat in culpa tantum *levi theologica*, seu *veniali* peccato, damnum illud materiale non jam totum, neque integre: sed tantum ad proportionem culpæ formalis, quæ non nisi venialis fuit; compensandum erit ante Judicis sententiam. Alioqui post hanc totum damnum resarciendum, si judex decreverit. Ita cum aliis *Mol.* tr. 2. tom. 3. poster. d. 698. n. 7.

518. *Altera* opinio putat, præscindendo *a contractu*, vel *quasi contractu*, ex culpa theologica veniali ob defectum deliberationis, sufficientis diligentiæ, aut advertentiæ non oriri gravem sub *mortali*, 2.) Imo neque sub *veniali* peccato obligationem, ante Judicis sententiam, compensandi damnum grave. 3.) Nisi forte *adverterit* ad malitiam illam levem, & leve damnum secuturum, tunc enim *id tantum tenetur sub veniali compensare*, quod prævidit.

Ratio *primæ* partis allegatur, quia quando damnum infertur voluntate semideliberata, *gravitas damni* qua talis *non est voluntaria*, cum non sit sufficienter cognita: igitur non fundat obligationem compensandi damnum grave. Demum *culpa venialis non est perfecta injuria*: ac proin nequit perfectam obligationem restitutionis gravis damni inducere, qua obstringat sub mortali. Non enim potest esse obligatio major in suo ordine, quam fuerit injuria, ex qua nascitur, in ordine suo. Hinc talis damnificans ratione imperfectionis actus excusatur a restitutione sub gravi obligatione præstanda.

Partis *secundæ* ratio datur. Obligatio in materia gravi non po-

potest esse, nisi sub gravi peccato: pendet enim obligatio ex materiæ gravitate, posito præcepto naturali, vel positivo. Mirum enim esset hominem sub veniali solum obligari ad compensandum damnum *decem millium* aureorum; nec posse hoc peccato liberari, nisi proponat compensare: Atqui in casu gravis damni cum semiplena advertentia illati, adesset obligatio in materia gravi compensandi v. g. damnum 10000. aureorum, deberet igitur esse sub gravi peccato: porro non esset sub gravi, quia ut volunt contrariæ sententiæ AA. esset tantum sub veniali, adeoque non esset simpliciter ulla, utpote involvens contradictionem.

Demum, quia cum solum venialis culpa in damno dato intercessit, censetur damnum quasi fortuito obvenisse, quod fragilitati humanæ frequens est. Ita sentit *Silvest.* v. *culpa*. n. 6. *Sotus* l. 4. de J. & J. q. 7. a. 7. & l. 5. q. 1. a. 9. *Petr. Navarr.* l. 2. c. 1. n. 47. Quos sequuntur *Card. de Lugo*, *Haun.* & alii.

519. Utraque sententia *solida* & *tuta* ab eruditissimis Viris defenditur. Interim prior huic alteri in praxi videtur esse præferenda, utpote in *materia injuriæ* tertii *tutior*, æquitatique naturali magis accommoda. Quo etiam facere potest propositio 38. damnata ab *Innoc. XI. Non tenetur quis sub pœna peccati mortalis restituere, quod ablatum est per pauca furta, quantumcumque sit magna summa totalis.*

Porro hujus propositionis Patroni docebant non obligari sub gravi peccato ad restitutionem eum, qui post præmissa levia furta adjungit ultimum, de se quidem leve, in sensu tamen composito cum prioribus, notabilis quantitatis constitutivum. Quorum fundamentum erat, ideo talem furem non obligari ad restitutionem sub gravi, quia singulis illis furtis peccavit tantum venialiter: videtur autem esse *improportio* inter culpam levem & obligationem gravem, seu inter peccatum veniale in damnificando commissum, & inter onus resarciendi damnum sub gravi. Prout patet a pari in illo, qui ex aliqua injuria venialiter peccaminosa non extinxit lumen, inde fuerit exortum incendium, & domus conflagravit. Qua tota ratione non obstante doctrina horum Patronorum proscripta est: igitur &c.

520. Quanquam forte responderi possit, ex damnata propositione hac nihil verisimile concludi contra assertam *alteram*

*teram* opinionem ex *Silvestro*, *Soto*, & aliis eruditissimis Viris adductam; idque propter latissimam disparitatem, pariter ac falsitatem suppositi. Damnatæ enim propositionis Patroni docuerunt, *primo* ) per ultima furta minuta peccari tantum venialiter, *si quis advertat* per conjunctionem horum cum præcedentibus deveniri ad summam notabilem, *secundo* ) putarunt illi, quod fur iste non teneatur *sub gravi* reparare totum damnum, si res *successive* in modica quantitate *sublatæ*, apud se *formaliter*, vel in *æquivalenti* restent. Quod falsum est; cum hoc casu teneatur *ex re accepta*, casu autem priori siquidem *advertit* conjunctionem ultimi furti cum præcedentibus, tenebatur ex *injusta acceptione*.

Nihil autem simile est, in adducta opinione *Silvestri*, *Soti*, & aliorum. Imo eorum sententia manifeste in contrarium excipit, dicens: *Nisi forte adverterit ad malitiam illam levem, & leve damnum secuturum* &c.

Ultimo tandem, damnata propositio procedit de damno *fructuoso* damnificanti, utpote delinquenti per subtractionem rerum alienarum: Contra vero, utraque sententia, quam hic retulimus, procedit de damno infructuoso, seu *in destructione* rei alienæ consistente, ut si quis alterius gemmam *semideliberate* in flumen projiciat, unde ipse nullum *fructum* seu commodum consequitur. Alioqui *si res non destruatur: sed extet*, aut si periculum interitus rei & damni proximi adhuc impediri potest, nullus dubitat eum obligari sub gravi onere ad impediendum, quantum potest, & restituendum quantum extat.

## ARTICULUS III.

*De officiis erga proximum ortis ex ipsa justitia naturali, sine suo vel alterius facto, promissione aut contractu, iisque* affirmativis, *perfectis & absolutis*.

## SUMMARIUM.

521. *Connexio hujus cum* præced. Articulo *exponitur*.
522. *Quando & qualem Amorem proximus exigere possit?*
523. *An officia debita proximo sint officia* primævi *status naturæ?*
524. *Quæ sint officia perfecta absoluta legis nat. affirmativæ?*

525. &c.

525. &c. *Afferuntur exempla legis nat.* negativæ & affirmativæ.
528. &c. *An detur nat. obligatio defendendi alterum cum proprio vitæ periculo?*
531. *An teneatur ad restitutionem, qui non defendit proximum?*
532. *Quinam ex justitia teneantur defendere proximum?*
533. *In extrema necessitate non tribuens an agat contra justitiam?*
534. *Qui scandalizat non tenetur ex justitia ad restitutionem.*
535. &c. *Referuntur* tres *sententiæ circa non tribuentem in extrema necessitate.*
538. &c. *Eligitur sententia* media *inter duas ultimas. Et probatur.*
541. &c. *Respondetur contrariis rationibus.*
544. *An Filius Religionem ingressus teneatur Parentes alere?*
545. *Ille nequit Religionem ingredi, si gravi inopia Parentum præveniatur.*
546. *Fratres & sorores non tenetur sustentare.*
547. *Si Parentum inopia prævenit ingressum: filius potest egredi.*
548. *Non tamen si hæc inopia Professioni filii superveniat.*
549. *Hoc casu cura Parentum spectabit ad alios.*
550. In extrema *Parentum necessitate tenetur omni modo succurrere.*
551. *An adsit obligatio veritatem dicendi proximo? Et an liceat mentiri?*
552. *Veridicitatis indoles exponitur.*
553. *Explicatur natura* mendacii, *ejusque divisio.*
554. *Protestantium doctrina circa licentiam mendacii.*
555. *Probatur omne* mendacium *esse contra legem nat.*
556. *Refelluntur Protestantium errores.*

521. CONstat jam ex præcedente *Articulo a n.*462.) Officia ergà proximum *perfecta* in *genere* bina esse; scilicet, alia *Negativa*, ne quempiam lædamus, de quibus hucusque tractavimus: alia *Affirmativa*, ut jus suum cuique tribuamus, quæ nunc exponenda aggredimur. Porrò inter hæc & illa id discriminis est, quod *negativa* semper obligent. Hinc vi hujus præcepti: *Nemo est lædendus sine justa causa; nunquam* proximum licebit odisse, qua noster proximus est; non tamen *semper* tenemur eum *actu* amare, qua noster proximus est; cum hæc altera obli-

obligatio descendat a præcepto *affirmativo*, quod non pro omni instanti obligat, uti ex infra dicendis colligi poterit.

Sive tamen *positive* præstemus ei aliquem favorem, sive non, tenemur adhuc qua dictis, qua factis eum non lædere. Contra vero præcepta *Affirmativa* naturalia etiam perfecta & absoluta obligant quidem nos ad amandum proximum, ei succurrendum, veritatem illi dicendam, honorem convenientem exhibendum: at *non semper pro semper*. Quo fit, ut officia illa *negativa* consistant in *abstinendo* ab injuria proximo inferenda: *Affirmativa* autem fundentur in *faciendo*, aut dando, præstando illi aliquid de nostro. Quia vero hæc ex ipsa naturali dispositione variam recipiunt limitationem, hanc ob causam conatus noster erit præsente *Articulo* exponere, quando ex *naturali justitia* teneamur proximo *Jus suum tribuere* in eo amando, & consequenter exhibendo illi *officia amoris* jure naturali *absolute debita*? Reliqua vero *imperfectæ* amoris officia, quæ scilicet non fundantur *in debito naturali* rigorose præcepto, colligere licebit ex *Art. V.* ubi de *imperfectis* officiis agemus.

## §. I.

### *Quando, & qualem amorem exigendi a nobis Jus proximus noster habeat?*

522. Amor, dilectio, caritas synonyma sunt: *amare* autem, diligere, seu caritatem erga alterum habere, nil aliud est, quam *alicui bonum velle*. Amoris ita descripti duo sunt præcipui actus, *benevolentia*, & *beneficentia*. Illa consistit in actu interno *bonæ voluntatis* erga proximum: hæc autem in actu exteriori. Est enim beneficentia *exterior amicitiæ vel caritatis actus*. Hinc diligere cum possis, aut tenearis, paradoxum est & inutile, ut merito dixerit *D. Ambrosius* super Epist. 2. ad Cor. *Ficta caritas est, quæ deficit in adversitate.* Quis autem nomine proximi, qui diligendus sit, veniat? recte exposuit *D. Aug.* ad Martian. *Proximus in hoc loco non sanguinis propinquitate: sed rationis societate pensandus est, in qua socii sunt omnes homines. Nam si pecuniæ ratio socios facit: quanto magis ratio naturæ, non negotiandi: sed nascendi lege communi.*

523. His

Adæquata igitur responsio colligi potest ex *n.* 259.) ubi innuimus, omnia & sola officia proximo exhibenda fundari in *debito naturali*, ac necessario esse præstanda, quæ si culpabiliter omittantur, ita omittentem constituunt aliquando non solum *iniquum*: sed etiam *formaliter* ac *proprie injustum*, & quandoque tantum *formaliter iniquum* iniquitate proveniente ex violatione legis nat. Et quidem intuitu legis nat. *negativæ*, prohibentis: ne *quisquam sine justa causa lædatur*, omnis læsio proximi constituit nos nedum *iniquos*: sed etiam formaliter ac *proprie injustos*, per quam ejus *conditio* ( in bonis sive corporis, sive fortunæ, ex quibus damnum temporale pretio æstimabile, aut *jactura famæ* sequitur ) fit *deterior*. Tunc enim delinquimus etiam contra justitiam nat. particularem, seu ut ajunt, commutativam. Quæ vero nullo modo conditionem ejus deteriorem faciunt, inferendo ipsi aliquod damnum *pretio æstimabile*, aut famæ detrimentum &c. illa licet etiam sine jure nat. prohibita, talia tamen committentem non faciunt formaliter ac *proprie injustum*: sed tantum *iniquum* contra legem nat. universalem.

525. Ita v. g. mendacium *perniciosum*, quo damnum *reale* infertur proximo per testimonium falsum in Judicio depositum, constituit proprie delictum contra *rigorosam justitiam* naturalem, seu *particnlarem*, facitque testem falsa deponentem non tantum *iniquum*: sed & proprie *injustum*. Contra vero, mendacium mere *officiosum* est quidem etiam contra legem naturalem: verum *universalem* tantum, seu contra jus *naturale legale*, hinc non est contra justitiam *proprie* talem naturalem, seu rigorosam. Ita proin mentientem facit *iniquum* contra legem nat. non tamen *proprie* ac formaliter *injustum*, cum non peccarit contra justitiam *propriam* seu *rigorosam* ac particularem, quam alii *commutativam* dicunt. Et sic de aliis similibus legis nat. transgressoribus, & transgressionibus.

526. Jam vero respectu ejusdem legis nat. qua *affirmativæ*, præcipientis ut *unicuique jus suum tribuatur*; pauca admodum intuitu proximi sunt, quæ ita in *debito naturali necessario* fundentur, ut actus hujusmodi omittentem faciant *formaliter* & *proprie injustum*, nisi ea sola, quæ si ei a persona alioqui copiam præstandi actus, & obligationem hujusmodi habente malitiose non præstentur, conditio illius aliquod detrimentum in bonis pretio *æstimabilibus*

bus

*bus* sit passura. Talia officia *affirmativi* juris nat. perfecta & absoluta sunt, v. g. in *extrema*, vel quasi extrema proximi necessitate, qua alimentis, qua defensione ( quando hæc commode fieri potest ) vitam ejus conservare : veritatem in judicio competente pro eo deponere si testem agas, pariter ac jurare secundum rectam conscientiam sine præjudicio proximi: arcana alterius fidei tuæ commissa religiose tenere, nec ea in damnum ejus famæ, vel fortunæ *modo illicito* revelare, & similia alia cum jactura bonorum pretio æstimabilium vel famæ connexa.

527. Reliquæ autem *affirmativi* præcepti nat. obligationes, & actus practici amoris hoc jure imperati, sunt utique materia, seu objectum legis naturalis, cum ab hac præcipiantur: nihilominus non spectant *ad justitiam* naturalem *proprie ac rigorose* sumptam, seu *particularem* : verum ad *mere legalem*, quæ ab aliis naturalis universalis dicitur, quatenus scilicet debentur ex *sola virtute morali* lege nat. præcepta. Uti patet in actibus caritatis proximi extra casum extremæ vel quasi extremæ necessitatis, interdum sub gravi obligatione ei exhibenda, quin tamen vel proximus habeat jus *rigorosum* actus hujusmodi exigendi, vel eas omittens, præter *iniquitatem*, committat etiam formalem *propriam* ac rigorosam injustitiam. Qualem alias probabilius commisisset, si in extrema necessitate eos, habita succurrendi copia negasset.

Demum ostendimus *a n.* 74. ) esse præterea alios actus *beneficentiæ*, & *benevolentiæ* erga proximum, qui sunt *meræ decentiæ*, vel consilii, & spectant potius ad *majorem perfectionem moralem* hominis, quam ad naturalem obligationem.

## §. II.

### *Utrum adsit naturalis obligatio defendendi alterum contra injustum invasorem, cum proprio periculo?*

528. NOn desunt, qui cum *Silvestro v.* Homicidium 1. q. 9. respondent, saltem eos, qui *ex officio* tenentur ad defendendum alterum, uti est Princeps, Magistratus, Prætor, Milites obligatos esse cum *propriæ vitæ periculo* tueri quemvis *alterum privatum* hominem: sed communior opinio est I. ) Quod nemo teneatur vitam hominis

hominis privati defendere cum probabili vitæ suæ periculo, etsi jure possit defendere, si velit. Ac proin II.) idem procedit de Principe, Prætore, Magistratu &c. *Ratio primi* est, quia non est fundamentum obligationis, quo adstringar exponere vitam meam pro vita corporali proximi: Cum enim hunc tenear diligere sicut meipsum, possum vitam diligere meam præ vita cujusvis *privati*. Alioqui non servarem legem ordinatæ caritatis, prout ait *D. Aug.* l. de mendacio ad Consentium, c. 6. *Si quis pro alterius temporali vita suam ipsam temporalem perdit, non est jam diligere illum, sicut seipsum: sed plus quam seipsum.*

Hinc neque pro defensione Parentis teneor mori, licet id esset laudabile. Contrarium tamen dicendum est, si periclitetur persona Principis, unde pendet boni publici conservatio. Tunc enim vi pacti taciti oritur hujusmodi obligatio, pro viribus & conditione uniuscusque subditorum.

529. *Ratio secundi* est; non enim officium Principis, vel Prætoris &c. obligat, ut pro homine *privato* vitam exponat: sed tantum ut pro *bono publico*, cujus proprie & directe est custos. Quo fit, ut cum periculo vitæ teneatur hostes Reipublicæ & latrones e medio tollere, non autem causam *privati* cum eodem discrimine persequi.

Imo *privatus* neque tenetur vitam alterius *privati* tunc defendere, quando id fieri nequit *sine occisione invasoris*. Quia ubi mala sunt paria, nemo tenetur unum malum inferre, ut excludat alterum, cum ab alterutro, vel utroque abstinere possit: Atqui in casu proposito sive invasus ab invasore, sive hic a me occidatur, vel demum ego ab invasore, utrumque malum est, ac vitari potest: non est igitur fundamentum obligationis, qua ego *tenear* ad cruentam hanc defensionem; præsertim cum etiam propriam vitam meam, *qua privatus* non obliger tueri per mortem alterius, juxta *nu.* 413.) Alioqui si invasor alterius foret Parens meus, deberem eum occidere ad defendendum proximum: quod tamen repugnat pietati filiorum in Parentes, ac potiori ratione in Principes, *etiam injustos* aliorum vitæ aggressores, quos privato occidere non licet, juxta superius probata.

530. Si tamen saltem *Principem* & *Parentem* excipias, non caret gravi fundamento sententia contraria docens, jure

jure nat. te obligatum esse, ut vitam hominis innocentis præferas nocentis: atque adeo deberes, si commode possis, occidere latronem, ut manibus ejus eripias viatorem. Quod insinuat etiam Sapiens Prov. 24. *Erue eos, qui ducuntur ad mortem, & qui trahuntur ad interitum, liberare ne cesses.* Hoc quippe velles tibi ipsi præstitum, si in simili periculo verseris. Sed quæritur:

## §. III.

### *An Jure naturæ teneatur ad restitutionem, qui cum commode possit, non defendit proximum?*

531. Certum est, eum qui ex justitia obligatus fuit defendere, & non defendit, teneri ad restitutionem. Nam lege justitiæ rigorosæ obligatus, si omittat actum, peccat contra justitiam: consequenter tenetur ad damnum ex omissione illa secutum. Sicut enim dum quis ex commissione actus inhonesti, v. g. furti delinquit contra justitiam, tenetur ad damnum ex commissione hac secutum: ita etiam dum omissione actus contra justitiam deliquit, obligatur ad damnum inde proveniens. Qui tamen non tenebatur ex justitia defendere, & non defendit vitam, vel fortunas proximi dum commode potest, peccat quidem graviter contra caritatem, quæ eum obligat ut in tali proximo *ex virtute* succurrat: non tamen tenetur ad restitutionem. Quia peccata, quæ contra *solam caritatem* fiunt, ad restitutionem non obligant.

532. Verum redit quæstio: qui igitur sint illi, qui lege *justitiæ rigorosæ* teneantur alios defendere? Aliqui cum *Navarr.* cap. 24. num. 18. putant omnes Superiores ad hoc teneri erga inferiores, & vicissim hos erga illos. Communius tamen docetur, non omnes Superiores, sicut nec quosvis inferiores ad mutuam hanc defensionem obstringi: sed aliquos solum. Et quidem I.) omnes illi Superiores, qui *publica auctoritate* ad aliorum gubernationem præditi sunt, obligantur *lege justitiæ* ad defensionem, idque *juxta modum & finem* cujusque gubernationis, ut sunt *Principes, Magistratus*, item *Episcopi*, & *Parochi*. Nam hi quoque ex officio ad hoc tenentur, *secundum modum suæ potestatis*, & media gubernationis, ac in ordine *tantum ad spiritualia*, ne subditi doctrina prava inficiantur, &c.

II.)

II.) Obligantur ii, qui ad hoc poteſtate Magiſtratuum, vel Principum ſunt conſtituti, uti *Tutores*, *Curatores*. III.) Qui ad hoc ſpecialiter conducti, ut *Milites*, *Advocati*, *Gubernatores* &c. IV.) Illi, qui ad hoc ſe explicite, vel implicite *obligarunt*, ut *Vaſalli* & omnes *famuli*.

Alii non videntur obligari *ex juſtitia*. Nam Parens non tenetur defendere vitam, & fortunas filiorum lege *juſtitiæ*; ſed *pietatis* tantum, & officii paterni, pariter filii non tenentur Parentum vitam defendere *lege juſtitiæ*: ſed *pietatis* filialis. Pari ratione *Parochiani* non tenentur Epiſcopum & Parochum *ex juſtitia* tueri, quia hoc officium non ſuſceperunt: ſed ſolum *lege obſervantiæ* obligantur. Et ſubditi qui *neque ſunt vaſalli*, *neque ſtipendiarii*, non tenentur Magiſtratum, vel Superiores ſuos defendere lege *juſtitiæ particularis*: ſed legalis, & etiam obſervantiæ, quamvis Superiores & Magiſtratus eos ex juſtitia defendere teneantur.

## §. IV.

*In extrema neceſſitate non tribuens proximo, an agat contra juſtitiam rigoroſam, vel caritatem?*

533. NObilis quæſiti hujus deciſio pendet ex eo, an in extrema neceſsitate adſit obligatio ſuccurrendi proximo ex *juſtitia particulari*, an certe tantum *ex virtute*, ſeu lege naturali *univerſali* præcipiente amorem proximi? Nam generalis ſtatuitur regula, quod contra hanc, & non aliam virtutem agat homo non impediens grave malum proximi, ex cujus virtutis præcepto tenebatur impedire. Ita ſi imminente periculo naufragii, præter nautam alii quoque adſint, qui navem liberare poſsint, & ſine juſta ratione voluntarie negligant: ſolus nauta cui ratione officii ſui incumbit navem liberare, *contra juſtitiam* particularem peccabit; atque ad damni reparationem tenebitur, alii autem ſolum contra caritatem delinquent, unde reſtituendi obligatio non oritur.

534. Pari ratione ſi tuo *malo exemplo* alterum moveas ad furandum, ſeu ad aliud damnum injuſtum tertio inferendum: tale damnum tibi *indirectè voluntarium* cenſetur. Quia illud impedire poteras, & debebas, abſtinendo ab actione, ex qua intellexiſti alterum perverſa ſua voluntate

occasionem damnificandi accepturum: tamen ad restitutionem non teneris, cum non deliqueris adversus justitiam particularem seu commutativam: sed solum contra caritatem, peccato scandali. His suppositis.

535. Ad propositam quæstionem *tres* sunt responsiones. *Prima* communior absolute *negat* quem obligari *ex justitia* ad succurrendum proximo extreme indigenti: sed ex *sola virtute* caritatis. Ratio I.) hujus opinionis est. Quia bona tunc fiunt communia, non quo ad dominium: sed *quo ad usum*. Et etiam, II.) quia dives non obligatur hoc casu, nisi ad eleemosynam: Atqui eleemosyna non fit ex justitia. Demum III.) Quia alias sequeretur, quod dives teneatur ad restitutionem, & ad damna secuta reparanda, quod in hac sententia negatur.

*Altera* opinio absolute *affirmat*, ex hoc medio: Quia DEUS bona dedit divitibus sub onere, ut in necessitate dispensent egenis: Igitur ex hoc quasi contractu innominato: *do ut des, do ut facias*, tenentur divites ea bona sic elargiri indigentibus, adeoque ex justitia rigorosa. Quo etiam facit, quod non dare sic egenti, sit homicidium, ut asserunt, ne dum Christiani Doctores cum *D. Ambrosio* (apud Gratianum c. Pasce, d. 86. *Pasce fame morientem: si non pavisti, occidisti*) sed etiam Ethnici sapientes, e quibus ait *Seneca* l. de benefic. *Qui succurrere perituro potest, cum non succurrit, occidit*: Atqui homicidium est contra justitiam: Igitur &c.

536. Alterius hujus sententiæ Patroni ad rationes *prioris* opinionis respondent: Titulum caritatis esse compossibilem cum titulo justitiæ, sicuti si debeam tibi *centum*, & incidas in paupertatem, solvens centum satisfacio titulo caritatis & justitiæ, nec ideo debebitur restitutio ejus quod dari omissum est, si transierit necessitas, quia debitum erat tantum pro circumstantiis necessitatis, & quasi conditionale: igitur desinente necessitate desinit, atque hac responsione omnibus tribus supra allatis momentis satisfaciunt prædicti alterius sententiæ Auctores, qui cum *Petr. Hurtad. Carden.* in crisi d. 20. nu. 26. admittunt, eum, qui negavit casu præallegatæ necessitatis eleemosynam, obligari ad compensationem damnorum, si quæ inde secuta sint, eaque *prævisa* fuerint, aut facile prævideri potuerint.

537. *Tertia* opinio respondet cum distinctione, scilicet in *extreme* indigente esse verum *jus justitiæ* ad ea bona arri-

arripienda, quamvis in possidente non sit obligatio justitiæ ad ea danda, sicut ante divisionem bonorum quisque habebat jus ea sibi acquirendi, quamvis nullus teneretur ea tradere. Quia, veluti si res aliqua sit communis, tu ante illius occupationem non habes jus justitiæ, quo alii obligentur eam tibi tradere: ita etiam extreme pauper non habet jus justitiæ impediens alios, ne ea re utantur, vel cogantur ad eam offerendam: sed tantum habet titulum, ut eam occupatione possit facere suam, &c.

538. Conformando tamen hujus quæstionis decisionem iis, quæ de translatione dominii in extrema necessitate surreptorum resolvimus hic supra *a num.* 405.) statuenda videtur cum *Adrian. Navarr. Tolet. Sarmient.* quarta sententia aliquid ex ultimis duabus nunc adductis participans, eaque *media* inter eas. Quod scilicet 1.) dives contra justitiam delinquat, si pauperi in extrema v. gr. famis necessitate non subveniat, eumque mori sinat. 2.) Quod si autem extrema illa proximi necessitas tanta foret, ut præter alimentum, aut nuditati contegendæ aptum vestimentum, magno indigeret pretio ad eam arcendam, etiam hoc casu dives, si commode potest, tenetur ex justitia eidem succurrere: pauper tamen *ubi ad pinguiorem fortunam* venerit, pretiosum hujusmodi subsidium (nisi donatum sit, vel præsumatur) tenebitur restituere, seu compensare, si & quando poterit, *solo usu* sub compensationem non cadente contentus, quem habuit in sua extrema indigentia; ut probatum est *a numer. citat.* 405.)

539. *Ratio* utriusque partis est, quam etiam prima illa contraria sententia præter suam intentionem fatetur. Quia scilicet bona fiunt tunc communia *quo ad usum juris*, puta, quo ad res saltem pretiosiores: nam ad *medica comestibilia* absolutum jus illi asseruimus *citat. num.* 405.) Atqui *usus juris* prout distinguitur ab *usu solius facti*, est species dominii *utilis*, ut liquet ex *tot. tit. Inst. de usu*, & in eo impediendo potest committi *furtum*, ac vera injuria, §. *furtum* 6. *Inst. de Oblig. quæ ex delict.* & ibidem *Schneider.* cum aliis. In casu igitur extremæ verbi gratia famis pauper *habet jus* petendi panem, quem dives possidet, & miser ille vel *tacite*, vel expresse postulat: Consequens est, ut ei injuria inferatur denegando, quia contravenitur juri ejus. Et quidem quo

 ad

ad panem resque similes *usu solo consumptibiles minoris pretii*, vix puto aliquem posse ambigere; bene vero circa res *magni pretii*, sed & hæc dubitatio facile tolli potest ex allata ratione.

540. Cum enim juxta *n.* 405.) ac etiam *primæ* sententiæ Patronos, in extrema necessitate redeat *primæva communio* rerum, saltem *quo ad usum* eorum, & salva substantia illorum, quæ solo usu non consumuntur, aut *si pretiosa*, eaque jam *consumpta* fuerint; *salva compensatione*, quando hæc fieri potest: aperte sequitur, pauperem *extreme* indigentem, etiam ad pretiosiora a divite petenda jus usus habere, si aliter vita conservari nequeat.

Res exemplo declarari potest. Si v. g. sæviente gravissima fame Xenodochium constans 30. pauperibus inedia proxime emorituris, postulet cibaria a ditissimo Principe, Magistratu, vel quovis *privato*, subsidium alimentorum hoc omnino pretiosum pro tam numerosa communitate postulabit; nihilominus si hoc *inique* negetur, aut ne *extreme* indigentes surripiant, positive impediatur, ac ita homines illi emori fame sinantur, opulentissimus iste, qui impedit, etiam *contra justitiam* delinquet, adeo ut ad damna quoque heredibus reparanda obligetur, si illa fuerint *prævisa*. Tum quod tali casu negata illis res sit *debita*, utpote cujus *dominium usus* pro his circumstantiis habuerunt; & dives poterat sine suo saltem *notabili* damno subvenire; cum enim non teneatur hoc etiam casu pretiosa donare, potuit *dare mutuo*, vendere minore pretio, &c. Tum quia, si ita indigentem etiam ne raperet prohibuit, violavit jus illius. Nam ut recte *D. Thomas* 2. 2. qu. 78. art. 1. docet, *in illis rebus, quæ usu consumuntur, cuicunque conceditur usus* (puta absolutus & independens ab alio) *conceditur etiam res ipsa ejusque dominium saltem revocabile, vel limitatum, ut transeunte necessitate solvat æstimationem rei consumptæ*. Unde etiam idem *D. Thom.* colligit, in mutuo talium rerum non posse exigi *usuram*, idest pretium usus, distinctum a pretio rei.

541. Nec stringit momentum *primæ* sententiæ, quod eleemosyna non debeatur ex justitia. Patet enim ex dictis, titulum caritatis esse compossibilem cum titulo justitiæ, ac casu *extremæ* necessitatis proximi, intuitu illius, qui commode subvenire potest, non jam vi caritatis præcise ex sola virtute provenientis: sed potius ex justitia particu-

ticulari rigorosa obligatio nascitur, cum ita indigens habeat *utile dominium* usus, atque adeo tunc cessat titulus eleemosynæ *proprie* sumptæ, & oritur titulus *debiti rigorosi*.

542. Hinc *Polydorus Virgilius* de Invent. l. 6. c. 3. ait: *Eleemosynam non uno humanitatis, vel liberalitatis genere metiri licet*, &c. Certum quippe est, nomine Eleemosynæ denotari omnem misericordiam, ac sumi *pro beneficentia*, seu omnibus officiis dilectionis proximi, quæ in *secunda Tabula* nobis commendantur. Inter hæc autem *multa* sunt ea, quæ ex *justitia* eidem debemus. Neque enim pro his habemus *tertiam* tabulam ad quam reducantur.

543. Nec refert, si dicas, non peccare te contra justitiam, sed tantum contra caritatem, si imminente naufragii periculo sinas interire alienam navem, non adjuvans Nautas, quos commode juvare poteras: igitur nec dives aliter delinquit. Nam contra est, quod dives *ratione rei possessæ*, ad quam pauper in extrema necessitate jus *aliquod* habet, subvenire ex justitia obligatus sit, quomodo non es obligatus domino navis: sed soli Nautæ, & ii ad quos ex speciali officio spectat.

## §. V.

*An filius Religionem professus vi Legis nat. teneatur Parentes gravi vel extrema necessitate pressos sustentare, aut Religionem deserere, eos juvandi causa?*

544. CErtum est, quod si filius nondum sit professus Religionem, intrare eam non possit, si parentes ejus *gravi* premantur necessitate dejiciente eos a suo statu, ita cum v. g. sint nobiles, oporteret eos mendicare, aut servire, cum dedecore Familiæ: & filius ipse nequeat eos juvare, nisi manendo in sæculo, ac providendo afflictis. Tunc enim jure nat. tenetur eos alere, etiam non expectata extrema, vel *quasi extrema* indigentia. Hoc quippe est *præcepti* naturalis, ingressus autem Religionis est tantum *consilii* legis Evangelicæ. Ita *D. Th.* quodlib. 3. ar. 6.

545. Id tamen filio nonnisi *regulariter*, seu tantum ut plurimum permissum non est. Quia si adsint circumstantiæ, ut non possit diutius in sæculo permanere sine dispendio *salutis suæ æternæ*, & probabili periculo peccati letalis, hoc casu periculum proprium spirituale animæ

possit præponi periculo temporalis indigentiæ Parentum; præsertim cum hi versentur *tantum in gravi*, & nondum in extrema, vel quasi extrema necessitate. Jure enim etiam naturæ *servandus est ordo pietatis* & caritatis, ac magis spectanda sunt mala animæ æterna, quam corporis cujusvis hominis temporalia. Quod tanto magis habet locum, si filius possit subvenire per alium.

Quæ autem de Parentibus dicta sunt, eadem procedunt de liberis respectu alimentorum, quæ his debent sui parentes, quamdiu filii seipsos sustentare adhuc non possunt.

546. Non tamen Religiosi hujus obligatio est erga Fratres & Sorores, cum non sit inter illos ulla dependentia; sicut est inter parentes & liberos. Parens enim liberis alimenta debet jure nat. quia sunt fructus ejus, quibus dedit esse, hinc debet eis conservationem & educationem, donec se possint juvare: Ut videmus in volucribus, quæ suos pullos alunt, quamdiu nido exclusi incipiant volare, & escam propria industria conquirere. Debentur igitur alimenta a parentibus filio, quia hic est veluti pars ipsorum, hinc tenentur eum alere, sicut seipsos. Filius vicissim debet id parentibus, quia hi sunt principium ipsius, & radix unde accepit esse: Igitur *lege pietatis* & *gratitudinis* obligatur. Sorores autem & fratres nullum simile, jure nat. spectato, habent inter se vinculum, vi cujus *specialiter* obligentur.

547. Neque anceps est, juxta *Navarr.* c. 14. n. 14. quod filius si profiteatur Religionem, parentibus, vel uno eorum in *gravi* necessitate supra explicata *jam constituto*, teneatur egredi, *si aliter* ei subvenire non possit. Nam ingredi non poterat obligatione subveniendi *jam contracta*, & ingressum *præveniente*. Nihilominus professio non censetur irrita: sed suspensa executio ejus, quoad votum *paupertatis* & *obedientiæ*, donec parentibus providerit; *Joan. Major* in 4. d. 38. q. 2. cum aliis.

548. Eo autem casu, quo *gravis inopia* parentum ex improviso *supervenit* Professioni filii jam factæ, *non tenetur* quidem egredi, dante rationem *D. Th.* l. c. & 2. 2. q. 101. ar. 4. ad 4.: Quia per *mutatum statum* jam mortuus est mundo, & spirituali morte deobligatur a cura impendenda parentibus: sicut etiam deobligaretur per mortem corporalem. Unde non peccat in Monasterio manens sub obedientia Prælati, parentum administratione prætermissa, quia

quia factus est ad eam inhabilis sine sua culpa, ex quo inopia illa parentum *nunc primum* post Professionem suam incidit. Sicut si esset conjunctus matrimonio, non deberet deserere uxorem, ad subveniendum parentibus.

549. Cura autem hoc casu spectabit ad alios propinquos, vel ad Magistratum. Si *tamen velit*, *potest egredi* obtenta licentia Prælati, ut tradit *D. Thom.* loc. cit. & *Cajetan.* ad eund. tum *Navarr.* Commentar. 3. de Regular. num. 44. Non tamen Prælatus negans hanc licentiam egressus tenebitur de bonis Monasterii ex *justitia* subvenire illis parentibus, cum jam pateat, neque filium ipsum ita obligatum fuisse; neque idem Prælatus obligatur ad *necessario* dandam egressus prædicti licentiam in casu *supervenientis* indigentiæ parentum, alioqui facile forsan Religiosis evacuarentur Monasteria, & aperiretur via libertati cum periculo jacturæ spiritus & disciplinæ regularis.

Cum tamen juxta D. Angelicum Professus hujusmodi manendo intra claustrum teneatur curare, quantum potest per alios subvenire suis Genitoribus, consequens est, ut per leges caritatis etiam Prælatus, quantum sine Monasterii gravamine, & religiosæ vitæ dispendio fieri potest, *obligetur* non impedire suum hunc subditum in industriis *honeste* adhibendis. Atque hæc procedunt de necessitate *non extrema*: sed *minori*, in qua parens utcunque vivere, licet cum *magno incommodo* potest.

550. In *extrema* tamen parentum necessitate, si hæc aliter cessare nequeat, tenetur filius omni modo subvenire, etiam egrediendo *ad tempus* ex Religione, petita tamen Superiorum licentia, etsi non obtenta. Hoc enim casu urget *absolutum* præceptum naturæ, quo filius jubetur illis *innata pietate* succurrere, ac proin obligationes juris nat. mere *hypotheticæ*, quales sunt, quæ oriuntur ex Professione, illam impedire non possunt quoad egressum; manente tamen tota obligatione redeundi ad Monasterium negotio illo, cessatione extremæ parentum necessitatis, finito. *Richard. Joann. de Neap. Silvest.* verb. Religio 2. quæst. 7.

§. VI.

## §. VI.

*An proximus noster habeat jus aliquod exigendi a nobis veritatem in dicendo & agendo, tamquam sibi lege nat. debitam? Et an semper hæc exhibenda sit, quin aliquando mentiri liceat?*

551. Veritas juxta *Aristot.* l. 2. Metaph. est *adæquatio rei ad intellectum*, seu conformitas actus cum objecto, & judicii ad rem judicatam. Verum conceptus hic bene explicat veritatem *in cognoscendo*, non item in *dicendo* seu significando, quæ sola hic & nunc est objectum nostræ considerationis, diciturque *Veridicitas*. Ista accipitur hoc loco pro virtute, quæ procurat, ut in sermone, scriptura, gestibus aliisque signis locutioni æquivalentibus, sit veritas saltem *secundum nostram conscientiam*, seu prout nobis verum esse videtur. Veridicitatis igitur hujus naturale officium est, ut procuret conformitatem linguæ & mentis, signorum nempe externorum cum interno judicio nostro, dicente *Seneca* Epist. 76. *Hæc sit propositi nostri summa: quod sentimus loquamur, quod loquimur sentiamus. Concordet sermo cum vita. Ille promissum suum implevit, qui & cum videas illum, & cum audias idem est. Videbimus qualis sit, quantus sit, an unus sit. Non delectent verba vestra: sed prosint.*

Cum itaque conformitas mentis nostræ cum signis & verbis Jure nat. debita sit: sequitur quod veritas, seu *veridicitas* hæc sit debita quodammodo proximo nostro, *non semper ex parte ipsius*, sicuti Venditori ab Emptore debitum est pretium pro re vendita, & benefactori debetur gratitudo: sed debita est *ex parte nostra*, ne nos turpes simus, & ob mendacia vel illicitam veritatis suppresionem parum idonei ad vitam civilem. Nam *primo* per se turpe est linguam a mente discedere. Deinde, sine veritate & veridicitate vita socialis commode stare nequit, *Cicerone* l. offic. 3. optante, *ut ex vita humana sublata sit omnis simulatio, & dissimulatio.*

Debitum itaque hoc dicendæ veritatis, si loquamur abstrahendo *ab omni alia obligatione*, est solum *morale*, seu ex *honestate virtutis* proveniens. In contractibus autem, depositione judiciali testium, sententia Judicis & aliis actibus versantibus *circa injuriam* tertii debita est *ex justitia*, eaque non

non mere legali naturali, quam universalem diximus: sed ex particulari, seu *proprie* dicta ac commutativa. In *jurejurando* autem debita erit ex *sola religione*, si juramentum non cadat supra actum, qui sit circa justitiam commutativam: Alioqui nedum ex *religione*, sed etiam ex *justitia rigorosa* veritas hujusmodi adesse debet.

Ex quibus colligi potest, quod ne proximo *unquam mentiamur*, sit obligatio *absoluta* naturalis *perfectum* constituens officium, utpote proveniens ex præcepto *negativo*. Ne scilicet ille lædatur qua dictis, qua factis nostris. Ac proin ne proximo *mentiamur ullo modo*, ille habet jus exigendi id a nobis, pariter ac ne illum *odio* etiam *mere interno* prosequamur, &c. Contra autem, ut ei veritatem dicamus, neque ille *semper* habet jus id a nobis exigendi, neque nos pro semper obligamur, ut mox constabit ex ulteriori deductione.

552. Ita explicatæ virtutis hujus munus præcipuum est I.) Dirigere nos, ne quid contra judicium mentis verbis, scriptis, aut gestibus significemus, seu *ne mentiamur*, & ad hoc obligamur *præcepto naturali*, eoque *negativo* perfecto ac absoluto semper & pro semper. II.) Patefacere judicium mentis. Id autem alterum cum proveniat ex præcepto nat. *affirmativo*, hoc nos *non pro semper* obligat. Nam sæpe expedit mentem non aperire, sed occultare, quando id exigit *justa causa*, & veritatis occultatio *absque mendacio* fieri potest, quidquid sit, quod alter, qui nullum jus requirendæ a nobis veritatis habet, *ambigua* locutione nostra, vel signo *in utramque partem explicabili* fallatur. III.) Virtus hæc jubet nos inquirere veritatem rei, quando aliquid absolute affirmandum, vel negandum est. Qui enim affirmat, vel negat quod ignorat, aut dubius est, ille non est verax, sed *temerarius*, cum dicta non sint conformia menti aliter sentienti. IV.) Exequi promissa: id enim necessarium est ad veritatem promissionis, quanquam ad hoc magis ex *virtute fidelitatis*, quam veritatis obligemur circa executionem promissionis extra materiam *justitiæ rigorosæ* procedentis, qualis est in contractibus, votis *realibus* acceptatis &c. in mere *personalibus* autem similibusque aliis, *si DEO* promissi sint actus: ex *Religione* simul & fidelitate, alias ex *sola fidelitate* ut plurimum obligamur. Contra autem, in actibus justitiæ *rigorosæ* non jam ex fidelitate tantum: sed ex *justitia* tenemur.

553. Quo

553. Quo etiam facilius hic explicetur pars altera quæsiti; *An aliquando mentiri liceat*: supponendum est, quod mendacium juxta *D. Aug. in enchirid.* cap. 22. sit *locutio* (vel alia signi sensibilis exhibitio) *contra mentem loquentis, aliudve signum exhibentis; alterum fallendi causa*. Sicut autem non solum lingua: sed etiam scriptura, gestu, nutu, aliave significatione quis mentiri potest, ita si non *fallendi animo*, seu ut sibi credatur, id faciat, mendax non est. Alioqui omnes Auctores illi, qui in theatro modo Jovem tonantem, modo verum Imperatorem, Regem, Patrem, aut quidquid aliud quod non sunt, affirmant, mentirentur, imo cum id sæpius etiam jurato asserant, forent quoque perjuri, quod absit.

Triplex verò est mendacium, nempe *perniciosum*, quod profertur *animo fallendi* ut obsit. *Officiosum*, quod dicitur *animo fallendi* ut prosit. *Jocosum*, quod profertur *animo fallendi* ut delectet: Nisi forte hoc proferatur in iis circumstantiis, ut neque loquens intendat quatenus suis dictis fides ab aliis adstruatur, & audientes persuasi sint eum *non serio*: sed mere joci gratia quidpiam affirmare vel negare, ut patet jam in exemplo de personis scenam theatralem agentibus.

554. Circa *licentiam mendacii* varia sunt Protestantium Naturalistarum devia & invia, quæ eruditis risum movere, rudibus scandalum præbere possunt. Et in primis *Hugo Grotius* de J. B. & P. l. 3. c. 1. §. 17. num. 3. ac 4. cum Theologorum Catholicam de mendacio doctrinam *perversam* & scandalis plenam imperite compellasset, volens ex sua protestantica penu, homine Christiano digniorem moralem depromere, in hæc quæ sequuntur delapsus est absurda.

Mendacium enim ille *loc. cit.* §. 11. 1. constituit *in repugnantia cum jure existente ejus, ad quem sermo dirigitur*; ex hac sua definitione infert, non esse mendacium, si certum sit, eum, ad quem mendax sermo dirigitur, læsionem non ægre laturum. Imo nec fore mendacium, *si vita innocentis aliter servari non possit, nisi mentiaris*. Tanto minus (ait) in hostem mendacium committi posse, quia hic non habet jus ut cum ipso in veritate procedamus. Principibus quoque, Rectoribus, aliisque Magistratibus plenam mentiendi licentiam tribuit *propter bonum publicum*. Nihilominus §. 15. *ibid.* negat eamdem DEO, di-

cens:

cens: *DEO tamen quanquam jus summum in homines habenti non convenire mendacium, recte agnoscit Plato*. Dein omnibus Judicibus præscribit regulam, ut mentiantur, si velint a reo veritatem extorquere. Pro confirmatione vero hujus doctrinæ adducit axioma apud Hispanos (ut ille ait, seu verisimilius fingit) communiter receptum: *FAC MENDACIUM, ET ERUES VERITATEM*. Quod ipsum probat ex *Platone* l. 3. de Republ. dicente: *Rempublicam administrantibus præcipue si quibus aliis MENTIRI convenit, vel hostium, vel civium causa ad civitatis utilitatem*. Propter hanc solam publicam utilitatem concesso omnibus Superioribus, Præfectis, & Officialibus mentiendi privilegio, negat illud competere subditis eorum privatis, cum ad hos publicæ utilitatis procuratio ex officio non spectet. Hæc est *Hugonis Grotii* Moralis doctrina.

Jam vero Patruelis ejus *Guilielmus Grotius* de princ. J. N. c. 4. num. 7. ait: Sicut *fornicationem* simplicem ita & *mendacium* non jure nat. verum sola lege Evangelica ac positiva prohiberi.

*Puffendorfius* autem l. 4. de J. N. & G. c. 1. §. 16. *VVeberus* de J. N. & G. l. 4. c. 1. §. 9. *Kemmerichius* Jurisprud. divin. l. 2. c. 8. n. 41. ex principiis Lutheri audacter docent, *mentiri ob bonum finem, singularem virtutem & prudentiam esse*. Ratio eorum est, quia si ob bonum finem mentiaris, proximus non læditur, ac proin non est *repugnantia cum jure existente ejus, ad quem sermo dirigitur*: itaque formale mendacium hoc facile justificatur, cum prosit, & non noceat proximo.

Hi tamen Naturalistæ *omnem restrictionem*, etiam *non pure mentalem* inter *impias opiniones* rejiciunt, ut videre est in notis *Ziegleri* ad *Grot.* l. c. §. 17. & apud *Rivet.* in explicat. Decalog. tum apud *Puffendorfium* loc. cit. Sed qua doctrinæ consequentia; siquidem juxta hujusmodi Theosophos permissum est licite mentiri ob bonum finem, cur non etiam, imo cur non potius uti *restrictione non pure mentali*, si id justa causa permittat, præsertim cum hac ratione veritas occultari possit citra mendacii turpitudinem? Verum jam omissis Protestantium hac in parte commentis & commentariis;

§. VII.

## §. VII.

### *Statuitur decisio contra mentiendi licentiam*:

555. Dicendum est, *omne mendacium* etiam *officiosum*, vel *jocosum*, pariter ac *restrictionem pure mentalem* ita prohiberi lege nat. ut nihil horum *unquam* possit esse licitum, utpote *intrinsece* malum consistens in abusu loquelæ & signorum contra naturalem institutionem ac finem. Cum enim I.) locutio aliaque signa non sint data nisi ad exprimendum judicium mentis, eo casu quo quis mentitur, utitur illis contra judicium mentis, itaut fit dissensio inter mentem & linguam, quod enim lingua affirmat, mens negat, ac vicissim: Atqui hoc *per se* turpe est in uno eodemque homine; si inter internum judicium & exteriora signa tanta reperiatur contradictio.

II.) Directe repugnat veracitati ac veridicitati Divinæ: ac proin DEUS qua sapientissimus Auctor & Gubernator naturæ humanæ non potuit mendacium illud necessario & absolute non prohibere. Et quamvis forte responderi posset, veracitatem ac veridicitatem Divinam esse perfectiones DEI *absolutas*, vi quarum soli ejus actus divini *qua tales* desumunt suam infallibilitatem ac veritatem, non item actus quoque creaturæ rationalis eisdem divinis perfectionibus metiendos esse: Nihilominus stat firmum ratumque, omne mendacium etiam officiosum esse *absolute* & *necessario* lege nat. prohibitum propter prædictam repugnantiam. DEUS enim condidit hominem ad perfectiones suas manifestandas omnes illas, quas homo pro viribus naturæ suæ assequi, ac in se manifestare potest: atqui veracitatem ac veridicitatem potest assequi & in se manifestare, conformando verba menti, & hanc verbis, pari ratione ac actus justitiæ suæ potest exercere, & per eos manifestare in se perfectionem Divinæ justitiæ, prout homini eam assequi & imitari possibile est.

III.) Quo etiam facit, quod mendacio non minus *jocoso* ac *officioso* decipiatur proximus, unde lædit & offendit amicitiam, ac politicam conversationem, illudendo illi quem alloquitur: Nec refert, quod ita mentiens suspicetur proximum non ægre laturum hanc læsionem: Nam *contra est*; quod hoc casu licet forte non derogaret juri

alte-

alterius cui mentitur, adhuc tamen contravenit propriæ obligationi, qua tenetur ex *sua parte* conformare verba menti suæ, ne fit *turpis* aliter loquendo quam sentiat, uti liquet ex *n.* 551.)

IV.) Imo si mentiri vel semel tantum liceret, non posset Respublica humana ulla quiete & vitæ socialis felicitate frui. Cum enim per loquelam, scripturam, ac signa exteriora omnia commercia & deliberationes humanæ fieri soleant, nullus hominum pactis, promissionibus, contractibus etiam juratis fidem adstruere vellet; prudenter enim vereretur, ne promissor ille, vel contrahens utatur jure suo a *Grotio* & aliis Protestantibus sibi concesso, ac mentiatur. Id autem nisi Auctor naturæ humanæ ejusque Gubernator DEUS *necessario* prohiberet, non satis provide eam gubernaret. Utpote qui præciperet hominibus mutuum amorem, & obligaret eos ad beatitudinem naturalem procurandam, non prohiberet autem, imo positive concederet licentiam mendacii, quo amor socialis evertitur, quies publica turbatur, & naturali felicitati obtinendæ insuperabilis obex opponitur. Recte proin ille naturalem legem declarat *Sap.* 1. v. 11. *Os quod mentitur, occidit animam.*

556. Nec juvat Adversarios auctoritas *Platonis*, & quorundam Græcorum, quibus illi in puncto licentiæ mendacii majorem fidem adhibent, quam naturali demonstrationi, imo & S. Scripturæ legem nat. exponenti, sapientissimisque juxta ac Sanctissimis Viris, uno ore cum Catholica Ecclesia contrarium docentibus. Nam *contra* est, quod ut ait *Sab.* l. 2. enodat. 4. *Græci, genus hominum in mendacia propensissimum est.* Imo ipse Gentium Apostolus ad *Tit.* 1. v. 12. dicit: *Cretenses semper mendaces*, adeo ut jam jus civitatis obtinuerit vulgare illud: *Græca fides nulla fides*: Platonis igitur & aliorum Græcorum a Protestantibus pro mendacii licentia adducta auctoritas & testimonia, non sunt testimonia: sed splendida mendacia.

Quod liquet ex ipsomet *Platone*, qui sibi ipsi non constat. Uti enim loc. cit. adduximus ex *Grotio*, Plato Principibus & Magistratibus asseruit jus mentiendi *pro bono publico*, ille tamen dicto *lib.* 3. *de Republ.* negat hanc illis licentiam, solis autem Medicis eam competere putat dicens: *Mendacium concedendum est Medicis, aliis vero minime*; quid igitur Protheus hic omnes in partes versatilis ethni-

ethnicus probat? plane nihil, præterquam quod ludat & decipiat incautos Scriptores protestanticos. Qui etiam verba S. Scripturæ præsertim ex *Gen.* c. 27. de *Jacob* & *Rebecca* matre, eum pellibus caprinis involvente, ad suam moralem confirmandam perverse trahunt; nec melius loc. cit. adducunt testimonium ex *D. Augustino*. Hic enim Doctor *lib. contra mendac. c.* 10. *tr.* 4. *post init.* non dicit *Jacob* & *Rebeccam* licite fuisse mentitos propter bonum finem: sed potius absolute negat fuisse id mendacium, ubi ait: *Jacob quod matre fecit auctore, ut patrem fallere videretur, si diligenter & fideliter attendatur, non est mendacium: sed mysterium*, alioqui omnes allegoriæ, imo & Salomonis, ac ipsiusmet Christi Domini parabolæ, tum ipsa etiam sanctissima *veræ* Christianæ Ecclesiæ Sacramenta forent mendacia.

Simili sensu loquitur *D. Chrysost.* in fin. l. 1. de sacerdot. & homil. 32. ac 53. in Genesim, ubi non mendacium laudat, prout erronee imponit ipsi *Grot.* loc. cit. sed prudentem rerum divinarum occultationem sub terminis *ambiguis*, ne injusti aggressores facile intelligerent, a *Rahab* factam encomiis prosequitur. Quamquam si Naturalistæ illi etiam aliquem e SS. Patribus adducerent testem, qui *aperte* docuerit licere mendacium formale ob *magnam utilitatem* proximi, vel Reipublicæ: auctoritas hæc nihil evinceret contra universalem Ecclesiæ doctrinam, in lege nat. ac S. Scriptura fundatam, ut deducit *D. Aug.* lib. de mendacio cap. 5. 6. 7. & seqq. ac *Hieron.* apolog. 1. *contra Ruffinum*, arguens Origenis hac in parte errores, & ejus sequacium.

Videri potest in hac materia *Sixtus Senensis* annot. 89. & 107. qui etiam cum aliis piis ac eruditis Viris docet, plurimos ex antiquis Scriptoribus non esse intelligendos unquam docuisse licentiam *mendacii* formalis & *proprie* dicti, sed potius de aliqua limitatione, seu restrictione mentis, *ambiguam exteriorem significationem* habente; qua interdum licite occultari potest veritas, itaut alter qui eam *requirendi jus non habet*, mere *per accidens*, & ex defectu sui intellectus, malaque verborum aut aliorum signorum perceptione decipiatur.

Quæ vero momenta e naturali jure petita probarunt nunquam licita esse mendacia formalia & proprie dicta, eadem ipsa probant restrictionem *pure mentalem* nullo casu esse licitam, cum sit id ipsum formale & proprie

tale

tale mendacium, siquidem ex *mere interna* illa restrictione, audiens nullo modo, ac nulla humana prudentia devenire in notitiam potest, quod verba loquentis *aliquo* saltem sensu conformia sint menti. Ac proin in restrictione pure mentali imbibitur tota deformitas mendacii. Mendacium enim nil aliud est, quam *locutio difformis menti loquentis, animo fallendi prolata:* Porro talis est locutio illa *mere interne* limitata. Hæc igitur æque repugnat fini locutionis humanæ & commercii, sinceritatem, ac veracitatem æque destruit, ac mendacium. Prout etiam liquet ex propositione 26. 27. & 28. ab Innoc. XI. damnatis. Et quamvis *aliquo casu* proximus noster non habeat jus exigendæ veritatis, non tamen inde sequitur nos posse mentiri, & uti restrictione *pure mentali*, si alia sensibilis seu non pure mentalis nobis tunc non occurrat: quia mendacii turpitudinem non ex jure tantum proximi constat esse desumendam, sed ex oppositione cum fine loquelæ, & aliis quæ *a n.* 555. ) adduximus.

## ARTICULUS IV.

*De Officiis ex justitia commutativa, ac dependenter a nostro facto, promissione, contractu descendentibus, seu de obligationibus* perfectis hypotheticis.

### SUMMARIUM.

557. &c. *Officia* perfecta hypothetica *non sunt ad Jus Gent. referenda.*
559. *Differentia inter officia* perfecta hypothetica & absoluta.
560. *Ex non observato officio uno potest oriri obligatio nova restitutionis.*
561. *Obligationes status adventitii referuntur ad officia hypothetica.*
562. *Ex hypotheticis officiis infertur lex nat.* hypothetica, *seu* limitata.
563. *Discrimen inter Justitiam* commutativam & universalem.
564. &c. *Justitia* universalis *exponitur.*
568. &c. *Explicatur Justitia particularis seu* commutativa.
571. &c. *Justitia* distributiva *est etiam particularis: sed differt* a commutativa.
574. *Ex Justitia commutativa oritur obligatio* necessaria, *vel* voluntaria.

575. *An oriatur nat. obligatio ex promissione & pacto?*
576. &c. *Quid sit simplex propositum, promissio, pollicitatio, pactum?*
580. *In dubio promissio censetur facta ex sola fidelitate.*
581. *Deciduntur casus, in quibus nat. obligatio oritur ex promissione* &c.
582. &c. *Promissio ut obliget, debet esse* manifestata & acceptata.
585. *Promissio* ob turpem causam *non subsistit ante opus.*
586. &c. *Illa opere turpi patrato obligat ad solvendum promissum.*
591. *Contractus talis ab initio non absolute fuit nullus Jure nat.*
592. &c. *Qualis culpa de Jure nat. præstanda sit ex male gesto Officio, dato consilio* &c.?
598. &c. *Præbens consilium ex crassa ignorantia &c. tenetur ad restitutionem.*
601. *Quæ culpa de Jure nat. præstanda in contractibus.* &c.
602. *Exponuntur & limitantur regulæ circa culpas in contractibus.*
603. *Qui debuit cavere culpam* in contractu, *& non cavit, tenetur* in conscientia.
604. *Exponitur status quæstionis in casibus particularibus*, commodati &c.
605. *Adducitur* negativa *opinio cum suis fundamentis.*
606. *Et illi contraria affirmativa communior Naturalistarum contra* commodatarium.
607. &c. *Momenta* affirmativæ *sententiæ afferuntur.*
609. &c. *Rationes* negativæ *opinionis solvuntur.*
612. *Statuitur sententia* media *circa culpam* juridicam *in pactis de Jure nat. præstandam.*
613. *Hæc opinio* media *satisfacit* commodanti & commodatario.
614. *Per eam conciliantur duæ priores sententiæ sibi contrariæ.*
615. *Ut proin Commodatarius ex culpa mere juridica in conscientia ante sententiam obligetur, sufficit* simplex commodantis requisitio.
616. *Affertur ratio, cur de reliquis in specie contractibus non tractetur in hoc Juris nat. opusculo.*
617. *Occurritur crisi aliorum Naturalistarum, cur interdum textus Juris positivi adhibeantur in explicandis obligationibus naturalibus, & præsertim ex contractu & pacto, damnove dato provenientibus* &c.

§. I.

§. I.

*An obligationes naturales hypotheticæ ad Jus Gentium sint referendæ?*

557. SUnt qui cum *Grotio* & *Thomasio* omnia officia ac obligationes naturales hypotheticas, etiam eas, quæ ex consensu, pacto, promissione, contractu proveniunt, ad Jus Gentium relegant, ea persuasi ratione: quod *dominiorum divisio Gentium jure fuerit introducta*. Unde etiam communiter aliis displicentem, ac supra hic *n.* 40.) rejectam a nobis Juris naturalis divisionem in *primævum* & *secundarium*, seu *Gentium facto* introductum, ab earundem tamen Gentium positivo jure distinctum arbitrarie commenti sunt.

Nullo tamen fundamento nixam persuasionem hanc evidens doctrinæ eorum inconsequentia refellit. Quamvis enim dominiorum divisio Gentium jure introducta fuerit, & contractus aliqui originem suam eidem debeant; obligatio tamen naturalis standi pactis & contractibus immediate oritur *ex justitia commutativa*, & refertur ad officia naturalis juris *perfecta hypothetica*, ut patet sub *num.* 466.) Nec *Grotii* sequaces dissentiunt, qui cum communi aliorum fateri coguntur: non ex rerum proprietate actu habita & possessa, aut earum divisione; sed ex consensu legitime facto & acceptato, materiæque capacitate naturale oriri vinculum; quippe obligatio naturalis servandi pacta & promissiones *per se* non dependet a rerum dominio. Si enim Religiosus nihil proprii habens, aut quivis alius eo pauperior, debito modo promittat alteri operam suam in quopiam præstandam, acceptatione promissarii secuta, obligatur jure nat. implere promissum, quin obstet rerum proprietas, qua ille caret. Eadem ratione *debitor ad incitas redactus* obstringitur adhuc suo creditori in eventum, si quando *ad pinguiorem fortunam* venerit. Demum nobilissima pars Jurisprudentiæ naturalis consistit in recta expositione obligationum, quæ ex justitia commutativa proveniunt, ab harum enim practica peritia & observatione pendet vitæ socialis, ac commercii humani felicitas, quæ non ex jure Gentium positivo, sed ex naturalis legis directione *præcipue* ac *primario* derivatur.

558. Nec refert, quod obligationes hæ sint *hypotheticæ*. Nam hypothesis hæc id solum denotat, quod obligatio v. g. implendi contractum emptionis-venditionis non sit coæva & communis toti generi humano: sed nunc in tempore advenerit contrahentibus, & desinere possit, si aut contrahentes ipsi consentiant, aut jus positivum illam rescindat. Non autem id etiam inde sequitur, quod illa minus obstringat quam lex nat. *absoluta*, & quod ideo ad Jus Gentium sit remittenda. Omnes enim *perfectæ* obligationes *hypotheticæ*, quæ *ex contractu* oriuntur, sunt rigorosissimi juris nat. utpote fundatæ in justitia *commutativa*, & referuntur ad generalia principia, *nemo sine causa lædendus: jus suum cuique tribuendum* &c. Ob hæc igitur aliave momenta de prædictis officiis *ex consensu ortis* hoc loco tractabimus: de *dominii divisione*, ac *status adventitii officiis* acturi in *II. Parte de Jure Gent.*

## §. II.

*Quid sit* discriminis *inter officia & obligationes naturales* ex facto *humano provenientes, & eas quæ cum homine ipso oriuntur? Dein quid rei sit Justitia* universalis, *ac* particularis?

559. Desideratum discrimen facile colligi poterit qua ex definitione officiorum ope nostri, vel alieni *facti* sive consensus, descendentium; qua ex distinctione inter justitiam *commutativam* & *generalem* seu legalem naturalem. Officia enim seu obligationes ex *consensu* aut *facto nostro vel alieno* provenientes dicuntur *hypotheticæ*, seu ex hypothesi certi *status* hominis, vel *facti*, puta: ex promissione, contractu, successione, legato, aut delicto oriuntur. Et hujusmodi obligationes spectant nonnullæ ad justitiam *commutativam*, uti sunt procedentes ex contractu, promissione *ob causam* facta, item ex delicto *voluntario*, qualia sunt furta, homicidia, &c. Tales enim obligationes sunt *rigorosæ*, & inducunt restitutionis, seu compensationis vinculum. Nonnullæ vero obligationes referuntur ad justitiam naturalem *universalem*, sive legalem. Ejusmodi sunt promissiones *pure lucrativæ* non provenientes ex titulo oneroso: sed ex sola *fidelitate*, aliave virtute morali aut religione, qualia sunt *vota mere personalia*, pro-

promissiones *pure gratuitæ & liberales*, ac similes alii actus qui non proveniunt ex justitia rigorosa. Ad hypothetica officia referuntur etiam illa, quæ oriuntur ex inito certo *statu*, v. g. matrimoniali, herili &c.

Contra autem, officia & obligationes *cum ipso homine ortæ* sunt *absolutę*, eo quod ante promissionem, consensum, aliudve nostrum vel alienum factum, quemadmodum toti generi humano *communes sunt*, ita & nobis propriæ, v. g. non esse *blasphemandum, pejerandum, mentiendum* &c. de quibus egimus *a n.* 260. & 466. )

560. Obligationes hæ licet *absolutæ* sint, quatenus prohibent ex. gr. mendacium, adulterium, injustam occisionem & alia objecta, erunt tamen *hypotheticæ*, quatenus ex hypothesi facti mendacii perniciosi, homicidii, alteriusve delicti voluntarii oritur novum vinculum adstringens ad præstandam restitutionem, aut damni dati compensationem: Hac tamen manente differentia; quod obligationes *absolutæ* naturales sive *affirmativę*, sive *negativę*, ne quidem Divina auctoritate, quamdiu genus humanum existet, cessare, vel *in se ipsis* intrinsece immutari possint: bene vero *hypotheticę*, quas sive privato partium consensu, sive Magistratus, legisve positivæ dispositione mutari, ac propter immutatam materiam legis naturalis desinere posse nemo ambigit.

561. Ad *hypothetica* item sub lege nat. *universali* contenta officia reducuntur omnes illæ obligationes, quæ ex hypothesi *status adventitii*, aut cujuscunque *facti humani* oriuntur, adstringendo hominem ad exercitium, vel omissionem alcujus actus *propter circumstantiam aliquam advenientem*. Ita v.g. *nuditas* in statu *primigenio* naturæ humanæ, ante peccatum Adami & Evæ *certo* fuit permissa. Illa tamen *ex hypothesi peccati* Protoparentum nostrorum, & inde ortæ rebellis concupiscentiæ, propter *periculum scandali* & incontinentiæ *prohibita est* jure naturali *hypothetico*, non prohibenda alias, si durante statu naturæ integræ status hominis *primigenius* non fuisset *moraliter* immutatus, utpote quo ita durante integro ac innocente nullum *ex nuditate* scandali fuisset periculum, sicut nullum fuit tempore illo intermedio, quo post sui creationem Protoparentes nostri vixerant *nudi* ante prævaricationem.

562. Ita autem ex *hypotheticis* officiis & obligationibus naturalibus, occasione variarum circumstantiarum muta-

ti status, vel accedentis *facti* alicujus humani oriri solitis, recte infertur lex naturalis *hypothetica*, seu *limitata*. Hæc enim cum non sit cum ipso homine orta, eique congenita, neque *communis toti generi humano*, qualis est de non blasphemando, mentiendo &c. hinc non est etiam *absoluta*: sed pendet præcise ab hypothesi, nempe si hæ, vel illæ circumstantiæ materiam legis nat. constituentes vel eam immutantes adfuerint, ut patet jam *in nuditate* olim permissa, nunc prohibita &c.

Imo liquet id ipsum etiam *in homicidio*. Licet enim verum sit, quod homicidium non aliter lege nat. sit prohibitum, nisi *qua injustum*, qualis prohibitio spectat ad jus nat. *absolutum*. Nihilominus illi Naturalistæ, qui legem nat. hypotheticam, & inde provenientes obligationes limitatas admittunt, ad instantiam de homicidio respondent: homicidium *qua injustum*, esse quidem jure nat. *absolute* prohibitum, & id spectare *ad generalia principia* legis naturalis, omnem injustitiam *absolute* sine ulla hypothesi & limitatione prohibentia: Verumtamen, quando id homicidium *justum vel injustum* dicendum sit: id spectat ad jus nat. *hypotheticum*, & ad conclusiones, quæ *mediate* solum & *remote* ex primis generalibus nat. principiis inferuntur. Illud proin homicidium, sive aliud objectum, non obstante lege naturali aliquid in *thesi* ac *generaliter absolute* prohibente, vel præcipiente, adhuc in *hypothesi* & casu particulari, propter alias *circumstantias*, licitum vel illicitum esse potest. Ita docente *D. Th.* quodlib. 9. a. 15. *Sunt quædam actiones quæ absolute consideratæ deformitatem, vel inordinationem quandam important: quæ tamen aliquibus circumstantiis advenientibus bonæ efficiuntur, sicut occidere hominem, vel percutere*. &c.

Ex quo manifestum est, etiam Angelicum Doctorem distinguere inter obligationem naturalem *absolutam* & *hypotheticam*, seu per certas circumstantias *limitatam*, & sentire, quod obligatio quidem naturalis *generica* in abstracto, ac independenter a casu particulari spectata sit *absoluta*, seu non se referens ad circumstantias particulares; *practice* tamen considerata quo ad *circumstantias* actus, in sua *specie infima*, non Jure nat. *absoluto*, sed ab *hypothetico* determinanda, & ejus ope *interdum* explicanda sit.

563. Quod vero alteram discriminis partem concernit, scilicet, quid discriminis sit inter justitiam *commutativam*, & *uni-*

& *universalem*, seu legalem naturalem; sciendum est: Justitia *in genere*, abstrahendo a quatuor ejus speciebus, nempe *legali*, *vindicativa*, *distributiva*, *ac commutativa*, definitur esse *Virtus moralis observativa per se juris alicujus*. Cum autem homo in aliorum societate vivens dupliciter obligari possit, vel tanquam pars ad partem, civis nempe ad civem, vel tanquam pars ad totum, cives scilicet ad communitatem: Hinc duplex jus oritur, & consequenter duplex justitia, docente *Arist.* l. 5. Ehic. c. 1. una *generalis* seu *universalis*, per quam quisque reddit, quod *quomodocumque justum* est, ac debitum Reipublicæ, cujus ipse pars est, vel ejus supremo Domino, aut unicuique concivium. Altera justitia *particularis*, per quam quis reddit unicuique quod suum est, at non *quomodocumque*, sed *propriæ* ac *rigorosæ* debitum & justum. Hæ duæ justitiæ species præ aliis nostrum hic & nunc forum concernunt, suntque sigillatim exponendæ,

564. *JUSTITIA UNIVERSALIS*, seu generalis ac legalis dicitur: quia omnes virtutes morales in se comprehendit tanquam causa universalis, hoc est, quatenus reliquis virtutibus ipsa imperans earum actiones ad Reipublicæ prosperitatem dirigit ac refert. Sicut enim *caritas* secundum se spectata, peculiaris & ab aliis distincta virtus est, comparata vero ad virtutes reliquas, quarum operationes dirigit, ut propter DEUM exerceantur, quasi omnium virtutum forma est & virtus universalis, utpote perfectio & adimpletio totius legis. Ita etiam *justitia legalis* naturalis, secundum se quidem particularis, atque ab aliis distincta virtus est, quia peculiarem rationem honestatis & laudis obtinet, quatenus per eam quisque recte & debite se gerit erga Rempublicam ejusque Principem & membra: Eadem tamen dicitur, & est *universalis*, seu generalis *justitia* comparata ad alias virtutes, quarum actiones *præcipue* & *primario* ad Reipublicæ sive alicujus particularis, sive universalis, nempe ad totius Generis humani prosperitatem dirigit.

565. Atque hac consideratione justitia hæc dicitur *virtus perfecta, quæ una in se virtutes continet omnes*, dicente *Aristotele* l. c. cap. 1. Ubi etiam ille eandem virtutem, quam *communem*, seu *generalem* appellaverat, novo nomine *LEGALEM* vocat. Quia versatur *circa legem*, seu *justum quodvis legitimum*, uti interpretatur *D. Th.* 2. 2. q. 58. a. 5.

Nam in Republica legibus bene constituta ( qualis componitur ex toto genere humano *legibus naturę* circumscripto ) omnia omnium virtutum officia , licet *non qualibet sub rigorosa* & eadem *obligatione* , præcipiuntur , scilicet, ut ait *Angelicus* loc.cit. *& ea quæ ad virum fortem pertinent, ut non deserere locum in acie, non fugere, non arma abjicere: Item quæ sunt temperantis, ut non committere adulterium, non libidine uti: Etiam quæ sunt mansueti, ut non pulsare, non convicia dicere : Et in ceteris identidem virtutibus, atque vitiis, illa jubens, hæc vetans.*

566. In hac quoque significatione nomen *Juris* accepit JCtus in *l. Justitia ff. de J. & J.* dum ait: *Juris* ( id est Justitiæ legalis ) *pręcepta sunt honeste vivere , alterum non lædere, suum cuique tribuere*. Respublica enim quælibet triplici Jure nititur scilicet *naturali æquitate , scripta lege* , & *consuetudine vetusta*, ut colligitur ex *l. 2. ff. de aqua pluv. arcend.* In sacris quoque literis frequentissima est usurpatio *Justitiæ* pro quovis virtutis moralis actu & opere, quatenus per id divinæ legi ac voluntati *quomodocumque* præcipienti conformamur, pariter ac si observemus leges *positivas mere humanas* , dicimur satisfacere *Justitiæ legali* , quæ tamen alia non est, quam naturalis *universalis*, omnem virtutem moralem, atque adeo etiam obedientiam legitimis Magistratibus humanis, eorumque legibus exhibendam præcipiens.

567. Ne tamen quis putet se nimis gravatum præceptis naturalibus , eo quod Justitia *universalis* continet sub se omnem virtutem & actum *quomodocumque justum ac debitum*, duo hic notanda sunt. *Primo*, quod dictum jam sit *a n. 73. ac seqq.* ) non omnes virtutes, nec omne justum *necessario* præcipi a lege nat. sed id solum quod certo vel evidenter fundatur in naturali *necessitate* , prout id *a num. cit.* deduximus. Demum *secundo*, ex doctrina *Suarezii* probavimus hic supra *n.* 140. ) nullam esse obligationem in conscientia ex quibuscunque *legibus* etiam *positivis* provenientem, quæ non sit saltem *aliquomodo* effectus legis naturalis, ac consequenter *omnis* obligatio, quæ oritur *undecunque* in conscientia, spectat ad *Justitiam* hic explicatam *Universalem* seu legalem naturalem : verum hæc assertio *ibid.* cum hac limitatione procedit, quod obligationes ex legibus *mere positivis* aliisque similibus causis provenientes solum *remote* ac *mediate* reducuntur ad legem nat. ejusque

justi-

justitiam universalem ; *directe* vero & *immediate* ac *per se* spectant ad legem *positivam*, & hæc *sola* censetur violari, quoties quis *mere* humanas sanctiones transgreditur &c.

568. *JUSTITIA PARTICULARIS* definitur ab Ulpiano in l. 10. ff. de J. & J. dicente: *Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi*, seu juxta Aristotel. 5. Eth. c. 2. *Justitia est habitus, secundum quem aliquis constanti & perpetua voluntate jus suum unicuique tribuit*.

Ad proprietatem vero *Justitiæ particularis* tria hæc omnino sunt necessaria. I.) Ut sit ad alterum simpliciter. II.) Ut versetur circa *proprie* ac *rigorose* debitum. III.) Ut reddat ad æqualitatem. Hinc juxta Philosophum 5. *Eth. c.6.* inter Patrem & filium, dominum ac servum, maritum & uxorem non est justitia ac justum *proprie*, & *simpliciter*: sed tantum secundum quid, & per similitudinem; diciturque *justum* cum limitatione hac: *paternum, herile, Oeconomicum*.

Nam *justitia particularis* tendit ad alterum, id est diversum ab operante: & *justum particulare* versatur inter partes, quæ exæquari possunt: Atqui filius non omnino est diversus a patre, sed est aliquid patris, sicut fructus & portio decisa ex patre, ut ait *Arist.* 8. Eth. c. 11.: Igitur tam commoda quam incommoda filiifamilias in patrem redundant, ac vicissim. *Servus* autem, sive mancipium, est possessio, & veluti instrumentum domini sui, quare quidquid acquirit, domino acquirit. *Uxor* demum in iis rebus, quæ ad conjugii societatem, familiæque administrationem spectant, censetur veluti unum corpus, sive una caro cum marito. Ad hæc, filius parenti non potest reddere æquivalens: nec servus domino æquari potest, quatenus enim est, domini sui possessio & proprietas est. Uxor tamen marito ferme æqualis est, utpote in familiæ administratione ejus socia: in jure autem conjugii omnino par. Quapropter recte dixit *Aristoteles* 5. Eth. c. 6. *Justum œconomicum magis ad proprietatem justi accedere, quam herile ac paternum*.

569. His tamen ita explicatis addendum est. I.) Quod licet *justum paternum* recedat v. g. a proprietate justi, quod attinet *ad æqualitatem* inter *diversas personas* statuendam, non tamen quoad *rationem debiti*, imo majus *debitum*, arctiorque obligatio est *pietatis*, sive *justitiæ* patris erga filium, & vicissim, quam sit justitiæ *civilis* & sim-

ſimpliciter dictæ. Gravius enim cenſetur deliquiſſe filius, ſi in patrem impius & contumelioſus ſit, quam ſi in alium civem injurius. II.) Quod Ariſtoteles dixit *de pietate filii* erga parentem: deficere nimirum a proprietate veræ juſtitiæ, idem nos dicere debemus *de virtute Religionis* erga DEUM. Licet enim in nobis reperiatur perfectiſſima ratio debiti erga DEUM, non tamen æqualitas, neque perfecta diſtinctio civilis, cum DEI opus ſimus, atque poſſeſſio, eique æquivalens reddere haud poſſimus; *D.Th.* 2. 2. q. 80. a. 1.

570. Nihilominus communior ſententia, juxta quam reſpondemus *a n.* 302.) admittit in homine erga DEUM juſtitiam etiam rigoroſam commutativam, ſaltem quo ad *aliquos* actus *præceptos*, licet non etiam quo ad mere *ſupererogatorios*, immediate ex *pure liberali* erga DEUM animo provenientes, de quibus ſolis intelligenda eſt in contrarium adducta *D.Th.* doctrina. Neque etiam obſtat *defectus æqualitatis*. Quia licet creatura rationalis non poſſit ponere hanc æqualitatem in *ratione entis*, cum jure æqualitatis divino: poteſt tamen adhuc in *ratione debiti*, quod exigitur a jure divino.

## §. III.

### *Ad quam particularis Juſtitiæ ſpeciem referantur obligationes naturales hypotheticæ, & an ſemper oriatur ex illis vinculum reſtitutionis?*

571. DUæ ſunt ſpecies Juſtitiæ *particularis*, teſte Ariſtotele 3. *Eth. c.* 2. ſcilicet juſtitia *commutativa*, & *diſtributiva*. Illa conſtituit *juſtum inter partes* omnino diſtinctas, ſecundum æqualitatem rei datæ ad rem acceptam, & dicitur *commutativa*, non ideo, ac ſi illi, inter quos exercetur, debeant omnino quidpiam inter ſe commutare. Nam inter donatorem & donatarium nulla eſt commutatio qui tamen rem abſolute *donatam* & *traditam* ſi abſque legali cauſa invito donatario eripiat, lædet juſtitiam commutativam, quam etiam exercebit fur reſtituendo rem ablatam, etſi inter eum & rei ablatæ dominum nulla commutatio intercesſerit. *Commutativa* igitur appellatur ex eo, quod ut *plurimum* detur inter eos, qui ſua bona ſecum commutant.

Jam

Jam vero *distributiva* justitia constituit *justum inter totum & partes*, secundum æqualitatem proportionum, atque ideo nomen *distributivæ* sortitur; occupatur enim in distributione communium bonorum, scilicet dignitatum, officiorum &c. quæ in Republica vacantia, vel abundantia partibus Reipublicæ, pro cujusque statu ac merito distribui debent.

572. Hæ tamen duæ species Justitiæ distinguuntur inter se, utpote non *univocæ*: sed *analogæ*. Communis enim ratio & proprietas Justitiæ particularis *magis* & *regularius* reperitur in *commutativa*, quam in *distributiva*. Tum quod illa *proprie* sit ad *alterum*, seu ad personam distinctam: *distributiva* vero non omnino ad alterum; sed *totius ad partem*, pars autem non adæquate a toto distinguitur: Tum quod illa respiciat *jus strictum*, seu *proprie* dictum *debitum*, distributiva autem respicit jus ac *debitum late acceptum*. Strictius enim & magis proprium jus quisque habet ad petendam rem sibi *debitam* v. g. *ex contractu*, quam habeat aliquis præcise quia *dignior est inter alios*, ad petendam dignitatem, vel beneficium. Hinc major est injuria, per quam *commutativa* justitia violatur, utpote quæ *sola* obligationem restituendi parit.

573. Demum justitia *commutativa* respicit *medium rei* simpliciter, nempe perfectam & *arithmeticam* æqualitatem, inter quantitatem rei acceptæ & rei datæ. Justitia vero *distributiva* respicit *medium proportionum*, seu æqualitatem *geometricam* inter proportionem & proportionem: Ut scilicet eadem sit proportio inter res quæ distribuuntur, ac est inter conditiones personarum, quibus fit distributio. Exempli gratia: est aliquid distribuendum secundum dignitatem personarum; si itaque is, cujus dignitas est ut *duo*, accipiat 3. aureos, is cujus dignitas est ut *quatuor*, accipiet 6. & ille, qui dignus est ut *octo*: accipiet 12. aureos &c. ita supputante Aristotele *l.* 5. *Eth. c.* 3. & 4.

574. Jam ita explicatæ Justitiæ *commutativæ* duplices sunt commutationes, & inde ortæ *obligationes*. Aliæ *voluntariæ*, quæ mutuo contrahentium consensu constituuntur. Aliæ *necessariæ*, quæ factum ipsum consequuntur independenter a contractu: tales sunt quæ oriuntur v. g. ex delictis, per quæ alteri invito damnum injustum infertur *furto*, *detractione*, *homicidio*, *incendio* &c. Tales etiam sunt obligationes ortæ ex re aliena bona fide *accepta*, aut *inventa*, quoties

ties devenitur in notitiam domini, neque præscriptio adhuc debite intercessit, &c. Ubi notandum est, quod obligationes *voluntariæ* sint & dicantur tales solum *in fieri*, seu a principio, & tunc dum fiunt, postquam vero factæ seu contractæ jam fuerint, hæ quoque erunt *aliquomodo necessariæ*, juxta axioma: *Contractus initio sunt voluntatis: ex postfacto necessitatis*. Ex utraque autem obligatione hac proveniunt officia seu obligationes *hypotheticæ perfectæ*, & restitutionis vinculum, quod an etiam oriatur ex *quavis promissione*; sequens quæstio edocebit.

## §. IV.

### *An, & quando obligatio naturalis oriatur ex promissione, vel pacto?*

575. Quo solidius concludi possit naturalis obligatio ex aliqua promissione, refert distinguere inter terminos, qui in resolutione hujus quæsiti confusionem quandam parere possent. Præ aliis autem sciendum est, quod hæc *quatuor* inter se differant, nempe: *simplex propositum*, *pollicitatio*, *promissio gratuita seu simplex*, & *promissio ex causa*. Simplex enim *propositum*, seu *deliberata voluntas* dandi, donandi, vel agendi aliquid in alterius favorem, obligationem non parit. Quia dicente *D. Th.* 2. 2. q. 88. a. 1. *Conceptio boni propositi non firmatur ex animi deliberatione, nisi promissione deliberationem consequente*. Et ibidem: *Ille qui solum proponit, nondum aliquid facit*. Ratio quoque est: Quia circa rem alteri aliunde indebitam propositum hoc est tantum quædam *velleitas*, quæ ad obligationem inducendam sufficere nequit. Ad actum enim aliunde *indebitum*, & nullo jure *præceptum* nemo obligatur, nisi quis sponte se obligatum voluerit: porro qui simpliciter proponit se aliquid facere, donare, dare &c. nondum se vult obligatum; sed mere est solum in via, ac tendit ad obligationem, si animum non mutaverit, eumque efficaciter determinaverit; quamdiu igitur eum non determinat per voluntatis suæ manifestationem, & ab altero acceptationem, nullum efficax contrahit vinculum.

576. Imo *simplex propositum* neque in actibus jam *aliunde debitis* ac præceptis inducit ullam *novam*, ac specie distinctam obligationem: sed potius eliciens tale propositum jure *obfirmat* animum suum in illa obligatione, ad quam im-

implendam aliunde tenebatur & tenetur. Hinc *ſerio proponens* ſe amplius *non furaturum*: ſi iterum furetur, non eſt cenſendus aliam novam violaſſe obligationem, quam eam ſolam, qua jure nat. obligabatur ad non furandum. Secus foret tamen, ſi *voto*, aut *juramento adjecto* obfirmaret animum ad non perpetrandum aliquod crimen. Tunc enim non jam ſimplex propoſitum: ſed *jurata*, vel *voto firmata* eſſet promiſsio, inducens *obligationem Religionis* erga DEUM qua promiſſarium, & conſtituens *ſpecie diſtinctam* malitiam actus in tranſgrediente hujuſmodi promiſsionem, ac crimen perpetrante.

577. *Pollicitatio* definitur, quod ſit *ſolius offerentis promiſſum*, l. 3. ff. de Pollicit. ſeu eſt nuda promiſsio, nondum ſecuta acceptatione. Unde omnis pollicitatio eſt promiſsio, non tamen viciſsim.

*Promiſſio gratuita*, ſeu *ſimplex* includit in ſe propoſitum dandi, vel agendi. Addit autem deliberatam voluntatem alicui denuntiatam, ſe gratis obligandi ad præſtandum quidpiam, ſi ipſi acceptum ſit; v. g. promitto me mutuaturum, empturum, donaturum. Ac deſcribi illa poteſt, quod ſit *deliberata & ſpontanea fidei obligatio ex mera liberalitate facta alteri, de re quapiam bona & poſſibili.*

Contra autem *Promiſſio ex cauſa* (quæ etiam *remuneratoria* dicitur) non ex mera fit liberalitate: ſed ex *debito gratitudinis*, & ob merita *Promiſſarii*, cui interdum promiſſio talis eſt debita *ex jure ejus & juſtitia*, & tunc potius eſt promiſsio, vel datio *onerosa*, neque mere *lucrativa*, ſeu *gratuita*, quia habet vim contractus *taciti* vel *expreſſi*: Interdum autem ex ſola *decentia* & *æquitate* latius ſpectata fieri ſolet, nec definit eſſe *gratuita*, ſicut promiſsio, ita & datio vel donatio. *Pactum* autem eſt duorum vel plurium in idem conſenſus: differt a promiſsione, quod hæc non ſemper inter duos vel plures fiat, qui viciſsim aliquid repromittant.

578. Conſtat autem duplicem dari promiſsionem; unam *improprie* dictam, cum ſcilicet intentio promittentis ſe facturum aliquid in gratiam alterius, ſolum eſt ad ſe obligandum ex *virtute fidelitatis*, aut *veracitatis*, ſecundum quam in dictis & factis noſtris conſtantes, veraces, ac fideles eſſe debemus. Cujuſmodi conſtantiæ, ac fidelitatis obligatio ex *genere* ſuo, atque *per ſe* loquendo *levis* eſt, licet *per accidens* ratione e... dentis damni poſsit eſſe gravis, & reparationis, ſeu reſtitutionis vinculum inducat.

*Al-*

*Altera* promissio est proprie dicta, dum intentio promittentis est se ex *justitia* obligandi, ita ut alteri promissionem acceptanti *jus* & actio tanquam *vere debitum* promissum exigendi, *saltem* in conscientiæ foro acquiratur. Et talis promissio ex genere suo obligat sub *gravi*. Licet longe major materia requiratur ad gravem injuriam judicandam in violatione promissionis homini factæ, quam requiratur in furto.

579. Malitia enim *furti* consistit in *inferendo damno*; quod homines magis iniquo modo ferunt, violatio autem *gratuitæ* promissionis, animo se *ex justitia* obligandi factæ consistit *in lucro alteri non auferendo*, quod homines minus æstimare solent. Dummodo res dicto modo promissa non fuerit jam *tradita*, aut antecedenter promissario *rigorose* debita, uti sunt v.g. salaria famuli a multis annis retenta &c. tunc enim sufficiet eadem materia quæ in furto.

580. In dubio tamen, fueritne aliquid promissum ex *sola fidelitate*, vel ex *justitia*; sola fidelitas præsumitur: Cum ex hac sola homines plerumque liberalitatem suam promittant aliis. Vix enim quenquam reperies, qui *mere liberaliter* aliquid donaturus imponat sibi onus *justitiæ*, priusquam tradat.

## §. V.

*Deciduntur particulares casus, in quibus naturalis obligatio nascatur ex promissione, pacto, vel non?*

581. EX præmissa notione Promissionis, sequens occurrentium casuum potest concludi resolutio. I.) Donatio & quævis promissio *gratuita*, eaque *mere interna* facta homini, *jure etiam naturæ* spectato non est sufficiens ad inducendam obligationem *justitiæ* in donante, vel ita promittente.

*Ratio* est 1.) Repugnat enim substantiæ promissionis homini factæ, quæ juxta D. Th. loc. cit. est *deliberata voluntas alicui denunciata se gratis obligandi ad præstandum quidpiam, si ipsi acceptum sit*. De ratione igitur ejus est, ut fiat per signa quædam practica commercio humano proportionata; mere autem *interna* voluntas sufficit ad nos DEO cordium scrutatori obligandos, non item hominibus, abdita cordis nostri ignorantibus. 2.) Quantumvis enim homo

cona-

conaretur, & vellet se interius obligare alteri ad donandum *v. g.* 100. fl. per solum actum *internum*, nequit se obligare *ex justitia* ad dandum, & ad internam suam voluntatem illi manifestandam; neque potest a Promissario talis interna voluntas, prius quam sibi manifestetur, sufficienter acceptari, ut oriatur obligatio justitiæ. Quia tamdiu non datur obligatio *ex justitia commutativa* ad præstandum jus *passivum* in uno, quamdiu in altero non datur jus *activum* ad exigendam manifestationem voluntatis de dandis *v.g.* 100. fl. Porro in promissario non datur hoc jus: Nam promissio *interna* donare volentis fuit *merum propositum*, cum animo & *tacita* conditione: si *post manifestationem ejus, promissarius acceptet*: nequit autem acceptare id, de quo sibi non constat: 3.) Sicut enim in *vita politica* alicujus Reipublicæ, illæ solæ promissiones & pacta inducunt obligationem, quæ legibus non improbantur: ita sistendo in *jure naturæ* illa sola voluntas est inductiva obligationis pro foro conscientiæ, quam approbat Auctor naturæ, qualem hic non approbat in casu proposito, cum sit contra naturalem commercii humani modum, qui non nisi per signa externa alteri manifestata institutus est. Hinc 4.) ubivis Gentium de hujusmodi promissione datur locus pœnitentiæ, & liberrimæ mutationi.

582. *Concluditur* II.) Ut promissio etiam *exterius* manifestata *efficaciter* obliget, jure nat. requiritur acceptatio Promissarii. Unde *pollicitatio*, *promissio*, *donatio* ante sufficientem acceptationem nullam parit obligationem *justitiæ*, vel *fidelitatis* in promittente, nisi in casibus jure positivo expressis. Et licet Decisio hæc habeat suos Adversarios, nihilominus Jus positivum, quod juxta *n.* 69.) gaudet auctoritate declarandi obligationes naturales dubias, eam manifeste confirmavit in *l.* 1. *ff. de pact.* Ubi generaliter statuit naturales obligationes ex promissionibus, stipulationibus & pactis non aliter nasci, quam *mutuo duorum consensu in idem*. Quam ob rem, prius quam alterius consensus accedat, prior potest pœnitere, & suam obligationem, quæ tantum *mere inchoata*, in actu *primo*, & *imperfecta* fuit, revocare, ut praxis commerciis usitata testatur. Sicut enim *sola voluntas acceptandi* non sufficit ad *acquirendum*, ita nec *solus animus dandi* sufficiet *ad transferendum* dominium, vel obligationem *proxime* & absolute contrahendam.

583. Nec urget in contrarium, quod pleraque donatio-
nes

nes fiant *coram Judice*, vel *apud* Acta, de quibus absens donatarius prout nihil prorsus inaudiit, ita neque hic & nunc acceptare potest; & tamen illæ subsistunt jure etiam naturali. Nam contra est, quod publica auctoritate tunc acceptentur v.g. a Magistratu, ita ut donatario plena dein maneat facultas, sua *speciali* acceptatione eam admittere, vel repudiare, si velit.

584. Quod autem neque ex *fidelitate* aliquam obligationem inducat *pollicitatio* & promissio hujusmodi, patet ex eo: quia non obligat ex *justitia*, multo minus igitur ex sola *fidelitate*. Hæc enim æque virtus est *ad alterum*, ac justitia, neque mens promittentis est sibi imponere obligationem respectu alterius, imo, præscindendo a voto vel juramento, neque capacitas ipsi adest ita se alteri obligandi, nisi hic eam acceptet.

585. *Concluditur* III.) Omnis promissio & pactio *ob turpem causam*, seu contra mores *naturaliter* seu *theologice* bonos inita, *ante exercitium operis*, cujus intuitu facta est, jure naturali irrita & nulla esse censetur. Est enim contra conceptum & naturam promissionis *homini* factæ, ut sit de *re mala* moraliter, cum nemo possit obligari ad peccatum. Hinc promissor operis, v. g. injusti homicidii, aut operarum servilium die Dominica, sine ulla *justa* causa exercendarum, non tenetur stare pacto, ac proin nec promissor mercedis, opere *nondum præstito* tenetur eam solvere. Hæc enim debita fuit solum sub conditione operis. Imo uterque pacifcentium tenetur consensum revocare, ne continuent peccatum. Quod naturalis Juris regula ex Isidoro in *c.* 5. *XXII. q.* 4. relata indicat: *In malis promissis rescinde fidem: in turpi voto muta decretum*. Cujus ratio *ibid.* adjungitur: *Quia impia est promissio, quæ scelere impletur*. Imo etsi pacto de re mala juramentum accesserit; nam *non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum*, Reg. 58. J. in 6. *neque* enim *juramentum potest esse vinculum iniquitatis*, C. quanto de jure jur.

585. An autem *perpetrato* jam malo *opere* obligetur adhuc promissor ad solvendam mercedem? in utramque partem disputant eruditi Viri. Nihilominus affirmativa opinio magis placet, utpote quæ etiam illustres juris naturalis dubii Interpretes pro se habet, scilicet *D. Thomam*, 2. 2. q. 62. a. 5. ad 2. *Cajet.* 2.2. q. 32. a. 7. *Sotum* l. 4. q. 7. a. 1. ad 2. *Covarr.* regula: *peccatum* p. 2. §. 2. n. 1. *Abbat.*

*Abbat.* in c. Quia plerique n. 14. de Immun. Eccl. *Adrian.* in 4. ubi de restit. §. oritur. *Mart. Navarr.* c. 17. nu. 31. *Silvestr.* v. restitutio 2. §. sed quod dictum. *Petr. Navarr.* l. 4. c. 2. num. 114. *Vasqu.* in moral. c. 7. dub. 1. *Rebell.* l. 18. q. 1. num. 9. *Less.* de J. & J. l. 2. c. 18. nu. 18. *Layman.* l. 3. tr. 4. c. 4. nu. 8. &c. Qui promissorem mercedis opere turpi perpetrato, non tantum *ex fidelitate*; sed etiam ex *justitia* docent obligari pro *foro conscientiæ*, ad solvendum promissario, qui opus turpe, v. g. inimicum promittentis occidendo, jam implevit. Quodsi anticipata solutione eadem merces adhuc ante opus soluta illi fuit, post opus secutum repeti jure naturæ non potest.

587. *Ratio* est, quia promissio illa non fuit mere liberalis: sed *onerosa*, nempe locatio & conductio operarum, aut contractus innominatus: *promitto ut facias: solvam si feceris*. Opus quoque si secundum suum *materiale* spectetur, fuit pretio æstimabile propter suam molestiam & periculum, ab illo in gratiam promittentis susceptum: Postquam igitur una pars cum tanto periculo & labore implevit contractum, tenetur ex justitia etiam pars altera, idque potiori ratione, cum ex parte solventis impletio hæc post opus perpetratum non sit quid *intrinsece* malum, pariter ac malum non est solvere enormes usuras ei, qui mutuum aliter dare non vult. Hinc si forte homicida ille tali solutione illectus similia crimina aliquando in gratiam etiam aliorum perpetrare velit, id imputari non potest solventi mercedem post opus impletum, pari ratione, ac nequit mihi imputari usurarum extorsio, si Usurarius allectus mea usurarum solutione audeat deinceps illas etiam ab aliis extorquere. In utroque enim casu repetitio illa criminis non provenit *ex pacto* & *intentione* solventis: sed mere *per accidens*, ac ex sola *perversa voluntate* crimen repetentis.

588. Neque ita solvens approbat delictum v. g. homicidii perpetrati: potest enim illud detestari qua peccatum est, sicut non approbat crimen fornicationum, vel infidelitatem *Judæorum*, qui hos, vel illas patitur in suo territorio, tolerans *Meretrices*: aut qui solvit iniquas usuras Usurario &c.

589. Multo minus obstant ea, quæ ex jure civili opponi solent. Hæc enim ad summum ibi vim obtinerent, ubi Jus Romanum receptum est: alioqui sicut extra Impe-

rium Rom. Germanicum non habent locum, nisi alicubi speciali ratione lex aliqua recepta fuerit, ita neque in hac quæstione, quæ de solo jure nat. procedit. Quanquam leges illæ neque pro Rom. Imperio aliud quid disponunt, quam quod *antè factum* pacta illa & promissiones nullæ sint, secus *post illud*. Vel certe, quod nolint *actionem* in foro externo permittere promissario; non vero ullibi jubent restituere, quod acceptum est, aut naturalem obligationem pro conscientiæ foro annullant.

Imo contrarium patet ex *L. si ob turpem* 8. *ff. de Condict. ob turp. caus.* ubi dicitur: *si ob turpem causam promiserit Titio -- repetitionem cessare tametsi EX STIPULATIONE solutum est*. Ecce! *ex stipulatione* prævia, non vero ex liberali *donatione* (ad quam nonnulli AA. recurrunt) *solutum est*, juxta quos tamen neque liberalis donatio deberet subsistere, quia eorum opinione, hujusmodi solutio allicit ad peccatum. Naturali igitur obligationi post opus perpetratum assistit etiam *l. Idem si ob stuprum* 4. §. 3. *ff. eod.* ac l. *Mercalem* 5. *cod. eod. tit.*

Quod liquet adhuc ex sententia eorum, qui putant actum *metu* injusto extortum esse validum *post opus* iniquæ coactionis, consensusque extorsionis, pariter omnes affirmant venditionem alteram ejusdem rei, si hanc traditio consequatur, omnino subsistere, nil obstante jure prioris Emptoris: qui tamen actus *turpes* sunt, & manifeste *jus naturæ violat*, qui alterum *inique cogit*, aut secundo Emptori rem suam vendit *invito priore*, & dein tradit eandem.

590. Gentium quoque ac Tribunalium praxis suffragatur assertæ obligationi solvendi mercedem pacto promissam. Ita enim stipendia Militibus, Mercedes operariis, salaria famulis ab eorum Heris solvuntur, & a Tribunalibus *solvi* jubentur, non obstante exceptione belli injusti, inique mandati laboris die festo, aut alterius improbi obsequii. Feminæ quoque solutæ, nuptiarum promissione *serio* facta & accepta, sub turpi conditione a suis procis *deceptæ*, opere perpetrato jubentur in matrimonium assumi, quoties nullum aliud obstat impedimentum, *Cap. si quis seduxerit* 1. *de Adulter.* Et docet stylus Consistoriorum. Plura de his colligi possunt ex dictis hic supra *a num.* 165.)

591. Quibus minime obstat, quod contractus ille *ante opus* perpetratum *ab initio fuerit nullus*, jam vero, quod

ab

*ab initio jure non subsistit, tractu temporis convalescere non posse*, tritum axioma docet.

*Contra* enim est, quod allegata regula vera sit tunc, quando actus in contractum deductus tam *initio pactionis*, quam etiam *ex post facto* in iisdem manet circumstantiis, non autem si hæ mutentur. Prout fit in casu v. gr. pacti de injusto homicidio per conductum sicarium perpetrando, aut de labore servili per mercenarium die Dominica exercendo &c. *Ab initio* enim contractus hujusmodi fuit circumstantia peccati, ob cujus turpitudinem non potuit valere pro illo temporis intervallo, quia si valeret in tempus subsequens, *obligaret* promissarium ad exercendam actionem peccaminosam, quod prohibet lex nat. & ob turpitudinem in tali actu reperibilem non vult illum tamdiu valere, quamdiu peccati turpitudo illa in actu promisso durat. Jam vero opere *perpetrato* cessat prior turpitudinis circumstantia, cum *solutio promissæ mercedis* mercenario, qui die festo peccaminose laboravit, vacet omni culpa, & sic de aliis similibus, &c. At patet in *consuetudine contra legem* peccaminose *inchoata*, quæ tamen ubi perfecte introducta fuerit, *convalescit temporis tractu*, & est omnino licita, imo vim legis habet: Item patet in pacto fornicarii cum puella, cui serio promisit matrimonium sub conditione copulæ, quæ conventio *ab initio* certo fuit jure nat. nulla, & tamen conditione impleta, non solum ille obligatur in conscientia (si nihil aliud obstet) eam ducere in uxorem: sed etiam compellitur à Judice: non compellendus alias, si contractus ille *ex post facto* non valeret: cum certum sit, neminem posse ad matrimonium ineundum cogi, si illud *valide non promisit* ulli feminæ. Neque etiam *in pœnam* delicti potest quis ad nuptias compelli, si pacto non se obligavit, *Cap. Requisivit*, 17. *de Spons. & Matr.*

Contractus ergo ille *non absolute* fuit nullus, neque pro omnibus facti & temporis circumstantiis: sed *limitate*, quamdiu scilicet naturalis turpitudo actus duraverit obligans ad peccatum: quæ circumstantiæ actu jam consummato prorsus cessarunt, & pactio convalescit, utpote quæ *tacita* constabat conditione: nisi opus pretio æstimabile positum fuerit & actus turpitudo cessaverit. Hoc enim casu *promissor* tenetur etiam ex re *quasi accepta*, siquidem *promissarius* ejus sponsione inductus posuit actionem pro-

mittenti utilem & *pretio æstimabilem*, scilicet servitia, aut operas serviles die festo exercitas, vel hujusmodi alias.

## §. VI.

*Qualis culpa spectato Jure naturali præstanda sit proximo, occasione damni dati per malam administrationem officii? aut per ignorantiam vel errorem in suggesto illi consilio? sive per defectum in exercitio opificii?*

592. DIversitatem culpæ exposuimus *a num. 511.*) ubi de reparatione damni *secluso contractu, vel quasi contractu* dati, tractatum est. Superest ut de proposita, & mox proponenda alia quæstione agamus. Quarum decisioni præmittendum est, non esse idem naturaliter obligari aliquem *ex officio*, & obligari ex *contractu*. Prælatus enim Regularis suos subditos, & Pater suos filios tenetur commonere ex *officio*, non tamen ex *contractu*, vel quasi, pariter ac etiam Confessarius, qui Parochus non est, v. gr. Religiosus Sacerdos, si sit rite expositus ad confessiones audiendas, audiet eas ex officio, quin tamen ex contractu. Unde ad quæsitum:

593. I.) Obligatus ad aliquid ex *suo officio*, spectato naturali jure non tenetur in foro conscientiæ ante sententiam de damno dato, nisi ex *culpa lata* seu gravi, eaque *theologica*, id est *deliberate* seu dolo malo admissa. Hinc non tenetur ex levi, vel levissima *juridica*: Nisi forte promiserit operam solito majorem. Quia nemo tenetur in *officio*, vel *artificio* esse prudentior & diligentior, quam passim homines ejusdem conditionis esse solent. Atque adeo *Advocatus*, *Jctus*, non debent esse magis accurati, quam passim alii Advocati, & Jurisperiti in dandis consiliis esse soleant. Quapropter, si contingat aliquem cadere causa, eo quod sui Jurisperiti non præstiterint, quod alioqui *doctissimus* & *accuratissimus* alius præstitisset, dummodo tamen bona fide adhibuerint eam diligentiam, quam solent *accurati* & *docti viri* in similibus causis adhibere, non tenentur ad restitutionem.

594. Ac proin II.) Medicus, Architectus, Judex, Magistratus, Princeps, Professor, Superior, Confessarius, filiorum Instructor, ac quivis alius officium vel artificium exercens, nisi *speciali* pacto se *ad extraordinariam* diligen-

tiam

tiam obligaverint, non tenentur ad aliam curam & sollicitudinem majorem ea, quam ceteri ejusmodi officio fungentes *bona fide* adhibere solent, & dicuntur esse *diligentes* in suo officio. Quam ob causam teste *Jul. Claro* L. 5. pract. crim. §. fin. q. 73. num. 3. Judices aliique Officiales ne quidem in foro externo hodie accusantur, nisi *de dolo & culpa lata*.

595. Hæc ipsa decisio locum habet III.) in eo, qui cum sit obligatus ad aliquid ex officio, etiam *mercede* ac stipendio *conductus* est, quin tamen *solito majorem* diligentiam unquam promiserit. Quia si adhibita sufficiente diligentia, damnum nihilominus intulit per culpam levem, vel levissimam (imo & *latam* quidem: sed sine omni advertentia) *mere juridicam*, non deliquit contra legem nat. ut constat ex decisis *a num.* 512.) Nam contra hanc non peccatur aliter quam per actus *humanos* ac *deliberatos*, alioqui etiam amentes & infantes delinquerent, & obligarentur *ex delicto*. Neque præsumptio culpæ *latæ ac theologicæ* habet ullum locum in Jure naturæ pro *foro interno*, in quo ipsa conscientia Judex, testis, probatio, & sententia est non indigens conjecturis.

596. Nec facit ad rem, quod v. gr. JCtus, Advocatus, aut Medicus promissa vel *accepta mercede* actum officii sui exercuerint, ut ideo *quasi ex contractu* obligari videantur ob culpam etiam *levem*, *vel aliam juridicam*, siquidem opus cedit *in utilitatem utriusque*, tales autem contractus inducunt obligationem etiam ex culpa levi, ut patet in empto-vendito, & dicemus mox *sequ.* §. *VII.*) ubi agitur de commodato. Nam contra est 1.) Quod hæc obligatio ex *culpa levi juridica* proveniat de jure *positivo*, non autem ex naturali, de quo solo hic res nobis est. 2.) Quamvis v. gr. inter JCtum, Advocatum & Clientem, Medicum & patientem adfuerit hujusmodi *quasi contractus* (qui tamen fieri regulariter non solet; sed solum datur illis *honorarium*, secundum Patriæ consuetudinem, citra ullam conditionem *onerosam* solito *majoris diligentiæ*,) ille tamen non obligat ad *exactissimam* curam: sed tantum *ad exactam*, qualem alii similis conditionis Viri sufficienter periti, sobrii, ac diligentes habere solent. 3.) Imo neque ille *quasi contractus* obligat spectatis legibus positivis, hæ enim ubi disponunt quod ex *locato-conducto* adsit obligatio reparandi damni etiam ex *culpa levi*, supponunt

 taci-

*tacitam* limitationem: *nisi Contrahentes aliter pacti fuerint, vel usus contrarium tulerit*: Et non procedunt de officiis *publicis* & *nobilibus*, qualia sunt *Judicis*, *Professoris*, *JCti*, *Advocati*, *Medici*, &c. multo minus de spiritualibus, uti sunt *Parochi*, *Confessarii*, *Superioris Ecclesiastici* &c.: sed procedunt de *Locati conducti* contractibus *vulgaribus*. Demum 4.) Leges imperiales non ita late se extendunt, sicut lex nat. de qua sermo est, ubi vero illæ receptæ sunt, culpa *levis juridica* nondum obligabit ante sententiam. Nisi forte *pactum* prius intercessisset de præstanda culpa etiam juridica *qualicunque*. Alioqui usus contrarius ubivis receptus obstabit illi obligationi.

597. Quod autem IV.) hi obligentur in conscientia etiam ex *culpa levi*, & ante sententiam, *si expresse promiserint operam solito majorem*: Ratio est, quia tunc promittunt saltem *implicite* amplius, quam passim præstent, & alter hanc ob causam non inquirit meliorem JCtum, Advocatum, Medicum &c. Si tamen aliquis ex his post culpam levem, vel levissimam advertat incommodum, quod impediri possit, tenetur sub gravi culpa avertere, alioqui in damnum illud voluntarie influeret conservando causam illius.

598. *CONCLUDES*: eum, qui præbet consilium, teneri in conscientia ante sententiam ad reparationem damni secuti ex ejus *ignorantia crassa*, vel ex *culpa lata*, si erat Parochus, Confessarius, JCtus, Advocatus, aut ejus professionis, ad quam tale consilium spectabat. Veluti, si JCtus respondeat quempiam non teneri restituere, cum teneatur &c. Debet tamen ignorantia hæc esse *theologice* graviter culpabilis, qualis ordinarie est *crassa*. Tunc enim est causa formalis & motiva damni.

599. *Excipe* tamen 1.) Nisi responderit juxta sententiam, quam in materia restitutionis *invincibiliter* putabat *probabiliorem*: quomodo non censetur putare ille, qui in materia hac *nihil aut parum versatus*, ex *mera judicii pertinacia*, & ne *imperitiam* suam ab aliis victam fateatur, probabiliori, *tutiori* ac majori rationum pondere & Auctorum meliore ac frequentiore testimonio nixæ opinioni adhærere non vult, eligens potius unius vel alterius *Summistæ* sententiam, qui eam in aliorum fidem, obiter perscriptam publico obtrusit, aut non improbabiliter decidit quidem: sed vel in aliis casus circumstantiis, aut non in *restitutionis* materia: interea proximus damnum pati cogitur.

600. Ex-

600. *Excipe* 2.) Si non suadendo: sed mere *indifferenter* sensum suum aperiendo proposuit. Dein 3.) Si indicavit se dubitare, & dubitando aliqua respondit. Demum 4.) absolvendus est is, qui non se *ingessit* in hujusmodi officium, sed alter, qui scivit de sua inhabilitate, eum in Advocatum, Consulentem, vel Medicum assumpsit. Hic enim sibi imputet: ille tamen, qui *conscius* suæ *imperitiæ* consuluit, aliamve operam nocivam ob suam ignorantiam exhibuit, a peccato non excusatur, licet a restitutione ante sententiam, in foro conscientiæ sit liber, deliquit enim *contra caritatem* debitam proximo, quod suæ imperfectionis conscius, alteri de ea ignoranti, aut negotium intricatum, & magis perito Consulente indigens sibi proponenti, ausus sit *absolute* sine omni hæsitatione respondere, non minus ac si in hoc scibili peritissimis quibusvis par esset.

## §. VII.

### *Quæ culpa, spectato Jure nat. præstanda sit in contractibus & pactis?*

601. DEcidimus jam *a n. 512.*) damnum sine culpa *theologica* seu sine omni advertentia & dolo malo datum, spectato Jure nat. *seclusa contractu, vel quasi*, non parere obligationem in conscientia illud reparandi ante sententiam: examinandum jam est, quid Jus nat. disponat supposito *contractu, vel quasi contractu*.

Dantur autem contractus triplicis generis. 1.) Aliqui cedunt in utilitatem utriusque contrahentium: ut *emptio-venditio, locatio-conductio, pignus* &c. 2.) Alii in utilitatem illius solius, qui obligatur, ut fit in *commodato*. Demum 3.) Alii vergunt in utilitatem illius solius, cui alter obligatur: ut *depositum*. Regula jam tradi solet, quod in contractibus *primi* generis obligetur quis ad culpam etiam levem, non tamen levissimam cavendam, & damnum inde secutum compensandum. In contractibus *secundi* generis, v.g. in *commodato*, etiam ad culpam levissimam. In *tertii* generis contractibus, v.g. *depositi*, nonnisi ad culpam latam.

602. Regula tamen hæc patitur duas exceptiones, *primam* in Mandatario, qui tenetur ex culpa levi, imo & levissima, non item Depositarius, cum tamen uterque contractus sit in utilitatem illius, cui alter obligatur, *secun-*

*dam* patitur exceptionem in *Commodatario* rem *ultra tempus præfixum* detinente; qui cum illam tunc *precario* detineat, tenetur adhuc ex *culpa levi*, licet alioqui, qui precario aliquid possidet, extra circumstantiam *moræ*, obligetur tantum ex culpa *lata*.

603. Convenit quoque inter DD. quod quando quis ex constitutione legum *ad certum genus culpæ* cavendum *obligatur ex contractu*, tunc *nisi expresse* aliter conventum fuerit, obligetur etiam jure nat. *in conscientia* ad illam culpam vitandam, & quidem *ex justitia*, ac si materia fuerit gravis: sub culpa letali. *Ratio* est, quia leges talem gravant in favorem alterius, v. g. *commodantis*, igitur commodans acquirit jus, quod ipsi tribuere debet suus *commodatarius*, qui ex contractu inito obligatione *hypothetica* obstrictus est talem adhibere diligentiam, qualem leges requirunt, aut illa omissa præstare damni reparationem. Lex enim nat. præcipit obediendum esse legitimis superioribus, & legibus eorum, *ex hypothesi*, quod se illis aliquis subjecerit, & juxta eas contraxerit.

604. Quæstio jam vertitur: Si contrahens ex defectu advertentiæ excusante a peccato mortali, aut ex mera oblivione vacante *omni* culpa *theologica*, committat culpam *mere juridicam*, qualem cavere secundum leges debuit, v. g. si *Depositarius* ex pura ac theologice inculpabili animi abstractione foris ante suam domum relinquat gemmam apud se depositam: & *commodatarius* gratis sibi commodatum pallium, reponat quidem in suo cubiculo, & in egressu fores claudat: sed non periclitetur, num hæ firmiter clausæ sint: num aliunde, scilicet per fornicem, vel fenestram furi non pateat aditus in cubiculum &c. ac per hujus diligentiæ omissionem *Depositarius* culpam *latam*: *Commodatarius* vero *levissimam*, uterque autem *mere juridicam* committat, quam alias ex *natura contractus* cavere debebant; An hi & similes de *Jure naturæ* hypothetica obligatione teneantur *in conscientia, ante omnem sententiam Judicis* præstare culpam, seu damnum reparare, nil obstante eo, quod indeliberate, & *sine peccato* formali eam commiserint, & damnum dederint?

605. *Negativam* opinionem cum *Soto* tuentur non pauci, his nixi fundamentis: I.) Quia cum damnum absque ulla culpa *theologica* datum sit sine omni nostra advertentia, censetur esse casus fortuitus. II.) Obligatio damnum

num tale resarciendi ante sententiam, attenta fragilitate humana nimis gravis, & passim ignota est hominibus. III. ) Obligatio hæc non datur spectato *præcise* Jure nat. Neque enim datur *ex re accepta*: neque ex *injusta Juris alieni læsione*: neque ex *contractu*, vel *quasi*. Quia conditio hæc non fuit *expresse* in pactum deducta inter contrahentes; multo minus datur ex *Judicis* præcepto, vel *legum* dispositione: cum hæ sint veluti *pœnales*, & clare non exprimant, quod eo casu quo quis certum gradum diligentiæ contractui proportionatæ a jure positivo præscriptum, sine sua culpa *theologica* non observat, teneatur in conscientia ante sententiam. IV. ) Res domino suo perit, qualis est Commodans. V. ) Commodatarius non se *expresse* obligavit ad restitutionem, vel damni reparationem ante sententiam, si res sine sua theologica culpa pereat: Alioqui dubio non maneret locus.

Ex his concludunt, prædicto casu interitus rei, *Commodatarium* & alios similes contrahentes in conscientia ad nihil teneri, usque dum Judex jubeat, aut si *damnum passus* compensationem exigat, ut refert Cardin. de *Lugo* d. 18. num. 103. *Esparz.* q. 26. *Petsch.* pag. 198. *Sporr.* num. 234. Opinio hæc sicut rationes, ita & Auctores graves pro se habet, & hodie est *frequens* in Academiis.

606. *Affirmativa* quoque est multorum, docens: Supposito quod leges positivæ cuique contrahenti præscripserint certum gradum diligentiæ, in custodienda re alienâ adhibendæ, & statuerint, ut *nisi eam adhibuerit, de damno teneatur*, leges hujusmodi obligant contrahentem *in conscientia* ante sententiam Judicis, ad damni ex culpa lata, levi, vel levissima, etiam mere civili & *juridica* dati reparationem. Hinc v. g. *Commodatarius*, qui rem alterius gratia *sui ipsius tantum* commodato accepit, spectata *legis* canonicæ & civilis *dispositione*, tum *natura* ipsius *contractus* & *consensus* in illum, ac ex his resultante obligatione naturali hypothetica, tenetur in conscientia ad præstandam culpam etiam levissimam, *non expectata sententia* Judicis, aut *requisitione* damnum passi; licet præter *juridicam*, nulla prorsus culpa theologica in deterioratione, destructione, vel amissione rei commodatæ intervenerit. Pari ratione loquuntur de aliis contractibus, in quibus culpa lata, levis, vel levissima præstari jubetur.

Ita

Ita tradunt, *Onnate* de Contract. d. 10. n. 191. & tota S. 6. probans obligationem hanc oriri ex Jure nat. *Sporr.* n. 233. pro hac citans *D. Th. Nav. Vasq. Mol. Laym.* Eandem *Less.* de J. & J. c. 7. d. 8. n. 40. & 45. dicit communiorem, & in praxi SERVANDAM, *Pirh.* de commodat. num. 4. asserens communem, quam sequitur *Engel* de Commodat. n. 12. *Illsung.* tr. 4. d. 2. n. 391. vocat probabiliorem. *Petschachter* pag. 198. ait in praxi *servandam* esse eo, quod Leges ita disponentes sint consentaneæ naturali æquitati. Eidem sententiæ favet *Dicastill.* l.2. t.3.d. 1. dub. 18. n.440. Quam etiam solide probat *Bassus* semicent. contr. can. legal. 9. Et ex Protestantibus Naturalistis mihi nullum reperire est, qui ad obligationem in conscientia præstandæ reparationis talis damni, ante sententiam Judicis, & damnum passi requisitionem, plus requirat, quam ut rem *ex contractu* habuerit, & vel dolum, vel culpam juridicam contractui proportionatam committat: Uti videre est apud *Hug. Grot.* de J. B. & P. part. II. 12. 13. *Puffend.* de J. N. & G. V. 4. 6. *L. B. de VVolff.* Inst. J. N. & G. §. 270. & §. 520. *Heinec.* de J.N. & G. §. 343. Qui aliique omnes solum casum *fortuitum*, qui *nulla humana industria* vitari aut prævideri potuit (ut fit in fulminis ictu) excipiunt, dummodo adhuc v. g. *Commodatarius* non fuerit *in mora*, aut casum fortuitum in se non susceperit.

607. Fundamenta *Affirmativæ* Opinionis esse possunt. I.) Quia supposita Juris positivi sanctione certum diligentiæ gradum in contractu præscribentis, & ob illam non adhibitam ad damni reparationem simpliciter & indefinite obligantis, is qui inic talem contractum, accipiendo v. g. rem commodato, vel depositum, conductum, aut pignus, *simpliciter* se obligat ad præstandam eam diligentiam, & se ita contrahere, re ipsa & *tacite* declarat, sicut ius positivum requirit, contrahit enim secundum mentem legum humanarum, quamdiu *expresse* contrarium non deducit in pactionem. Quare si hanc diligentiam quacunque ex causa non præstet; licet id naturali oblivione, sine omni culpa eveniat, tenebitur ad restitutionem, sive damni reparationem.

608. Contractus enim *ex conventione expressa*, *vel tacita legem accipiunt*: consequenter non obligatur ille ita ex legibus *Aquiliæ*, vel *noxalibus*, ut prima sententia putat: sed

ex

*ex justitia* orta ex hypothesi facti contractus, juxta praescriptam legis positivae dispositionem.

II. ) Aequitas postulat & gratitudo ut is, qui re aliena *in suam tantum utilitatem* utitur, summam diligentiam adhibeat ne pereat, vel *sua culpa* deterior fiat: Atqui *obligatio gratitudinis* est juris nat. & obligat in conscientia ante sententiam.

III. ) Re pereunte alteruter debet damnum sentire, vel *commodans* qui praestitit beneficium, & nullam prorsus culpam dedit, vel *commodatarius*, qui accepto beneficio in gratuita sibi rei concessione exhibito, culpam *saltem* juridicam admisit: igitur supposita lege & contractu, aequitas naturalis exigit, ut hic potius ex sua culpa, quam ille ex suo beneficio sine culpa damnum sentire cogatur: *culpa enim* etiam juridica *cuique sua non alteri nocere debet*; quae regula in jure naturali fundatur.

IV. ) Nisi hoc casu jure nat. praecepta fuerit damni reparatio ante sententiam, Respublica humana male foret constituta quo ad societatem & commercium unius hominis cum altero. Si enim ille sciret Commodatarium esse in hac sententia, quod nolit ante Judicis decretum compensare damnum, sua *culpa juridica* dandum, nunquam ita imprudens forsan esset, ut eam sibi commodaret, unde cum suis expensis & temporis jactura cogatur Judicem adire & litem instituere pro sententia obtinenda. Talis quippe Commodatarii resolutio indicaret animum ipsius, quod parum sit solicitus de diligentissima custodia rei alienae, dummodo *theologicam* culpam non committat: Diceret igitur rei suae dominus: mea res maneat mecum, ego illam exactius custodiam, & nulli commodabo, nisi dederit pignus, vel eam emerit &c.: Porro id cederet in detrimentum commercii humani, ex quo homines non possent indigentiae suae succurrere, cum plurimi impares sint pignori dando, aut rei qua commodato indigent, emendae.

V. ) Naturalem obligationem hanc *ex contractu & legibus* provenientem, declarant jura positiva. Ita enim *C. un. de Commodat.* legimus: *Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur: Licet casus fortuitus ( nisi acciderit culpa sua, vel intervenerit pactum, seu mora fuisset ) sibi non debeat imputari:* Ecce! hic culpa levissima juridica factus rei commodatae interitus distinguitur a casu fortuito, qui nulla humana prudentia vitari

tari potuit, dummodo etiam hic in pactum non fuerit deductus, aut mora Commodatarii in restituendo non intercesserit. Consentit jus civile in *l.* 17. *ff. Commodat.* ibi: *In rebus commodatis talis diligentia præstanda est, qualem quisque diligentissimus paterfamilias suis rebus adhibet, ita ut tantum eos casus non præstet, quibus RESISTI non possit, veluti mortis Servorum, quæ sine dolo & culpa ejus accidunt* &c.

609. Ad rationes *Negativæ* opinionis respondere possunt sententiæ *affirmativæ* Patroni. Ad I.) Defectus culpæ *theologicæ* excusat *a peccato* formali, non item *a damni reparatione*, quæ debetur *ex contractu*. Neque enim ad obligationem restitutionis in foro conscientiæ requiritur *semper* actus formaliter peccaminosus, seu dolus ex proposito, & voluntas nocendi. Casus autem fortuitus est, cui humana prudentia *resisti* non potest, veluti si commodato acceptum jumentum fulminis ictu intereat: Porro ne res commodata interiisset *ex culpa juridica*, eventui huic *resisti* poterat per diligentiam exactissimam jure positivo præscriptam: Non est itaque *casus fortuitus*, neque *quasi fortuitus*, cum sit *juridice culpabilis*. Culpas autem etiam juridicas caveri posse, nemo dubitaverit: alioqui leges ad aliquid impossibile obligarent.

Ad II.) Prætensa obligationis gravitas non excusat a damni reparatione Commodatarium post sententiam: frustra igitur contra illam excipitur ne obliget ante sententiam. Imo longe gravius accidet illi reparatio hæc post Judicis decretum; siquidem præter damni reparationem etiam sumptus in litem subire cogetur, ac recte arguetur imprudentiæ, quod expectaverit sententiam, cum longe minori suo incommodo & sumptibus potuisset Commodanti satisfacere, si illa non expectata damnum compensasset. Neque enim Judices ideo Commodatarios ab obligatione restitutionis absolvere possunt, vel solent, quod illi excipiant, dicantque se *sine culpa theologica* rem alienam commodatam amisisse.

610. Inutiliter quoque asseritur prædictam obligationem *ignotam esse hominibus*, cum eam tot gravissimi Auctores affirment tanquam *probabiliorem*, commercio humano & juri nat. magis accommodam, quam etiam in praxi servandam, utpote circa damnum tertii *tutiorem* commendant & probant. Et ipsa ratio convincit, eum potius damnum deberi pati, qui aliquam culpam admisit.

Ad

Ad III. ) Ille obligatur *ex contractu* inito *secundum leges*, quæ nullo modo sunt *pœnales*, vel *noxales*. Nam restitutio, seu compensatio *ex contractu debita* nequit dici pœna: sicut pœna non est *mutui* solutio. Demum leges *noxales extra contractum* habent locum: non vero in contractu. Nec refert, quod leges manifeste non dicant restitutionem seu compensationem illam fieri debere ante sententiam: superfluum enim esset dicere id, quod natura contractus supponit, ut patet in omni alio contractu. Sufficit igitur quod Commodatarius sciat se rem commodato accepisse, & quod leges eum obligent ad culpam etiam levissimam præstandam: ex his enim Judex *ipsa conscientia* pronunciare debet compensandum esse damnum proximo &c.

Ad IV. ) Res perit domino culpa *domini* propria: non autem *Commodatarii*, in hoc casu. Neque enim confundendus est contractus Commodati, cum contractu Emptionis-venditionis, in quo *ratione commodi*, quod *ex re in genere* vendita & nondum tradita, *Venditori* qui rei dominus est, acquiritur ita, ut simul ejusdem rei periculum etiam ad illum spectet, adeo ut si hæc res pereat, domino suo perire censeatur, nam *qui sentit commodum, sentire quoque debet onus*: Porro *Commodans* ex re sua *gratis* commodata alteri, & ab hoc *culpabiliter* amissa nullum habet commodum: imo damnum & molestiam, non igitur citra injustitiam fieri potest, ut ei, & non potius *Commodatario* pereat.

Ad V. ) Nullum jus requirit, ut contrahens se *expresse* obliget ad præstandam culpam *juridicam*, ante omnem sententiam: dummodo *expresse* immunitas a tali præstatione culpæ non deducatur in contractum. Quia ut res aliena domino restituatur, vel damnum culpa contrahentis datum reparetur, est conditio imbibita *necessaria*, quæ non censetur exclusa, quoties non est *expresse excepta*. Tale enim pactum, quod *Negativæ* sententiæ Patroni adstruunt, solum iis requiritur, quæ *a jure ipso* positivo non sunt præscripta contractui. Porro jure nat. spectato, omnis contractus, nisi appareat aliud, de quo conventum sit, secundum naturam ipsius, quam a jure positivo ordinatam habet, factus præsumitur, & ille qui expresse non excepit quidpiam, debet se gerere in foro conscientiæ juxta ejusdem contractus naturam & legis dispositionem: Atqui leges absolute sine ulla limitatione & recur-

cursu ad sententiam Judicis declarant præstandam damni reparationem, seu restitutionem: igitur &c.

611. Neque etiam interpretationem favorabilem admittit injuria *Commodantis*; qui pro suo beneficio præstito, ex alterius culpa deberet duplex detrimentum pati, *unum* ex rei suæ interitu & ejus usus privatione ob incuriam negligentis Commodatarii, *alterum* ex jactura temporis, & impensarum cum aliis molestiis, quas sustinere cogeretur, apud Judicem litigando ad se indemnem faciendum: quod æquitas naturalis non permittit: Igitur *non expectata sententia*, & *ante* omnem *requisitionem* tenetur damnum reparare.

## §. VIII.

*Auctoris sententia circa culpam juridicam, in contractibus & pactis, spectato Jure nat. præstandam?*

612. GEminam adduximus hic opinionem, quarum *prima negat* ullam dari naturalem restitutionis obligationem ex culpa juridica *in contractu*, vel *pacto* commissa, si nondum Judicis sententia intercessit: *affirmat altera*, ac prioris rationes solide resolvit. Ut autem utrique aliquid tribuamus, præplacet *tertia*, eaque *media* inter illas sententia, quam tradit Card. *de Lugo*, & alii supra laudati DD. Scilicet, *Commodatarius*, & alius quivis contrahens, *ex culpa mere juridica* contra naturam contractus commissa datum damnum, in conscientia *ante Judicis decretum* reparare tenetur, *si damnum passus*, *etiam extra judicium*, per se vel suos amicos, aliove familiari modo *restitutionem*, seu *reparationem hanc damni requirat*.

Ita enim consulitur naturali æquitati in utramque partem satis controversæ; & conservatur commercium humanæ societati summe necessarium, ut unus alteri res suas commodato dare deinceps non abnuat metu *primæ* opinionis absolventis ab omni obligatione pro foro animæ ante sententiam Judicis: neque etiam re sibi commodanda indigens despondeat animum in ea petenda, aut conscientiæ angustiis torqueatur perterritus rigore *alterius* decisionis obligantis eum ad restitutionem, etiam non *expectata ulla requisitione* ejus, qui rem commodato dederat, si hæc ex culpa sua *juridica* interiit.

613. Hac

613. Hac etiam ratione fit satis tam *Commodanti*, qui sine pecuniæ in litem expendendæ, ac temporis jactura aliisque molestiis, indemnitati suæ providere potest, si amice ac familiari modo *requirat*; quam & *Commodatario*, qui ad nihil tenetur *hoc casu*, quamdiu *non est requisitus*. ob hanc enim requisitionis omissionem acquiret *usu capiendi conditionem*. Si enim rei ita amissæ dominus eam ipsam vel ejus æstimationem intra certum præscriptioni conveniens tempus non requirat, Commodatarius obligationi illam compensandi præscribet, non præscripturus alioqui juxta illam *ulteram* seu *affirmativam* opinionem; quæ cum eum obliget *in conscientia* ad restitutionem etiam *non expectata* ulla Commodantis *requisitione*, ille juxta hanc sententiam usque dum restituat, vel æstimationem rei deperditæ solvat, constituitur *in theologice mala fide*; cum qua nunquam præscriptioni locus est.

614. Demum facilius conciliantur duæ priores opiniones inter se pugnantes, & lites fori externi minuuntur. Fundamenta autem *mediæ* hujus sententiæ eadem sunt ac ea, quæ adduximus hic *a n.607.* ) hoc solo discrimine, quod obligatio hujusmodi sit tantum sub conditione: *si requiratur*; Contra vero *affirmativa* nostræ opposita opinio obligationem hanc imponit Commodatario *absolute*, ante omnem etiam familiarem ac amicabilem requisitionem, quam *mediæ* quidem hujus doctrinæ Auctores requirunt in prædicto casu expectandam, ad eum effectum: ut efficax in conscientia obligatio restitutionis inducatur; excludunt tamen *judicialis decreti* expectationem, cum hæc conditio *onerosa sit Commodanti*, rei suæ jacturam juridica Commodatarii culpa factam sustinenti, inducens eum ad novas molestias & litis expensas, quas ut ille pro suo beneficio, & ob culpam alterius, in recuperanda sua proprietate subire jubeatur, vel damnum sustineat, repugnat naturali æquitati, per ea quæ supra adducta sunt.

615. Ac proin, ut Commodatarius in conscientiæ prædicto casu obligetur, sufficit *simplex Commodantis requisitio*; etiam non expectata omni alia judiciali conventione, & Magistratus, aut Judicis sententia, cujus attentatio Commodatariis pauperibus, aut laboribus aliis vel officio impeditis nimium gravior foret, & absterrens alios ab exhibendo indigentibus per commodati contractum beneficio.

616. Non

616. Non vacat singulos in sua *specie* contractus hoc juris naturalis opusculo explicandos aggredi. Si enim ut par est, agamus de illis, magnum efficerent volumen; quod si obiter tantum perstringamus; eam studioso Lectori afferremus utilitatem, quam alii Naturalistæ, qui solas definitiones, & divisiones eorum, illasque manco labore hinc inde in suas traxerunt pagellas. Cum tamen materias hujusmodi longe uberius & solidius pertractatas reperire sit apud Theologos & Juris utriusque peritos; sufficiant igitur ea, quæ de contractibus *in genere*, & quorum familiaris ac crebrior usus est, etiam non nihil *in specie* attulimus.

617. Neque enim possent illi *utiliter* & *adæquate* exponi sine utriusque juris positivi citationibus, quibus in hac naturali Jurisprudentia parcitum, quantum fieri potuit, voluimus, præterquam in illis obligationibus naturalibus, quæ cum *obscuræ*, aut *dubiæ* sint, & juxta *num. 69.) in Jus positivum transierunt*, legum positivarum auxilio exponendæ erant, pariter ac illæ, quæ cum sint *hypotheticæ* & a statu humano *adventitio*, particulari *consensu*, *promissione*, *voto*, *damno dato*, aliove hominis *facto* dependeant, *practice* ac cum legentium *utilitate* explicari haud possunt *sola* naturali ratione: nisi prius perspectum sit, quid jus positivum disponat, permittatne talem contractum, promissionem, aut factum hujusmodi vel non; irritetne naturalem obligationem, an illam toleret &c.? ut colligi potest ex *Leibnitii* hac super re judicio *numer.* 136.) adducto, & instantiis *a num.* 226.) decisis, propter quæ omnia explicanda textus juris positivi citare debuimus.

A R-

## ARTICULUS V.

### *De Officiis erga proximum non fundatis in justitia commutativa, iisque* imperfectis.

## SUMMARIUM.

618. *Quid sit, & in quo fundetur naturalis obligatio officiorum imperfectorum?*
619. *Obligatio hæc major, minor, vel nulla erit secundum indigentiam proximi.*
620. *Officia* imperfecta *negans proximo est* iniquus: *negans* perfecta *est* injustus.
621. *Fundamentum* imperfectorum *officiorum idem est ac* perfectorum:
622. *Cum hoc tamen discrimine, quod* perfecta *fundent* jus exigendi:
623. Imperfecta *vero si sint* positiva *provenientia ex præcepto naturali* affirmativo, *nos quidem* necessario *obligant, ut ea proximo exhibeamus, non tamen illi* jus exigendi *tribuunt: secus si proveniant ex præcepto nat.* negativo; *tunc enim fiunt* perfecta.
624. *Ostenditur id ex instantia, & auctoritate* D. Thomæ.
625. *Actus* imperfectorum *officiorum a virtute caritatis erga proximum imperati continentur sub lege nat.* universali.
626. *Exponitur* motivum *seu principium* inadæquatum, *quod nos incitare ad officia* imperfecta proximo *exhibenda debeat.*
627. *Referuntur errores circa hoc motivum.*
628. *Præcipuus* Heineccii *error refellitur circa officia imperfecta.*
629. *Statuitur recta interpretatio axiomatis:* Fac aliis, quæ tibi facta voles.
630. *Frustra jure nat. præciperetur amor proximo* in genere *exhibendus, si eodem jure nunquam* ad imperfectum *officium* in specie *obligaremur.*
631. *Ratio affertur, quia caritas proximi, etiam quo ad actus imperfectorum officiorum præceptos, continetur sub lege nat.*
632. *Actus caritatis proximo exhibendæ quando perfecti officii, vel imperfecti sint: ex circumstantiis colligendum.*

§. I.

*Quid sit, & in quo fundetur naturalis obligatio officiorum imperfectorum, proximo exhibendorum?*

618. IMperfecta officia erga proximum, circa quorum explicationem in multa devia abierunt non pauci Natura-

turalistæ, descripsimus hic *a n.* 259.) quod sint actiones, vel earum omissiones; non ita quidem rigoroso jure nat. præceptæ, ut proximus noster etiam eas exigendi, tanquam sibi debitas, jus *semper* habeat, sicut habet exigendi *perfecta* juxta *cit. n.* 259.) nihilominus fundantur in æquitate naturali, & referuntur ad justitiam naturalem legalem seu universalem, ad quam reducuntur omnia illa officia, quæ dicimus *tantum ex caritate : ex virtute* deberi : quin obligetur quis ad restitutionem si omittat. Talia sunt ; *quæ aliis prosunt; & nos non gravant.* Exempli causa : digito monstrare viam petenti, permittere haustum frigidæ ex meo puteo; dare consilium; licet ex officio vel accepto honorario non sim obligatus, si id citra alias meas occupationes fieri possit; permittere peregrino tectum; sub quo dormiat, subvenire indigenti etiam *in communi*, seu *ordinaria* necessitate &c.

619. Obligatio hæc minor vel major ; aut nulla erit ; secundum circumstantias indigentiæ proximi, & nostræ habilitatis, de quibus innata uniuscujusque prudentia, quid hic & nunc expediat vel non, judicare debet. Hæc ipsa vero obligatio reducitur ad naturalem justitiam legalem, seu *universalem* ; a nu. 564. ) explicatam. Ad eam enim omnis *æquitas naturalis* refertur ; quæ ad commutativam justitiam directe non spectat.

620. Officia hujusmodi *imperfecta* si quis sine *justa causa* neget, dicitur *iniquus*, quod non exhibeat in illis circumstantiis proximo caritatem, in quibus judicat eum *vere* sua ope indigere, ac se facile illi succurrere posse, si velit. Quodsi etiam *in summa* ejus necessitate neget ipsi hujusmodi officium ; quod alias præstare posset, dicetur *proprie injustus* ; cum hoc casu contraveniat juri *exigendi* alterius, hocque ipsum officium tunc *ex imperfecto* degenerat *in perfectum*, quidquid sit ; an ex tali omissione sequatur onus restitutionis vel non: cum pateat ex *n.* 259. & 300.) ac fusius *a n.* 524. ) non esse de ratione officiorum perfectorum ; ut *semper* restitutio ex omissione eorum sequatur. Certe enim ne blasphememus, ne de DEO improbe sentiamus; ut ei cultum tam internum quam externum, urgente hic & nunc lege naturali, ac *in certis circumstantiis* exhibeamus, *perfecta* sunt juris nat. officia: & tamen ex eorum omissione *nulla restitutionis* obligatio contrahitur : simile quid est in officiis *perfectis* erga proximum *negativis*, cu-

Jusmodi sunt: ne eum *odio etiam mere interno* prosequamur: ne illi *scandalo simus*, præbeamusque ruinæ spiritualis occasionem &c. Imo juxta multos & *in perfectis positivis*, qualia sunt, ut ei in extrema necessitate succurramus &c.

621. Fundamentum *imperfectorum* officiorum *ultimum & adæquatum* colligitur *ex n.* 443. *ac seqq.*) tum dein *a n.* 463.) esse id ipsum, quod est omnium officiorum erga DEUM, & proximum exhibendorum: scilicet voluntatem sapientissimi Auctoris & Gubernatoris naturæ humanæ DEI, qui nisi mutuum amorem *necessario* præcepisset, improvide eam gubernaret, & minus consequenter illam ad suas perfectiones manifestandas condidisset, eique se ipsum pro fine ultimo præfixisset.

622. Omnia igitur officia tam *perfecta*, quam *imperfecta* idem principium *adæquatum & ultimum* habent perfectionum divinarum manifestandarum in homine, quantum hic eas naturaliter manifestare potest. Hoc nihilominus solo discrimine, quod *perfecta* officia exhibenda ei sint ex *debito naturali*, eoque *interdum rigoroso* ac *proprie* tali, proveniente ex justitia particulari seu *commutativa*, fundante obligationem restitutionis: & interdum ex debito *minus rigoroso*, nec fundante restitutionis obligationem, tribuente tamen *jus activum* proximo *exigendi* a nobis aliquem *actum*, tanquam sibi *debitum* ex naturalis legis ordinatione *negativa* v. g. ne eum odio pure etiam interno aversemur &c.

623. Secus fit in officiis *imperfectis*, hæc enim cum proveniant ex lege naturali *affirmativa* præcipiente mutuum amorem, seu caritatem fraternam *in genere*, proximo nostro *non quo ad omnes in specie infima* actus attribuit *jus activum* eos a nobis exigendi tanquam sibi *debitos*, alioqui fragilis conditio humana nimium gravaretur hujusmodi naturalibus obligationibus, si omnes omnino etiam ex lege nat. *affirmativa* provenientes actus deberemus *semper* ipsi præstare *ex indispensabili debito naturali* fundante ipsi *jus exigendi*, vel restitutionis petendæ. Ut diximus *a numer.* 'β. )

624. Sufficit igitur, quod licet actum aliquem *imperfecti* officii, ( v. g. ut itineranti digito viam ostendam ) tanquam sibi *debitum* proximus non possit a me exigere, nihilominus ego me sciam esse lege naturali *universali* obstrictum ad amorem ei *in genere* exhibendum: consequenter,

ter, quamvis illa ostensio viæ non sit in rigore loquendo debita proximo, est tamen caritatis hujus exhibitio *aliquo modo* debita *ex parte mea*, *respective ad DEUM* naturæ Auctorem, qui *lege naturali* ac *necessaria* præcepit mihi caritatem seu dilectionem proximi mei. Et cum legi ejus naturali obedire debeam, debeo quoque, *si facile possum*, digito indicare viam petenti peregrino. Quodsi id sine ulla justa causa omitto, & itinerantem errare patior, delinquo *quadantenus* contra caritatem proximi jure nat. præceptam: Hæc ipsa doctrina est *D. Th.* 2. 2. q. 80. a. 1. ubi ait: *potest hoc debitum attendi ex parte ipsius debentis* &c.

625. Atque hinc concludimus: actus officiorum positivorum *imperatos a virtute caritatis* erga proximum *imperfectos* contineri sub lege nat. *universali*, qui licet non tribuant ei jus exigendi tanquam sibi in rigore debitos: adhuc tamen, in illis circumstantiis, quando nulla justa causa adest, quæ nos excusare possit, sunt *suo modo* debiti per respectum ad nostram obligationem, qua tenemur obedire legi naturali, ejusque Auctori DEO *præcipienti ut proximum diligamus*, sicut nos ipsos. Alioqui, si neque hoc respectu & sensu forent *debiti*: non esset ratio, cur sine omni justa causa nolens itineranti viam indigitare, vel *leviter* delinquat *contra caritatem* proximi *lege naturæ* præceptam. Et sic de aliis similibus.

626. Motivum, quod nos ad hujusmodi beneficentiam & officia *imperfecta* socio nostro exhibenda incitare debeat, est *Amor proximi* in genere ab Auctore naturæ præceptus, ac nobis per dictamen rectæ rationis intimatus, ut ea exhibeamus alteri, quæ nobis in simili casu exhibenda ab eo, qui facile potest, vellemus. Equidem non desunt plerique qui putent, omnem *benevolentiam* & *beneficentiam* esse jure nat. rigoroso præceptam, ac proin regulam hanc: *Fac aliis, quæ tibi facta voles*, semper continere vim præcepti, ac omne *honestum* & *decorum* cadere sub naturalem præceptivam legem. Verum opinionem hanc falsitatis convictam ostendimus *a numer.* 72. 527. *&* 643.)

627. Nonnulli vero in aliud impegerunt extremum, docentes: *Fac aliis, quæ tibi facta voles*, esse *mere* consilii naturalis, sine *morali* coactione, & tantum *ad perfectionem* disciplinæ naturalis spectare. Ita *Heinec.* de J.N.& G.l.1.c.7. §. 174. hic sua opinione infecit etiam nonnullos suorum

 sequa-

sequacium, qui ejus sensa tanquam oracula in suarum lucubrationum naturalium compendia & dispendia, bona quidem fide, *erronee* tamen perscripserunt. Si enim sine morali *coactione*, id est sine præcepto naturali vim *coactivam* habente præstanda sunt officia *imperfecta*; non spectant ad legem naturalem: hæc enim quidquid *præcipit*, vi coactiva, & sub interminatione culpæ & pœnæ præcipit, quia versatur circa honestatem morum simpliciter & absolute *necessariam*, ut ostendimus *a n.* 71.) Frustra igitur regula illa inter prima juris nat. principia referetur. Quodsi autem ista officia *ex coactione* legis nat. præstanda sint? falsum est illa tantum *ad perfectionem*: sed potius *ad substantiam* naturalis disciplinæ spectare verum erit.

628. At neque illud *Heineccii*, & erroneorum sequacium ejus subsistit, quod *viam petenti digito non ostendere; & peregrinum sub sua tecta ad quietem capiendam non recipere; aquam ex suo fonte alteri sitienti sine justa causa negare*, omni culpa contra jus nat. vacet: Agunt utique isti contra amorem proximi, quem ei facile sine suo *ullo incommodo* exhibere posse supponuntur. Consequens est: ut *aliquomodo* delinquant *contra virtutem caritatis* proximi, non solo Divino positivo, ut erronee putant Protestantes Naturalistæ, & eorum Amanuenses; sed etiam naturali jure præceptam. Quos non excusat inepta distinctio, cujus ope incassum supprimere veritatem conantur, dicentes: Jure naturali præceptum esse solum *amorem* proximi; non item *caritatem* ejus, cum hæc a solo jure *positivo* divino imperata sit. Ineptiam responsionis hujus, vel ipsi Grammatici rident, qui *amorem* ac *caritatem* inter synonymas voces recensent, & colligi potest ex decisis *a n.* 522.)

629. Quo igitur efficacius adeo crassus error Naturalistis moralem Catholicorum Theologorum doctrinam imperite perstringentibus eximatur: Dicendum est; axioma illud: *Fac aliis, quæ tibi facta voles*, esse unum de principiis *naturalibus*; sed ob suam generalitatem, sequentem pacti distinctionem: Nempe, sub illo contineri aliqua officia *perfecta affirmativa*, de quibus egimus *a n.* 521.) non nulla *imperfecta*, plurima vero *mere ethica*, in solo *decoro*, & *civiliter honesto* fundata, quorum utpote indifferentium determinatio pendet a jure positivo, uti innuimus *a n.* 74. *& seqq.*) Officia itaque perfecta cum sint absoluta, sive *affirmativa*, sive *negativa* fuerint, sunt absolute lege nat.

præ-

præcepta, ita ut proximus ea *exigendi jus* habeat, licet *non semper* restitutionis obligatio sequatur, juxta jam dicta.

630. *Imperfecta* vero officia sunt *affirmativi* præcepti nat. *non absolute*, sed ex *hypothesi* variarum circumstantiarum indigentiæ proximi, a lege, seu justitia naturali *universali* imperata, quin *jus exigendi* stricte competat alteri, & debentur *regulariter* solum *ex virtute morali*, qualis est etiam caritas proximo exhibenda in illis quoque casibus plerisque, quibus ille neque in extrema, nec in quasi extrema necessitate versatur, prout liquet ex exemplis supra adductis, de *viæ ostensione*, *peregrini sub sua tecta receptione* &c. Alioqui captum humanum superaret, qua ratione fieri possit, ut lege naturali proximi amor præceptus sit *in genere*, & tamen *in specie* ac particulari casu, extra solum extremam seu *summam* ejus indigentiam, jure hoc nunquam ei ullum etiam *imperfectum* officium *positive* teneamur exhibere, ac proin ab omni culpa etiam levi contra *naturæ legem* immunes simus, si alioqui etiam facillima hujusmodi officia superius explicata, neque ullo modo nos gravantia illi vere indigenti & petenti denegemus.

631. Quo etiam facit: quod juxta *n.* 131.) In lege Evangelica præter *materiam fidei & Sacramentorum*, nulla dentur præcepta divina *positiva-moralia*, quæ in lege nat. & Decalogo (sabbatum si excipias) *implicite* non contineantur: Cum igitur in lege Evangelica, post Officia DEO debita, præ primis aliis præcipiatur Amor, seu *caritas* proximi, nedum quo ad actus *negativos*, verum etiam *positivos*: sequitur caritatem hanc contineri in lege naturali, atque adeo nedum omnia *perfecta*: sed etiam *imperfecta* affirmativi præcepti hypothetica officia saltem *aliqua* referuntur ad legem naturalem; ea ratione ac ad illam spectant *Justitia*, *prudentia*, *temperantia*, *fortitudo*, & similes aliæ *virtutes morales*, licet non omnes eadem *rigorosa obligatione* metiendæ sint, docente *D. Thoma*, cujus verba adduximus *n.* 565. *& a n.* 648.)

632. Quando autem prædicti caritatis actus proximo exhibendi, vim *perfecti* vel *imperfecti* officii habeant, aut quando ita præcepti sint, ut in *debito naturali* fundentur, vel ex sola *virtute morali* debeantur, aut certe ex *consilio*, sive mere *ethica convenientia*, *decoro*, ac *honesto* præstandi sint, vel non: *solæ* indigentis proximi circumstantiæ, ac ejus status determinare prudentem possunt. Ita quippe ju-

dicamus, v. g. *pauperibus trivialibus* ostiatim mendicantibus *quandoque* non esse de ullo præcepto largiri *necessario* stipem: Quales sunt pueri illi parentum interdum divitum, qui ex sola puerili levitate, otio, aut regionis consuetudine, per viam publicam incedentibus molesti sunt. Aliquando sub levi obligatione: scilicet si decrepitus, infirmus, qui ob virium languorem divitum mansiones circuire nequit, *nec aliunde* sibi provisum habens, obolum roget ab eo, qui eum sibi facile elargiri posset. Quandoque etiam sub gravi: si inquam in *extrema* seu huic æquivalente necessitate proximus constituatur. Sæpe etiam ex solo *decori* & *convenientiæ*, sive *honesti* titulo aliquid petenti largiendum est, ne rerum nostrarum tenaces, sordidi, vel avari videamur. Et hoc ultimum non ad præcepta legis nat. sed ad *honestatem ethicam*, & meram politiam spectat.

Talem ethicæ virtutis actum exercuit Poeta *Martialis* L. Epigr. qui pauperi superbo sub sua tecta ad quietem capiendam recepto, & agrestibus alimentis non contento: sed insuper pecuniam & vinum petenti respondit:

*Nos offam, panem, tectum: sed det tibi dives*
*Nummos & vinum - - -*

## §. II.

*Quo ordine caritatis seu benevolentiæ & beneficentiæ officia proximo nostro de Jure naturæ sint exhibenda?*

633. Bene *ordinata caritas* dicitur, quæ in dilectionis officiis debitum ordinem servat, quo neglecto nomen & meritum virtutis pessum ire necesse est. Porro caritas hoc ordine exhibenda est. *Primo* & super omnia diligendus est DEUS. *Secundo* nos ipsi. *Tertio* juxta nos proximus. *Quarto* infra nos corpus humanum: *Quinto* dilectio hæc debet providere etiam bona corpori sustentando necessaria. Exponuntur jam hæc singula.

I.) DEUS super omnia diligendus, cum sit fons omnis boni, fundamentum & causa omnis ac ordinatæ dilectionis, propter quem solum tanquam *ultimum & adæquatum finem* cum omnia creata sint, hinc neque proximo nostro ullum exhibendum est officium, si per hoc amor DEO debitus præjudicium pateretur. In hoc bene ordinati amoris principio *Plato* ethnicus licet vir, totam rationem natu-
ralis

ralis prudentiæ reponebat teste *Aug.* l. 8. de Civ. DEI, verba illius referente: *Recte philosophari est DEUM super omnia amare.*

II.) *Nos ipsos* amore rationabili diligendi *fundamentum* est, non quod nobis *qua nobis* dilectio hæc debeatur; sed ob imaginem DEI, ad quam conditi sumus, vi cujus participes esse possumus divinorum bonorum: & quod juxta dicta *a n.* 347.) e mente *Platonis* & Philosophorum: *DEI possessio sumus*, hinc eam conservare tenemur, ne sive quo ad animam, sive quo ad corpus in quopiam lædamus jus illius, qui in nos dominium *directum* habet: Hujusmodi autem conservatio fieri nequit nisi bene ordinata caritate instructi avertamus mala animæ & corpori nostro contraria.

III.) *Proximum* vero diligere jubemur tanquam comparticipem & socium ejusdem nobiscum naturæ, bonorum & finis ultimi, ad quem creati sumus. Ut proin hic locum habeat doctrina *Aristotelis*, l. 9. Ethic. cap. 8. & 9. quod *appetibilia sint aliis ex appetibilibus sibi*, nempe bonum quod appetimus & nobis optamus: optare etiam debeamus aliis.

IV.) Post DEUM igitur jure nat. jubetur homo diligere *se ipsum*, & quidem primo secundum *bona spiritualia*, dein *proximum* quo ad eadem bona *animam concernentia*, tandem seipsum secundum *bona corporis*, dummodo *spurio* suiipsius *amore* non decipiatur. Nam ut ait *Demosthenes* apud Stob. serm. 13. *Facillimum est omnium seipsum decipere: quod enim quisque cupit, ad id etiam animum inducit, & sibi persuadet: Res autem ipsæ frequenter non ita se habent.* Jubetur insuper proximum diligere secundum eadem *bona corporis*: Et demum ultimo se ipsum & proximum quo ad *externa bona*, qualia sunt: honor, fama, bona existimatio, eruditio &c.

634. Sicut igitur nunquam licitum est cujuscunque boni assequendi causa caritatem DEI abjicere: ita neque licet ob bona corporis, vel proximi amorem, propriæ animæ jacturam *per peccatum* admittere. Etenim ipsi quoque Gentiles agnoverunt *internam animæ* prosperitatem plurimum nos *in externis* juvare posse, dicente *Philosopho* l. 5. Metaphysicor. *Ex sanitate in anima fit sanitas in corpore.*

635. Proximo versanti in extrema, & *moraliter* insuperabili necessitate *spirituali*, succurrendum est cum certo periculo propriæ vitæ, dummodo spes æque certa proximum juvandi affulgeat, nullumque gravius damnum inde

secu-

secuturum putetur. Quare si infans absque Baptismo moriturus sit, nisi a te homine Laico baptizetur, e sententia *D. Augustini* libr. de mendacio ad Consent, cap. 8, teneris illum baptizare, etiam cum vitæ tuæ periculo. Id enim (ait ille) hoc casu amor proximi exigit, cujus animæ salus æterna saluti temporali proprii corporis præponenda est. Quanquam alii eos tantum *cum vitæ periculo* ad id obsequii obligatos esse doceant, qui ex *officio suo*, aut quasi contractu, sive *tacita* sponsione ad curam animarum obligantur, uti sunt: Episcopi, Parochi &c. non vero eos quoque, qui ex sola *generaliter* præcepta caritate ad succurrendum proximo in bonis *spiritualibus*, *pro suo posse* obstricti sunt.

636. Eodem *Augustino* loc. cit. obligante, teneris compescere, si possis, eum, qui te audiente detrahit famæ proximi tui, etiam inimici. Cujus opinionis erant etiam Ethnici sapientes naturali ratione persuasi, hanc proximi injuriam non debere dissimulari, quoties nil obstat, quo minus impediatur. Ita quippe *Seneca* in suis *proverbiis* ait: *difficilem oportet habere aurem ad crimina*. Quod ipsum summa energia expressit *Cic.* l. 1. offic. *Detrahere aliquid alteri magis est contra naturam, quam mors, quam dolor, quam cetera, quæ possent aut corpori accidere, aut rebus externis.*

637. Ea dilectione, quam comitatur gaudium in bono alieno *possesso*, item quam consequitur honor, cultus, reverentia, illi magis diligendi sunt, qui meliores, Deoque *similiores suo modo* existunt, teste *D. Thoma* 2. 2. q. 26. ar. 7. 8. & 9. Ob hanc rationem Parentes magis quam filii & uxor, magisque benefactores, quam ii quibus benefecimus amore prosequendi sunt. Quia majorem illi cum DEO communi omnium Patre, ac Benefactore similitudinem gerunt. Ea vero dilectione, qua desideramus alteri bonum *nondum possessum*, & quam comitatur misericordia, & beneficentia, illis major debetur caritas, qui nobis conjunctiores existunt, ut docet *Aug.* de doctrin. Christian. c. 28. dicens: *Cum omnibus prodesse non possis, his potius consulendum est, qui pro locorum, ac temporum, vel quarumlibet rerum opportunitatibus strictius tibi quasi quadam sorte conjunguntur.*

638. Ratio est, quia licet spectato *primigenio* naturæ statu, omnes homines quo ad naturam sint æquales, & sine ullo discrimine illis sub hac æqualitatis ratione succur-

currendum esset: nihilominus quia vivimus nunc non in illo *primigenio*: sed *adventitio* naturæ statu, multis obnoxio miseriis, a quibus conditio humana immunis fuisset, si ob Adami peccatum *primævus* ille innocentiæ status *moraliter* non immutatus permansisset: hinc non jam sola naturæ similitudo: sed circumstantiæ indigentium personarum, inter æquales indigentes considerandæ sunt, *D. Bonav.* in 3. d. 29. q. 3.

639. Cum autem exhibitio amicitiæ & caritatis consistat in communicatione bonorum, dicente D. Gregorio: *probatio dilectionis est exhibitio operis*: iis proin casibus, quibus certæ personæ aliis præferendæ sunt, nobis magis conjuncti ceteris præferri debent secundum ea bona, in quibus conjunctio vel amicitia fundatur. Quam ob rem in bonis pertinentibus ad naturam & *vitam corporis*, illi præ aliis diligendi, qui nobis sanguine juncti sunt. Et quidem, *si cetera paria* fuerint, in his *primo* omnium *Maritus* opitulari debet *Uxori* suæ, cum qua est velut una caro. *Secundo* filiis, quibus naturali jure ad providendum magis parentes obligati sunt, quam parentibus filii; *Non enim debent filii Parentibus thesaurizare, sed parentes filiis*, 2. Corinth. 12.

640. *Tertio*. Ubi vero parentibus benefaciendum sit, in æquali miseria potius patri quam matri actus caritatis exhibendus est, si utrique simul benefacere non sufficis. Quia pater excellentiorem principii rationem obtinet. Imo in casu extremæ necessitatis parentibus ante omnes alios, etiam uxorem, & proprios filios, succurrendum esse putat *D. Thomas* cit. quæst. ar. 9. & art. 11. ad 2. Debitum enim erga illos tum antiquius, tum nobilius est, siquidem ipsi nobis existendi causa, & principium fuerunt. Quare æquitas postulat, ut in extrema necessitate ab interitu eos liberando tantumdem rependamus. Ac proin *patri* etiam *infideli*, vel hæretico potius succurrendum, quam *extraneo fideli*. Quia obligatio naturalis religionum varietate non mutatur, circa officia *perfecta & absoluta*, quoties hæc *amori divino* non repugnant.

641. *Quarto* demum fratribus, sororibus, aliisque consanguineis, domesticis, ac familiaribus subveniendum prius quam extraneis. Nam *si quis suorum, maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, 1. ad Timoth. 5. Quodsi tamen extraneus extre-

mam

mam aut illi æquivalentem necessitatem patiatur, nec adsit alius qui eam sublevet: fratres vero & sorores nullam vel communem tantum sustineant: illi his jure nat. præferendi sunt: utpote urgente præcepto naturali *absoluto*: ut autem fratribus extra casum æqualis indigentiæ benefacias, est *meræ caritatis*, hoc casu non fundatæ in debito naturali, quod illis *jus exigendi* tribuat, aut te *necessario* obliget.

642. In *rebus* autem *pertinentibus ad civilem* communicationem, Concives nostri, in *rebus bellicis* Comilitones aliis præferendi sunt, cum eorum ope & auxilio societatis sæpius utamur, quam extraneorum: Igitur conveniens est, hoc jus prælationis illis deferre. In *Spiritualibus* vero auxiliis eorum major habenda est ratio, qui nobis secundum spiritum filii, patres, aut fratres censentur. Hac ratione (secluso pietatis erga parentes debitæ titulo, ac supposita *pari* necessitate) subveniendum est prius Fideli, quam infideli, Catholico, quam hæretico. Alioqui si Catholicus tantum in gravi, infidelis vel hæreticus in summa indigentia versaretur, his *necessario* præ illo succurrendum foret, cum de proximo vitæ eorum periculo agatur.

## §. III.

### *An actus benevolentiæ & beneficentiæ in asserto hic caritatis ordine recensiti cadant sub præceptum naturale?*

643. Responsio facile colligi potest ex decisis *a nu.* 71. & 75.) ubi ostensum est, *æquum* ac *justum* trifariam accipi posse, scilicet 1.) *Generatim* pro omni *justo naturali*, sive id ex justitia *universali*, sive ex *particulari* seu commutativa proveniat. 2.) *Speciatim* pro justo & æquo *rigoroso* proveniente ex justitia commutativa. 3.) Pro justo & æquo *civili*, aut mere *ethico*. Ad normam autem hujus resolutionis decidi potest præsens quæstio. Scilicet, in triplici classe reponitur *benevolentia* & *beneficentia*. Alia enim est, quæ fundatur in *debito naturali necessario*, *jus strictum tribuente* proximo eam exigendi tanquam sibi *debitam*: qualis exhibenda est illi v. g. in extrema necessitate, ab eo qui facultatibus pollet, nec ulla sibi justa causa suppetit, ob quam juri ejus contravenire possit.

644. Nec

644. Nec refert, quod hoc casu non videatur *beneficentia* exhiberi, siquidem est *debita* : Nam *beneficentia*, cum juxta *Ciceronem* l. 1. de natur. deor. nihil aliud sit, quam *exterior amicitiæ vel caritatis actus secundum rationem communem exhibitus*, complectitur in se omne caritatis proximo exhiberi solitæ officium, non minus illud, quod sibi aliquo jure debitum est, quam etiam id, quod ex mera liberalitate provenit. Et ita in plerisque Divinis codicibus *beneficentia in pauperes* commendatur: cum tamen hæc *sæpe* illis saltem *vi præcepti* Divini positivi extra casum etiam summæ necessitatis *moraliter* debita sit, debito ad minimum *latius* sumpto, seu prout præcepta est divitibus, qui Creatoris sui mandato morem gerere tenentur : quin tamen pauperes eam *in rigore* exigere *semper* possint.

645. Alia dein *beneficentia* est, quæ provenit ex *sola caritate*, tanquam *morali virtute* imperata ab *universali justitia* naturali, de qua egimus hic *a num.* 624.) ubi ostendimus dari aliqua officia *positiva imperfecta*, quæ plerumque sub *levi* saltem obligatione tenemur exhibere proximo, v. g. *viam enixe petenti digito indicare*, cum id facile possimus, licet ille *jus strictum* exigendi hunc actum, tanquam rigorose *debitum* non habeat.

646. *Tertia* demum *benevolentiæ* & *beneficentiæ* species est, quæ consistit in *mera liberalitate* sub nullum cadente præceptum, referturque ad titulum *ethice honesti*, vel *decori* actus. Ex his autem tribus benevolentiæ officiis proximo exhiberi solitis, sola duo priora a lege naturali *suo modo* imperantur *necessario* pro exigentia & gradu necessitatis proximi, ac personarum indigentium circumstantiis.

647. Inde vero colligere licet eorum Naturalistarum opinionem, qui putant *omnem benevolentiam & beneficentiam* esse jure nat. *rigorose* præceptam : non minus ac illorum, qui contendunt *nullam* ex *illis* sub naturalem legem cadere, propter suam generalem extensionem esse utramque omnino falsam: cum jam constet *aliquos* beneficentiæ & benevolentiæ actus esse lege nat. præceptos, nonnullos jure divino positivo, ut patet de eleemosyna divitibus præcepta etiam extra necessitatem *summam*, imo & *gravem* proximi : plures autem esse immunes ab omni imperio : sed mere permissos, imo laude dignos ; cum beneficentia & *prudens* liberalitas una ex præcipuis virtutibus sit,

quæ

quæ hominem vere divitem, & *civiliter* immortalem facit; dicente Poeta *Martial.* l. 5. epigr.

*Extra fortunam est, quidquid donatur amicis,*
*Quas dederis, solas semper habebis opes.*

648. Quo autem utilius omne dubium eximatur circa *nonnulla* officia positiva *imperfecta*, quæ *à nu.* 624. in naturali justitia fundari, & *aliquomodo* jure naturæ *debita* proximo esse asseruimus, juvat hic exponere veram notionem *debiti*, quo unusquisque DEO, sibi, vel proximo obstringi possit:

Debitum hoc ad proportionem *justi* & æqui *a num.* 75.) explicati, in *triplici* classe reponitur: Scilicet *Primum* est debitum ex *justitia rigorosa*, seu commutativa; quod etiam ab aliis *strictissimum* ac *proprie* tale audit, ad distinctionem justitiæ *legalis universalis*; ex qua provenientes actus (juxta plerosque DD.) etiam *rigorose*; quia sub *reatu culpæ & pœnæ* debentur, v. g. ne DEUM blasphemiis, proximum interno odio persequamur &c. quia tamen ex commissione vel omissione hujusmodi actuum non oritur obligatio restitutionis, neque illi spectant ad justitiam *commutativam* seu *particularem*: hinc debitum hujusmodi, utut sit rigorosum, seu strictum, non est tamen *strictissimum*, neque in omni rigore sumendum, prout sumitur id, quod oritur ex justitia commutativa. Ita proin *strictissimo* debito obligatur fur restituere ablata; herus solvere famulis; conductor mercedem operariis, debitor æs alienum &c.

649. Alterum debitum oriri solet ex justitia *universali* seu *legali* naturali *à num.* 564. declarata; ad quam referuntur omnes virtutes morales, nempe *Religio*, *Temperantia*; *Prudentia*; *Fortitudo*; *Pietas*; *Observantia*, *Obedientia*; *Gratitudo*; *Vindicatio* auctoritativa delictorum, *Veritas*, *amicitia* seu *Caritas*, *Liberalitas*, & aliæ reliquæ, justitiæ legali universali tanquam suæ partes annexæ. Prout tradit *Aristoteles* 8. Ethic. *Cicero*, *Macrobius* super somn. Scipionis, *Andronicus* peripathetic. & ex his *D. Thomas* 2. 2. *quæst.* 80. art. unic. ac quæst. 101. Unde actus v. g. Religionis *erga DEUM*, temperantiæ erga *nos ipsos*, gratitudinis erga *benefactores*, veritatis, amicitiæ seu caritatis erga *proximum*, obedientiæ erga *legitimos Magistratus*, pietatis erga parentes &c. debiti sunt jure naturali ex justitia *legali universali*. Ac per ea, quæ diximus *a num.* 151.) proveniunt ex *necessaria* quidem honestate morali,

li, quin tamen *semper* inducant *per se* onus aliquod restitutionis.

650. Nec refert, quod actus hujusmodi debiti sint ex *virtute morali*, quia moralitas hæc est *absolute necessaria* ad honestatem actuum humanorum, scilicet ut erga DEUM religiose, erga nos temperanter, erga parentes pie, erga benefactores grati, cum proximo in caritate, ac tranquille vivamus. Illa proin non constituit debitum *pure morale*, seu *civile*, de quo mox agemus, sed supponit *absolutam antecedentem*, ac non dependentem a *libera* DEI voluntate *necessitatem*, factique ut contra virtutem hujusmodi commissus vel omissus actus sit *intrinsece* malus, ut patet in eo, qui omitteret actum Religionis DEO debitum, tunc quando præceptum naturale eum urget ponendum &c.

Et quia in plerisque casibus *particularibus* obligationes naturales, præsertim ex *justitia minus stricta*, seu hac *legali universali* provenientes *dubiæ* sunt; ita ut debitum *in necessaria* morum honestate fundatum ex iis *certò* concludi non possit, hinc illæ tali casu transeunt sub jus positivum, & juxta *num.* 141.) constituunt debitum, quod quo *ad substantiam* seu generice sumptum dependet a lege naturali: *quò ad modum* autem ac in particulari circumstantia proveniet immediate a lege positiva divina; vel humana, ut liquet de decimis *formaliter* spectatis, & aliis exemplis *cit. n.* 141.) adductis.

*Tertiæ* classis *debitum* est *civile*, seu *pure morale*, quatenus immediate provenit ex *libera* Legislatoris voluntate, nec fundatur in morum *honestate necessaria*, ac proin nec constituit transgressionem talis legis *intrinsece* malam. Hujusmodi debitum versatur e. g. ut Electiones canonicæ Prælatorum fiant secundum Canones cum certis solemnitatibus; Testamenta ad causas profanas & similes actus condantur secundum legis civilis formam: ut debitor restitutum sibi chirographum producens in judicio, ex præsumptione factæ solutionis absolvatur ab actione creditoris nihil in contrarium replicantis, & alia *a num.* 75.) declarata.

Debitum hoc *civile*, seu *pure morale* contingit interdum concurrere cum debito *naturali*, ac dicitur *mixtum*, si vero proveniat ex solo jure positivo, vocatur *civile tantum*, de quo per omnia ita discurrendum est, ac de

de *obligationis* divisione innuimus hic supra *a numer.* 151.)

Et licet *D. Thomas* cit. q. 80. a. un. ex *Aristotele* duplicis tantum, scilicet *legalis*, & *moralis* debiti mentionem facere videatur, nihilominus quia ibidem distinguit inter ea, quæ debentur ex justitia naturali *stricta*, & ea, quæ proveniunt ex justitia & obligatione nat. *minus stricta*: inde concludunt DD. ab *Aristotele* & *D. Thoma* assertum debitum *legale* recte dividi in illud, quod oritur ex justitia particulari, seu commutativa, ac in alterum quod provenit ex justitia universali, utrumque enim imperatur a lege naturali, & dicitur etiam *legale*. Demum quia eodem loco Angelicus Doctor distinguit quoque inter *moralitatem* seu *honestatem* actus humani *necessariam*, & *contingentem*, aitque, illam contineri in omnibus justitiæ naturalis tam particularis quam universalis actibus debitis; secus hanc, quæ non necessaria, sed contingens actui esse dicitur, & requiritur tantum ex hypothesi *liberæ* voluntatis Legislatoris, cui obtemperandum est: ex his infertur *tertia* species debiti, quod *civile*, seu *pure morale* vocat cum aliis *Covar.* cap. 11. de testam. num. 10. & liquet ex iis, quæ *a num.* 151.) de effectu obligationis naturalis allata sunt.



PARS



# PARS SECUNDA
# DE JURE GENTIUM.
## CAPUT PRIMUM.

*De existentia & constitutivis Juris Gentium.*

§. I.

*An detur aliquod Jus Gentium, quod vim Legis habeat?*

SUMMARIUM.

Cum continuatione numeri marginalis per decursum primæ Partis notati.

651. *Dari* aliquod *Jus Gent. certum est contra nonnullos. Probatur id ex Jure utroque positivo-humano.*
652. *Evincitur id ipsum Auctoritate Prudentum.*
653. *Variæ Nationes provocarunt ad Jus Gent.*
654. *Rex Ammonitarum, Antiochus & Sapor Jus Gent. allegarunt.*
655. *Affertur* ratio *pro existentia alicujus Juris Gentium, saltem abstrahendo hic & nunc, sitne distinctum a naturali jure, vel non.*

651. QUin detur *aliquod* Jus Gentium, minime dubitant solidius eruditi Viri contra paucos, frustra in contrarium nitentes. Id enim manifeste insinuant omnia Jura humano-positiva in scripturam redacta: attestatur communissima Prudentum auctoritas: & evincit ratio.

Et quidem I.) insinuat *Jus* humano-positivum *scriptum*: Quia *Can. Jus autem 6. dist.* 1.) Species Juris his verbis recensentur: *Jus autem aut Naturale est, aut Civile, aut NB. GENTIUM*. Hanc ipsam vero Jurium distinctionem exhibet nobis corpus Juris Civilis, §. 4. *Inst. de Just. & Jur.* dicens: *Jus tripartitum est; collectum est enim ex naturalibus præceptis, aut NB. GENTIUM, aut Civilibus*. Quæ ipsa verba repetuntur in *L. Juri* §. 2. *ff. de Just. & Jur.* ac alibi sæpius.

652. Nec deest *Prudentum auctoritas*: quia Historici & Scriptores publici passim a variis Nationibus ad Jus Gentium provocatum fuisse testantur, quæ *mores & usus Populorum* longævo temporum cursu, ac aliqua possessione firmatos pro lege litem dirimente allegarunt. Prout videre est apud *Guicciardin.* histor. L. 5. qui testimonium perhibet, quod ubi inter Romanos & Persas *finium regendorum* controversia suborta fuisset, Gentium *usus* a prima rerum divisione introductus, & continua possessione firmatus *Persis* exceptionem prætensæ terrarum restitutionis contra Romanos præbuerit, cum tamen Persæ jure civili Romano minime tenerentur, sola Gentium lege causas hujusmodi decidentes. Unde laudatus Auctor ait: *In controversiis de Provinciarum nominibus & terminis inter Gentes, semper præsens consuetudo spectatur*.

653. Hunc etiam in modum *Herodotus* l. 7. pro Legatorum immunitate perorat, dicens in eorum personis *Gentium* jura violari: *Qui contemnunt Legatos, JUS OMNIUM HOMINUM confundunt*. In Herodoti sententiam abiit *Tacitus* L. histor. 3. *Sacrum est etiam inter exteras GENTES Legatorum jus*. Quod etiam repetit *Cæsar* l. 3. de bello Gall. ubi ait: *Legatorum nomen apud omnes Nationes sanctum inviolatumque semper fuit*.

654. Constabit quoque uberius ex dicendis infra, quod Rex *Ammonitarum a Jephte* petierit sibi restitui terras inter *Arnon* & *Jabok* fluvios sitas, ea ratione persuasus, quod sibi titulo *primæ occupationis* Jus Gentium suffragaretur pro earum dominio. Cujus exemplum in allegando jure Gentium secutus fuerat etiam *Antiochus*, dein *Sapor* Rex Persarum, & aliarum nationum Principes paulo post allegandi.

655. *RATIO* quoque dari *aliquod* Gentium jus evincit. Cum enim Gentes relicta primæva bonorum communione

ne divisæ sint, & aliquam inter se societatem constituerint, debent habere quandam regulam ad cujus normam societas hæc *primigenio* statui naturali superveniens rite ac humano modo instituatur, actionesque & negotia in commerciis, contractibus, bellis, legationibus, ac rerum occupationibus juxta æquitatem dirigatur: Atqui regula hæc nil aliud est, quam ipsum jus Gentium: igitur hoc negari prudenter haud potest, saltem abstrahendo *hic & nunc*, quodnam sit illud, distinctumne a jure naturæ, vel non: de quo *seq.* §. mox agemus, ubi etiam resolventur ea, quæ contra hic decisa opponi possunt.

## §. II.

*Utrum detur Jus Gentium a naturali distinctum, quod sit positivum humanum, legis proprie dictæ vim habens? Affertur negativa opinio cum suis rationibus.*

## SUMMARIUM.

656. *Adducitur opinio negans Jus Gent. esse distinctum a naturali.*

657. *Ejus fundamenta proponuntur. 1.) Quid jus civile non distinguat inter hæc jura. 2.) Quid J. G. non procedat a superiore. 3.) Quia non possunt ostendi præcepta J. G.*

658. *Affertur fundamentum 4.) quod non constet de ullo pacto Gentium.*

659. *Allegatur usum Gentium non fuisse uniformem, & nihil concludere.*

660. *Dein 5.) opponitur: ea quæ ad J. G. reduci dicuntur, posse bene referri ad Jus naturale.*

661. *Jus* Sepulturæ *cum aliis similibus opinio hæc rejicit ad jus naturale & ad officia amoris præcepti, quin ullus actus sit Juris Gentium.*

656. Patet jam dari *aliquod* Jus Gent. sed an id a lege naturali distinctum sit, ita ut aliam Juris mere humano-positivi constituat speciem; præsens examinabit quæstio. Ad quam *Hobbesius* l. de cive cap. XIV. 4. 5. naturalem legem dividens *in naturalem hominum, & naturalem*

*civitatum*, ait: *Præcepta utriusque eadem sunt; sed quia civitates semel institutæ inducunt proprietates hominum personales, lex, quam loquentes de hominum singulorum officio naturalem dicimus: applicata totis civitatibus, nationibus, sive Gentibus, vocatur jus Gentium.*

Sententiæ huic neganti ullum jus Gentium a naturali lege *distinctum*, tanquam infallibili oraculo adhæsit *Puffendorfius* de J. N. & G. l. 2. c. 3. n. 23. dicens: *Hobbesii sententiæ & nos plane subscribimus. Nec præterea aliud jus Gentium voluntarium, seu positivum dari arbitramur, quod quidem legis proprie dictæ vim habeat &c.*

In eandem opinionem (præter *Hug. Grotium*) abierunt plerique alii Protestantium cum *Thomasio*, *Rysselio*, *Nicolao Herzio*, *Vebero*, *Heineccio*, qui in Elem. de J. N. & G. l. 1. c. 1. §. 22. contra eos, qui oppositæ sententiæ adhærent, hac utitur emphasi: *colligimus jus nat. a jure gentium nec principio cognoscendi, nec ipsis regulis: sed solo objecto differre; adeoque rationem eos fugere, qui nescio quod jus gentium a jure naturæ diversum sibi FINGUNT.* Protestantium opinioni adstipulantur etiam non pauci ex Orthodoxis Jurisperitis, inter quos est *Schambogen*, & alii eruditi viri, quibus viam præiverunt antiquiores JCti, imo & Theologi cum Canonistis, inter quos est *P. Reiffenst.* in Prolegom. Jur. Can. a n. 34.

657. Pro hac *negativa* assertione sui Patroni adducunt sequentes rationes. I.) Jus civile inter jus naturæ & Gentium non distinguit, sed absolute dicit in L. omnes populi 9. ff. de J. & J. *quod naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, vocaturque jus gentium, quasi quo omnes homines utuntur.* Et hæc ipsa verba exhibet §. *Jus autem* 1. *Inst. de J. N. G. & C.* II.) Jus Gentium ut a naturali distinctum nequit procedere a superiore. III.) Non potest ostendi, quæ præcepta sint propria juri Gentium, prout hoc distinguitur a jure naturæ. Nam ea, quæ ad jus Gentium referuntur, v. gr. circa modos acquirendi, contractus, commercia &c. vel ad jus nat. pertinent, vel ad civile singulorum: igitur quatenus a Jure civili distinguitur, portio juris naturalis erit.

658. Arguunt IV.) si daretur jus Gentium mere humanum, haberetur ex omnium, vel saltem moratiorum Gentium pacto, seu consensu *expresso*, vel saltem *tacito*: utrumque sine fundamento asseritur. Nam *primo*) consen-

sus

sus hic nulla ratione, nullis tabulis, nullis testibus probatur. Et imperceptibile est, quomodo omnes Gentes convenire in unum locum, & *expresse* consentire potuerint. Posito autem casu, quod ita consenserint, obligatio hæc esset *naturalis* juris, quia proveniret *ex pacto* libero. Neque etiam *secundo*) ex pacto vel consensu *tacito*. Quia hic ex nullis signis colligi potest. Quæ enim sunt illa? non *necessitas moralis*, quæ tacitum hunc consensum exigeret propter publicam tranquillitatem, hoc enim ipso Jus hoc non esset *positivum*: sed naturale, deductum ex principio naturaliter *necessarii amoris*, adeoque non ex consequente Gentium consensu. Non etiam liberum *Arbitrium Gentium*: quia omnium voluntas conspirare in unum non potuit, neque præsumi potest: Aliquarum autem duntaxat nequit ad rationem legis universalis sufficere.

659. His addunt, quod non appareat, quomodo Gentes nunc possint obligari pactis Antecessorum, cum neque *usus* fuerit semper *uniformis*, neque constet, quænam illæ Gentes moratiores fuerint, quæ aliquem consensum præbuisse credantur.

660. Demum urgent V.) Ea, quæ juri Gentium positivo attribuuntur, rectius ad jus nat. reduci possunt. Etenim *primo*) Quod inter præcipua juris Gentium capita numeratur, est *jus Legationum*: porro Legatorum admissio & securitas est juris nat. quoties illi speciem *Legatorum*, non *Exploratorum* præseferunt. Cum enim ejusmodi personæ sint necessariæ ad pacem conciliandam, quam jus nat. omnibus modis honestis amplecti jubet; utique & cavisse censetur idem jus securitati personarum, sine quibus finis ab eodem præceptus obtineri nequit: *secundo*) Divisio regnorum est juris nat. quia hæc necessitate facta est ob multitudinem Populorum, qui simul non poterant commode subsistere: *tertio*) Bellum quoque cum sit defensio publica, est naturali jure permissum. Idem procedit de repressaliis.

661. Jus dein *Sepulturæ* ad officia amoris jure naturæ præcepti bene refertur, pariter ac cetera optime ad legem nat. reducuntur: Igitur nulla opus est specifica distinctione juris Gentium a jure naturæ, ac proin idem est jus Gentium quod & naturale, nec aliud positivum humanum datur, quod vim legis universalis erga divers-

 sas

ſas Gentes habeat. Ita illi. Quibus tamen non obſtantibus

## §. III.

*Evincitur dari Jus Gent. poſitivum a jure nat. ſpecie diſtinctum. Et ſatisfit contrariis rationibus.*

## SUMMARIUM.

662. *Aſſeritur dari Jus Gent. diſtinctum a naturali.*
663. *Demonſtratur* 1.) *ex* Jure Civili, §. 2. *Inſt. de J. N. G. & C.*
664. *Firmatur ex L. 1. §. 4. ff. de J. & J.*
665. *Et exemplo de Manumiſſione &c.*
666. *Demonſtratur* 2.) *ex* Jure Canonico.
667. *Demonſtratis hæc exponitur uberius.*
668. *Deducitur* 3.) *ex* ratione.
669. *Solvuntur contrariæ* rationes) *prima oſtenditur manifeſte falſa.*
670. *Ad* 2.) Reſp. *non requiri Superiorem ad Legem Gentium.*
671. *Datur* ratio *hujus explicationis.*
672. *Ad* 3.) *Indicantur præcepta J. G. expreſſa in utroque Jure poſitivo.*
673. *Ad* 4.) *Pacti & conſenſus taciti adducuntur fundamenta.*
674. *Ad* 5.) *Refelluntur inſtantiæ de Legatis &c.*
675. *Explicatur, quomodo contractus ſpectent ad Jus Gent. & an id ſit ſpecies juris legalis* univoce?

662. UTut ſpecioſæ videri forte alicui poſſent rationes pro ſpecifica naturalis & gentium juris identitate hic adductæ, illæ tamen cum minus ſolidæ ſint, haud obſtare poſſunt, quin longe communiori, ſolidiori, imo etiam *moraliter certæ* opinioni adhæreamus: quæ tam Theologorum, quam Juriſperitorum, & melioris notæ Naturaliſtarum calculo firmata docet: *Dari jus mere humanum commune omnibus*, ſaltem *moratioribus Populis a jure naturali adæquate & ſpecie diſtinctum, quod Jus Gent. dicitur*, habetque vim legis proprie dictæ.

Ita

Ita sensisse colligitur *Aristoteles* l. 5. Ethic. c. 7. Jus *humanum* dividens in *Jus Gentium*, & *politicum*, seu ut Interpres vertit, *civile*. Quem sequitur *D. Thomas* 1. 2. qu. 95. ar. 4. ad 1. ubi ait: Jus Gentium, pariter ac cetera jura *positiva*, fundari quidem *aliquomodo in jure naturali, secundum quod est rationale* ( id est, rectæ rationi conforme ) *unde de facili in hujusmodi jus homines consenserunt : DISTINGUITUR TAMEN a jure naturali*. Ejusdem sententiæ est *Suarez* de LL. l. 2. cap. 17. num. 8. & cap. 19. a. num. 1. *per tot.* ubi num. 3. dicit. *Jus entium simpliciter dicendum esse positivum humanum*. Hos sequitur *Reding.* de LL. c. 10. q. 15. a. j. controv. 2. num. 4. *Gonzalez* in Apparat. Jur. Can. nu. 19. *Schimer*, *Schmalzgr.* & omnes Recentiores TT. & Canonistæ.

Jam vero ex Naturalistis & JCtis adhærent nostræ sententiæ *Hugo Grotius* de I. B. & P. L. 1. cap. 1. num. 14. *Gronning* in Biblioth. jur. Gent. l. 3. c. 10. num. 15. *Gletle* 1. p. pandect. q. 1. num. 5. *David Mev.* in nucleo jur. Gent. inspect. 5. th. 9. *Vitriar.* Inst. J. N. & G. in prolegom. num. 24. Et præter alios Recentiores Ill. L. B. de *Ickstatt* in Elem. J. G. l. 1. cap. 2. §. 3. ubi erudite definit *Jus Gentium POSITIVUM esse complexum Legum, juxta quas Gentes ex conventionibus mutuo initis, aut vigore observantiarum ac consuetudinum legitime stabilitarum actiones suas instituere obligantur*.

683. Ab his autem, aliisque eruditis Viris communius asserta Juris Gentium a naturali lege *specifica distinctio* evidenter demonstratur I. ) *ex jure Civili*, quod jus Gentium omnino aliud & a naturali distinctum exhibet. Prout id manifeste patet ex §. *sed jus* 2. *Instit. de J. N. G. & C.* cujus hæc sunt verba: *jus GENTIUM omni humano generi commune est : nam USU exigente & humanis NECESSITATIBUS Gentes humanæ JURA QUÆDAM* NB. *Sibi CONSTITUERUNT*. *Bella etenim orta sunt, & captivitates secutæ, & servitutes, quæ sunt* NB. *NATURALI JURI CONTRARIÆ*. *Jure enim naturali omnes homines ab initio liberi nascebantur*. *Et ex jure GENTIUM* NB. *omnes pene contractus introducti sunt, ut emptio-venditio, locatio-conductio, societas, depositum, mutuum, & alii innumerabiles*.

Quid clarius pro distinctione prædictorum Jurium dici potuit? Certum quippe est, Jus naturale non prove-

nire ex *USU*, multo minus dependere a libera constitutione humana. Siquidem autem *usu exigente, & necessitatibus Gentes humanæ quædam jura sibi constituerunt*, palam est jura hujusmodi non esse naturalia Generi humano coæva, & *absolute necessaria* ad morum honestatem, sed ab illis distincta, utpote ex humano placito *libere* constituta. Quod probant ipsa *bella, captivitates, servitutes*; quæ cum juxta cit. textum sint *naturali juri contrariæ*: hinc jus, quod bellorum, captivitatum, ac servitutum honestum & licitum usum invexit, *certisque limitibus*, seu conditionibus *circumscripsit*, debet esse specie distinctum a jure naturæ, cujus libertas & permissio limitata, & ad certas circumstantias restricta est.

664. Eodem stylo utitur Ulpianus, *in L. juri 1. §. 4. ff. de J. & J.* dicens: *Jus GENTIUM est, quo Gentes humanæ utuntur, NB. quod a NATURALI RECEDERE facile intelligere licet*. Si recedit a naturali jure: igitur est ab eo distinctum, cum nihil a se ipso recedere possit, non est itaque idem quod jus naturale. Mirum sane est! quod *Puffendorfius* cum suis sequacibus textum hunc juris *facile* alioquin perceptibilem aut non legerit, aut non intellexerit.

665. Idem JCtus distinctionem hanc allegatorum jurium uberius exponit in *L. 4. ff. de J. & J.* ubi ait, *Manumissiones quoque juris GENTIUM sunt*. Exposita autem manumissionis definitione, subjungit: *quæ res a jure Gentium ORIGINEM sumpsit; utpote cum jure naturæ omnes liberi nascerentur, nec esset nota manumissio, cum servitus esset incognita: sed posteaquam jure Gentium servitus invasit, secutum est beneficium manumissionis. Et cum uno NATURALI nomine homines appellarentur*, NB. *jure GENTIUM tria genera esse cœperunt: LIBERI, & his contrarium SERVI, & tertium genus LIBERTI, id est hi, qui desierunt esse servi:* Atqui tria hæc diversa hominum genera non provenerunt a jure naturæ, neque ab eo accepit certam *formam* servitus, & manumissio, multo minus sortita est ab illo *originem*: igitur debet esse aliud quodpiam jus a naturali distinctum a quo hi effectus derivati sunt: Porro non est aliud, quam jus Gentium: *Civile* enim cum sit jus *singulare*, non potuit omnibus vel plerisque moratioribus saltem Gentibus dictare universalem legem. Concordat *l. ex hoc jure 5. ff. de J. & J.*

666. Ju-

666. Juri Romano communi subscribit II. ) *Jus Canonicum* in Can. *Jus autem 6. dist.* 1. ubi jus in genere dividit in naturale, civile & gentium, dicitque: Jus autem aut *Naturale est*, *aut Civile*, *aut Gentium*: Inepta autem foret hæc divisio, si ut volunt Adversarii, jus Gentium idem ipsum esset ac jus naturale.

667. Pro majori vero hujus distinctionis declaratione, *in Can. jus naturale 7. dist.* 1. diversa jurium horum indoles explicatur his verbis: *Jus Naturale est commune omnium Nationum*, *eo quod ubique instinctu naturæ*, NB. *NON CONSTITUTIONE aliqua habetur*. Dein ibidem *Can.* 8. exponitur jus civile hac phrasi: *Jus Civile*, *quod quisque Populus*, *vel quęque Civitas sibi PROPRIUM*, *divina humanaque causa constituit*.

Demum *Can.* 9. eadem *dist.* 1. Jus Gentium per exempla describitur: *jus GENTIUM est sedum occupatio*, *ædificatio*, *munitio*, *bella*, *captivitates*, *servitutes*, *postliminia*, *fœdera*, *paces*, *induciæ*, *legatorum non violandorum religio*, *connubia inter alienigenas prohibita*. Et eodem *Can.* 9. §. 1. subjungitur: *Hoc inde JUS GENTIUM appellatur*, *quia eò omnes FERE Gentes utuntur*, id est ab eo diriguntur pleræque saltem moratiores Nationes. Textus hic igitur supponit dari jus Gentium aliud ab illo naturali. Per se enim notum est: naturali jure non tantum *omnes ferè*, seu circiter; sed *absolute omnes* Gentes debere, eo quod innata dictamina naturalia omnibus hominibus usu rationis pollentibus, sint communia, quæ eos de voluntate Divina aliquid necessario prohibente, vel præcipiente, admonent. Secus fit in jure Gentium, quo tantum *omnes fere* diriguntur.

668. Tandem III. ) eandem distinctionem probat *ratiò*, quæ specificam diversitatem Juris Gentium a jure naturali exhibet. Nam juxta superius dicta de jure naturali *a n.* 71. ) jus naturale legale, seu prout vim legis habens fundatur *in honestate* naturali simpliciter & absolute *necessaria*, ita ut objectum ejus intrinsecam contineat bonitatem, vel malitiam. Est quoque illud jus cordibus nostris inscriptum, ac sine hominum voluntate, pariter ac excluso omni usu, & consuetudine, ex ipsa *intrinseca necessitate* naturæ rationalis a DEO constitutum, inditumque eidem esse dignoscitur.

Contra autem, jus Gentium non fundatur in honestate mo-

morum naturali simpliciter & *absolute necessaria*, nec versatur circa objecta intrinsece bona vel mala: sed talia sunt nonnisi ideo, quia supposito tacito ac uniformi Gentium saltem moratiorum *aliquo* consensu, sunt usu humano introducta, & *consequenter* etiam præcepta, non aliter tamen, quam salva eorum mutabilitate, & per contrarium uniformem usum abrogatione. Quo etiam facit, quod, uti *Suarez* cit. c. 17. n. 9. ait, *jus Gentium magis bonum socium, quam bonum hominem format*, scilicet moralem Populorum *commoditatem* potius quam absolutam totius naturæ rationalis *necessitatem* ac felicitatem respicit. Hanc enim ita *absolute* & *necessario* respicere spectat ad solum jus naturæ, cujus officium est, ut tam unumquemque hominem *in particulari*, quam etiam totum genus humanum *in communi* rectum efformet quo ad *necessariam* actuum moralitatem.

Ex his igitur omnibus concluditur: Jus naturæ non esse idem ac Jus Gentium, neque vicissim jus Gentium includi in jure naturæ: sed potius esse quid adæquate distinctum ab eodem, ita ut diversam juris speciem constituat.

669. CONTRARIÆ RATIONES *a n.* 657. ) adductæ nihil præter inania verba continent. Hinc ad I.) R. in *cit.* §. *Jus autem* 1. *Inst.* pariter ac in *L. omnes populi* §. *de J. & J.* Jus Gentium pro naturali jure usurpatur *per abusum* vocabuli, quales abusus plures demonstravimus supra *a n.* 50. ) Porro hanc improprie usurpatam prædictorum vocabulorum significationem manifeste correctam, aut declaratam videmus in *cit.* §. *sed jus* 2. *Inst. de* J. *N.G. & C.* ubi *jus Gentium* dicitur esse, *quod usu exigente & humanis necessitatibus Gentes humanæ sibi CONSTITUERUNT*: igitur adæquate distinguitur a jure naturæ, quia hoc gentes *usu sibi* non *constituerunt*: sed naturæ Auctor cordibus omnium usu rationis pollentium inscripsit *necessario*. Quæ ipsa distinctio liquet ex cit. *L. Juri* 1. §. 4. *ff. de J. & J.* ubi *Jus Gentium a naturali recedere* dicitur.

670. Ad II.) Multi quidem DD. qui jus Gentium in *usu & consuetudine* longæva constituunt, jus hujusmodi putant procedere *a DEO*, non tanquam naturæ rationalis Auctore; sed tanquam *Gubernatore* & *Superiore societatis* humanæ, in quam Gentes facta inter se divisione coiverunt. Verum quia hoc modo Jus Gentium confunditur *cum jure divino positivo*, & responsio eorum supponit obligationem,

nem, qua Gentes abinvicem erga se obstringuntur, provenire ab ipso DEO, a quo vim obligandi consuetudines illarum acceperunt, quod pugnat cum his, quæ dicentur *a n. 677. & seq.*) Hinc responsione hac penes suos Auctores relicta, aliam ineo viam, ac dico:

671. Falso laborat supposito argumentum, quod Jus Gentium, quatenus obligat omnes, vel plerasque Nationes, debuerit procedere ab *aliquo Superiore* dictante legem gentibus, aut directe & immediate approbante usum & consuetudinem per illas introductam. Cum enim Jus Gentium constitutum sit potius *per modum pacti taciti*, manifestatumque per hoc, quod Gentes jus istud animo introducendæ & retinendæ obligationis receperint, ac quod nunc data occasione *ad illud*, tanquam ad legem communem *provocent*: sequitur, quod Institutores juris hujus sint ipsi Populi, seu Gentes secus *tacite* paciscentes. Ac proin ad illud constituendum *non fuit ullo Superiore* tanquam *Legislatore* immediato. Certum quippe est, *inter æquales* posse fieri *pacta*, sponsiones, & mutuas, sive expressas, sive tacitas promissiones, sine ulla superioritate, prout experientia docet. Quod verum est etiamsi contendas non per *pactum tacitum*; sed per immemorialem *usum* & *consuetudinem* jus Gentium vim legis obligantis habens constitutum fuisse. Notum quippe etiam est, *longævam consuetudinem* seu *usum* v. g. duarum vel plurium vicinarum *Civitatum* piscandi in flumine, pascendi greges in agris, promiscue lignandi in vicinis silvis &c. inducere Juris firmitatem, ne una Civitas alteram impediat: & tamen neutra earum habet ullam superioritatem, aut jurisdictionem in alteram, cum sint æquales. In republica item *Aristocratici* regiminis, in quo singulæ, aut pleræque nobiles; & in *Democratici*, in quo etiam ignobiles alioqui personæ jus aliquod condendarum legum habent: singuli obligantur legibus pro tota republica constitutis; cum tamen legislatores illi *particulares*, quatenus jus suffragii in legibus condendis habent, nec essent, nec sint Superiores respectu aliorum, qui legibus his obstringuntur.

672. Ad III.) Præcepta Juris Gentium patent ex §. *sed jus 2. Inst. de J. N. G. & C.* pariter ac ex aliis textibus adductis hic *a num. 663.*) & uberius ostendentur in resolutione sequentis objectionis. Nec obest quod aliqua ex istis reducantur ad Jus naturæ, aliqua ad Jus Civile.

le. Quia reductio hæc ex diversis fit causis. Ita enim factio v. g. contractuum emptionis-venditionis, locati-conducti, mutui, depositi, bella item & fœdera, commercia & servitutes, ac manumissiones &c. *originem* suam habent *a jure Gentium*: formam vero nonnulla eorum a solo hoc Gentium jure, nonnulla autem, uti sunt contractus, a *Civili* dispositione participant. Quatenus vero legitime initi actus illi observandi sunt: præcipitur hæc executio a Jure naturali, ad quod omnis justitia spectat. *Suar.* l. 2. de LL. c. 19. n. 7. circa med. & c. 17. n. 3. ac 4.

673. Ad IV. ), & ejus probationes: R. Jus Gentium haberi ex Nationum saltem moratiorum consensu & pacto *tacito*, longævo usu ac consuetudine firmato. Consensus autem & pacti hujus *taciti* fundamentum desumitur *primo* ) ex *judicio Gentium* & *traditione*, qua passim ad communia Gentium placita provocant, & contravenientes juris Gentium læsi reos pronunciant. *Secundo*. ) Desumitur *ex communi* hominum in societate viventium *necessitate & utilitate*. Unde *Albericus Gentilis* de Jure belli l. 1. c. 1. ait, *quod utilitas & necessitas consensum plerumque omnium provocarit, & obtinuerit*. Ac etiam Justinianus Imper. in *cit.* §. 2. *Inst. de J. N. G. & C.* docet: Jus Gentium *usu exigente & humanis necessitatibus* introductum: Quod etiam tradit *Struv.* in Syntagm. tit. de Just. & Jur. ac ex illo *Muller* cum aliis.

Ex his autem facile percipi potest, quomodo Gentes nunc obligentur *pactis Antecessorum*: Quia scilicet eadem traditio, eadem necessitas, ac utilitas usu longævo firmata etiam nunc manet, quæ fuit tempore Antecessorum: consequens est, ut idem quoque particularium Nationum nunc etiam judicium sit de obligatione servandi has leges.

674. Ad V. ) Liquet jam resolutio ex his quæ attulimus ad *tertiam* rationem contrariam. Instantia *prima* de Legatorum securitate nihil probat. Quia illorum securitas *non immediate* præcipitur a Jure naturæ, sed nonnisi *consequenter*, supposito nempe *pacto tacito* inter Gentes. Consuetudo enim recipiendi Legatos sub lege immunitatis & securitatis absolute spectata non est *de necessitate*, jure naturali considerato. Quia potuisset unaquæque Communitas hominum non habere apud se Legatos alterius, nec velle illos admittere. Nunc tamen eos admittere est

de

de Jure Gentium, & illos repudiare esset signum inimicitiæ ac violationis Juris Gentium. Hinc licet supposita admissione Legatorum sub *pacto tacito*, mere consequenter & arguitive sit contra Jus naturæ illis non servare immunitatem, quia est contra justitiam & debitam fidelitatem: tamen *illa suppositio* & *pactum illud* sub tali conditione introductum non ab alio, quam solo Gentium jure provenit. Similis est responsio ad *secundam*, & reliquas instantias, de bellis, repressaliis, fœderibus, Regnorum divisione, &c.

675. Imo, idem quoque considerari potest in quovis contractu & commercio, in quo tria distinguenda sunt. *Primum* est, quod considerari debeat particularis *modus contrahendi*: & hic ordinarie spectat *ad jus civile*, sæpe quoque fieri potest arbitrio contrahentium, si jus aliquod non repugnet. *Secundum*: observatio contractus, postquam consummatus est; & hoc pertinet ad jus naturæ. *Tertium* est: *Libertas* contrahendi, commercia tractandi cum hominibus non inimicis vel hostibus publicis, neque circa res aliunde prohibitas; & hæc est de *jure Gentium*, quatenus inter plures Gentes supposito pacto tacito, usu & consuetudine est confirmata. Quia jus naturæ *per se* ad id non obligat, potuisset enim una Respublica per se vivere, & *nolle* commercium cum alia, etiamsi hæc non esset inimica. Jure autem *Gentium* introductum est, ut *commercia sint libera*, violareturque hoc Jus, si absque causa rationabili prohiberentur. Et ita intelligendum est illud, quod in cit. §. *sed jus 2. Inst. de J. N. G. & C.* dicitur: *ex hoc jure Gentium pene omnes contractus introductos esse*.

An autem ita defensum jus Gent. *univoce*, vel *analogice* tantum sit species Juris *legalis*: est quæstio scholastica; ad quam *Gletle* 1. p. pandect. q. 1. n. 11. respondet *non esse univocum*, quia non potest procedere a voluntate & potestate Superioris. Sed pace istius Auctoris, sit sane *univocum*, vel analogum, parum refert, cum satis sit, quod obliget in conscientia, ut constabit ex *n.*702.) Quanquam bene adhuc dici possit *univocum*, quia licet Gens una libera respectu alterius Gentis liberæ non agnoscat Superiorem: tamen subditi privati uniuscujusque Gentis eum agnoscere tenentur, scilicet Regem aliumve Principem vel Magistratum, qui illos cogere possunt ad observandas leges Gentium receptas.

De-

Demum *Conventiones* sine ullo Superiore factæ inter æquales habent adhuc vim legis proprie ac *univoce* talis, ut patet consideranti totum tit. ff. *quod quisque juris in alterum statuerit, ut ipse eodem jure utatur*. Ratio enim *univoci* non ex *sola* superioritate hic desumitur.

## §. IV.

### *Quid sit Jus Gentium, & quæ ejus origo.*

### SUMMARIUM.

676. *Admittitur descriptio* Justinianæa *J. G.*
*Ibidem approbatur definitio J. G. explicans per conventionem tacitam.*
677. *Eadem definitio firmatur per rejectionem explicationis contrariæ.*
678. *Explicatur origo causalis & motiva J. G.*
679. *Quam ostenditur non provenire ex imperio legis nat.*
680. *Origo formalis J. G. deducitur* ex pacto tacito.

676. CUm jam certum sit dari Jus Gentium, idque a *naturali* & civili distinctum; sequitur exponenda ejus indoles, quid sit, & quem in modum describi aut definiri possit?

Jus Gentium *Legale*, seu proprie, ac propt vim legis habet, spectatum recte descripsit Justinianus Imperator in cit. §. *sed jus* 2. *Inst. de J. N. G. & C.* esse id, *quod exigentibus necessitatibus humanis, & utilitatibus suadentibus, usu & moribus omnium, aut pene omnium Gentium introductum est*. Unde etiam colligitur, quod hoc Jus sit quidem conforme rationi naturali, & in ea fundetur, ac profluat, non tamen *necessario* ac simpliciter solo naturali instinctu est inditum nobis, neque etiam a *determinato* Principe, Legislatore singulari, vel certo aliquo Regno ortum habeat: sed *a libero* Gentium consensu.

Et hæc Justinianæa descriptio sufficit, quin prolixa disputatione opus sit circa *rigorosam* ejus definitionem, in qua statuenda diversæ sunt Auctorum opiniones. Ex quibus illa præplacet, juxta quam Jus Gentium *legale* est *Conventio tacita, qua Gentes saltem moratiores obligatione mutua usu & moribus approbata consociantur in ordine ad ea,* quæ

*quæ ad communem ipſarum felicitatem pertinent*. Ita in re *Vallens* procem. §. 5. n. 1. *Grotius* de J. B. & P. pluribus in locis: Nam in prolegom. §. 1. jus Gentium *moribus & pacto tacito* introductum; dein §. 53. tanquam *ex condicto* obligare affirmat. Jam vero l. 1. c. 1. §. 14. ait omnium vel multarum Gentium *voluntate vim obligandi accepiſſe*. Et l. 2. c. 3. §. 5. expreſſe ait, Jus Gentium habere *vim pacti* inter Gentes, illudque diſtinguit *a jure Civili plurium Gentium*. Grotii definitionem amplectuntur *Albericus Gentilis*, *Connanus*, *Ziegler*, *Henninges* aliique Commentatores. Quibus adhæret *Gletle* 1. p. pandect. q. 1. n. 11. *Stapſius* de J. N. & G. p. 1. c. 1. §. 3. a. n. 2. Pockhen in Juriſprud. controv. l. 1. tit. 2. p. 2. q. 3. f. 327. His recenter acceſſit Ill. L. B. de *Ickſtätt* in Elem. J. G. l. 1. c. 2. §. 3. cujus eruditos ſenſus retulimus hic *n.* 662.) Poteſt quoque brevius definiri: Eſt *jus ex communi conſenſu ac tacita Populorum conventione proveniens*.

667. Definitio hæc conformis eſt reſponſioni ſupra *a n.* 671.) aſſertæ. Cum enim jus Gentium *legale* ſit aliqua lex obligans, ac proin deberet procedere ab aliquo ſuperiore, hic autem commode oſtendi non poſſit, quinam ſit ille, qui tanquam ſupremus Princeps & Legislator Gentes conſociatas immediate obligavit ad obſervandas aliquas leges a Naturali & Civilibus diſtinctas, omnibus vel ſaltem moratioribus Populis communes: difficultati huic ſolvendæ non occurrit aptius medium, quam ſi obligationes ex jure Gentium poſitivo *legali* provenientes defendamus provenire ex *pacto tacito* inter Gentes inito, & demum longævo uſu confirmato. Pacta enim hujuſmodi non egent ullo ſuperiore, cum poſſint fieri etiam inter æquales. Quod etiam tradit *Suarez* de LL. l. 2. c. 19. n. 7. ubi obligationes hujuſmodi *ex pacto ſubintellecto* provenire docet, quin eas explicet per recurſum ad DEUM, tanquam Auctorem ſocietatis, ac ſupremum Politiarum & Rerum publicarum Principem, prout ita explicant alii Scriptores: ſed tamen non ſatisfaciunt. DEUS enim eſt cauſa valde *univerſalis* omnium rerum, ac proin ejus Voluntas & eſſentialis juſtitia eſt quidem fons ac prima origo omnium legum, juxta illud Prov. 8. v. 16. *Per me Principes imperant, & Potentes decernunt juſtitiam*: Nihilominus neque hic quæſtio vertitur de *cauſa* hac legum eminente ac *univerſali*, neque a plerisque Eruditis factus ad eam recurſus ſolvit difficultates; jus enim Gentium confundit potius cum

jure

jure divino positivo, &c. Neque dixeris, Jus Gent. non consistere in ulla pactione aut conventione earum. 1.) Quia ex pactis non oritur Jus legale, sive constitutionis: sed proprietatis. 2.) Difficile est explicare quomodo per per pacta & conventiones, quæ solos paciscentes afficiunt, omnes Gentes etiam non consentientes obligari potuerint.

Nam *contra* est, quod assumptum non sit verum. Cujus *prima* ratio etiam non subsistit, cum evidenter falsum quoque sit, ex pactis semper oriri jus *proprietatis*, patet enim contrarium in pactis fœderum publicorum inter unam & alteram Gentem initorum: item in tacito pacto quod habet Religiosus professus cum sua Religione, & vicissim; quin tamen ille habeat jus proprietatis ex hoc pacto, cujus rei multæ aliæ instantiæ per se notæ sunt. Deinde hæc ipsa ratio patitur distinctionem: scilicet, ex pactis non oritur Jus legale, si mens paciscentium Nationum *nec tacite nec expresse voluit* pactum illud vim juris legalis habere C. *secus* N. Porro quod Gentes id voluerint, patet ex *n.* 673. & 671.) Ad 2. liquet Responsio ex *cit. num.* 673.) Demum, in hac quam defendimus sententia facile explicatur, quomodo Gentes, quæ nunc successerunt, Antecessorum suorum pactis obligentur: Quia non in solo pacto *tacito*: sed simul in usu & longæva consuetudine pactum illud tacitum de novo confirmante, reponimus Juris Gentium legalis constitutionem, juxta cit. §. *sed jus* 2. *Inst. de J. N. G. & C.* Quamquam etiam in opinione eorum, qui sine recursu ad usum & consuetudinem, Jus Gent. statuunt *in solo pacto*, optime adhuc difficultas hæc expeditur: Quod nempe in voluntate *Antecessorum* publice & communiter pro bono earum communi ac reciproco paciscentium fuerit voluntas *Successorum moraliter* inclusa. Et ita experimur pactis fœderum publicorum ante 100. annos libere initis obligari etiam successores, quoties nulla justa causa *de novo emergente* excusans adest; & tamen hodie in vivis existentes Cives ac incolæ hujus Regni, vel provinciæ, ante 100. annos sicut in rerum natura non erant, ita neque pactæ sunt. Sola alioqui consuetudo sine ullo etiam *tacito pacto* non posset *Jus Gent.* constituere, licet constituat *civile* & *proprium*.

678. Quod vero ORIGINEM Juris Gentium concernit: hæc duplex considerari potest, causalis nempe & forma-

lis.

lis. *Origo causalis*, seu causa *motiva & finalis* juris Gentium provenit immediate ex *necessitate & utilitate* Gentium, post primævam bonorum communionem divisarum. Cum enim Gens nulla ex toto sibi sufficiat, ita ut ad commodiorem feliciorem que vitam non indigeat auxiliis mutuis, neque detur pars aliqua Orbis terraquei, quæ omnibus ad vitam necessariis abundet, innuente Poeta:

*--- non omnis fert omnia tellus*;

ipsa natura per rationis dictamen inclinavit Gentes ad ineundæ societatis fœdus, quo se melius in suis indigentiis reciproce iuvarent, atque per mutuam communicationem, in tranquillitate & pace eGneri humano conveniente firmarentur. Hac autem ratione Gentes divisæ indigebant aliquo Jure, quo dirigerentur & recte ordinarentur in hoc genere communicationis ac societatis a Jure naturali non determinatæ pro *statu* earum *adventitio*, per accidens supervenientе.

679. Et quamvis magna ex parte fiat id per rationem naturalem: non tamen sufficienter & immediate quo ad omnia. Licet enim jus naturæ permiserit aliquos actus, v. g. belli, captivitatum, servitutum &c. non tamen determinavit certos casus: sed eos reliquit Gentium dispositioni, ut pro varietate circumstantiarum præscriberent certas regulas, quibus libertas naturalis limitaretur, & induceretur mutua obligatio regulas ejusmodi observandi. Hinc alia specialia jura poterant *pacto tacito* & *usu* earundem Gentium introduci. Nam sicut in una civitate, vel provincia consuetudo introducit jus, ita in universo humano genere, vel magna ejus parte potuerunt jura Gentium moribus introduci. Eo vel maxime, quod illa quæ ad hoc jus pertinent, & pauca sint, jurique naturali valde propinqua, & facillimam habeant ab illo deductionem, eamque ita utilem & consentaneam ipsi naturæ, ut licet non sit evidens deductio hæc tanquam de se *omnino necessaria* ad honestatem morum, sit tamen *valde conveniens* naturæ, & de se sicut utilis, ita appetibilis omnibus.

680. Origo *formalis* juris Gentium satis colligitur ex definitione ejus *n. 676.*) adducta, quod scilicet *pactum tacitum* longævo usu firmatum vim legis Gentes reciproce obligantis induxerit, seu, ut *Albericus Gentilis* de jure belli, „ l. 1. c. 1. ait „ Constituerunt jus Gentium inter se omnea

„ vel multæ Gentes, *non fortuito*, aut *altera alterius imitatione*; sed quasi *ex compacto*; non quod convenerint, ut „ legem scriberent: sed quod *utilitas & necessitas* plerumque omnium provocaverit & obtinuerit consensum; & „ ex hoc deinceps jus constitutum sit. „

Utramque originem hic explicatam clare indicat Justinianus Imperator in *cit.* §. *sed jus* 2. *Inst.* ubi ait, *usu exigente & humanis necessitatibus gentes humana jura quædam sibi constituerunt.*

## §. V.

### *Quotuplex sit Jus Gentium.*

### SUMMARIUM.

681. *Quæritur hic de divisione juris Gent.* legalis, *quod distinguitur in* Affirmativum, Negativum, & Permissivum.
682. &c. *Exponuntur singula, & declarantur exemplis.*
686. *Jura Gentium permissiva impunitatis immutari possunt.*
687. *Usus vestium, panis, carnium, tabaci &c. sunt juris Gent. permissivi.*
688. *Rejicitur divisio juris Gent.* in primævum & secundarium.
689. *Lex nat. pariter ac Divina positiva* male *vocatur jus Gentium.*
690. *Affertur ratio malæ divisionis hujus rejectæ.*
691. *Solvitur instantia ex textibus juris adducta.*
692. *Rejicitur etiam divisio* in universale & particulare *jus Gent.*
693. *Pariter ac divisio in jus Gent.* certum & incertum.
694. &c. *Refellitur jus Gent.* proprie & improprie *tale: scriptum, non scriptum, item: necessarium, voluntarium, pactitium, ceremoniale.* &c.

681. PLurimæ quidem apud non paucos Auctores leguntur Juris Gentium divisiones, verum cum hic quæstio sit *de solo* Jure Gentium *legali*, seu vim legis, *saltem moratiores* populos obligandi habentis; supervacaneum est privatos unius v.g. Regni cum altero initos *contractus* vel *pacta specialia* non fundata in jure Gentium com-

communi ad Jus Gentium reducere, quæ ad alias Nationes extendi, easque obligare nullo modo possunt. Hac proin & similibus aliis divisionibus, tanquam arbitrarie inventis & a scopo quæsiti hujus alienis prorsus rejectis, eam sola præcipue admittendam censemus, quæ *Jus Gentium legale* dividit in *Affirmativum*; *negativum ac permissivum*, illudque ad omnes vel plerasque Gentes extendit. In hæc quippe membra omnis lex recte dividitur, attestante textu in L. 7. ff. de Legib. *Legis virtus est, imperare, vetare, permittere* &c. Et ad hanc normam supra hic in *part.* 1. *a numer.* 39. ) divisimus legem naturalem.

682. Jus Gentium itaque *Affirmativum* est, quod imperat aliquid agendum, seu quod pro objecto habet positionem actus, v. g. ut Bellum inter unam & alteram Gentem præcedat solemnis denuntiatio per *Feciales*: Legati recipiantur sub lege immunitatis & securitatis; nisi Gens ita non recipiens velit hoc ipso inimicam se exhibere alteri &c.

*Negativum* J. G. est, quod imperat aliquid omittendum seu pro objecto habet negationem actus, prohibendo eum, ne fiat: Hujusmodi præcepta Juris Gent. sunt: v. g. ne hostis per submissos sicarios occidatur: neve occidatur inermis & se non defendens: ne arma bello servitura, aut fontes veneno inficiantur ( De jure enim nat. parum referret, si hostis publicus veneno, vel gladio aut aliter perdatur ) Ad *Negativum* J. G. spectat etiam, ne commercia inter unam & alteram Nationem absque causa rationabili prohibeantur, & multa alia sequentibus capitibus exponenda.

*Permissivum* J. G. est, quod nec præcipit, nec prohibet actum; sed negative se habet; vel tolerando eum si bonus vel indifferens sit, aut si malus: impunitatem *extrinsecam* concedendo. Exempla juris Gentium *Permissivi* objectorum quæ mala non sunt, exhibet nobis citatus *canon* 9. *dist.* 1. nempe sunt: *Sedium occupatio, ædificatio, munitio* &c. ac etiam per *cit.* §. *sed jus* 2. *Inst. de J. N. G. & C.* sunt varii *contractus*, quatenus hi ab una Gente cum altera iniri *libere* possunt & solent, manente obligatione ceteros adstringente, ne actum hujusmodi ex se indifferentem & permissum impediant sine justa causa.

683. Jam vero exempla *actus mali*; cujus impunitatem

 ex-

*extrinseca* pro foro *externo* permittit, aut saltem permittere posset jus Gentium, teste *Suar.* de LL. l. 2. c. 20. n. 3. & *Martinezio* apud eundem, est *tolerantia meretricum*, *permissio deceptionis* in contractu, quæ non fit ultra dimidium &c. Licet enim Jus naturale ex se rigidum & pro *necessaria* actuum honestate dirigenda natum nulla *intrinsece* mala permittat: sed omnia absolute prohibeat; quia tamen pœnas delictis (ut probavimus *a n.* 148.) non statuit: sed juri positivo determinandas reliquit; hinc non apparet ratio, cur jus Gentium mala aliqua objecta ex rationabili causa permittere non possit, sicut Jure civili nonnulla mala permittuntur, quatenus relicta naturali obligatione pro *interno*, negatur actio pro *externo* foro.

684. Talis enim permissio exigitur a fragilitate humana. Quam ob causam ortum est etiam illud vulgare: *Ubi omnes, vel multi peccant: nemo, aut pauci puniuntur.*

685. Huc etiam facit, quod juxta *n.* 668.) jus Gentium per se & *primario* externam populorum utilitatem, tranquillitatem, ac vitam socialem potius, quam *internam* conscientiæ directionem respiciat. Istam enim supponit fieri *a lege naturali*, actuumque hujusmodi moralem ac necessariam rectitudinem illius disciplinæ relinquit, potest igitur jus Gentium ex justa causa pœnas mitigare, vel omittere.

686. Quia tamen Legis *permissivæ* in universum hæc natura est; ut relinquat liberam dispositionem Magistratibus circa objecta permissa, adeo, ut si illis propter majus bonum expedire videatur, quatenus actus malus pro foro *externo* permissus, & impunitate donatus absolute prohibeatur & perpetratus puniatur, id statuere possint, & debeant. Hinc quod in plerisque Nationibus *meretrices*, intra dimidium *deceptores*, aliique legum naturalium transgressores, nequidem in foro *externo* tolerentur, aut impunitate gaudeant, per hoc jus Gentium minime infringitur, quinimo perficitur.

687. Ad mere *permissivum* jus Gentium reducitur usus vestium, carnium, tabaci, panis, consuetudo item condendi leges civiles, & id genus alia. Hæc enim objecta non respiciunt communem ac reciprocam omnium Gentium utilitatem: sed potius particularem illorum hominum, qui iis utuntur, non cadunt igitur sub ullum præceptum juris Gentium: sed sufficit, quod usus eorum hoc

jure

jure permissus sit. Quatenus autem ex. gr. vestes aliquæ necessariæ sunt ad impediendum scandalum, quod oriretur ex nuditate, & aliquis cibus adhibendus propter vitæ conservationem, hæc & similia oriuntur ex præceptis naturalibus. Eximie igitur *Suarez* de LL. l. 2. c. 19. n. 4. ait: Illud solum juris Gentium objectum, vim præcepti habens censendum est; quod in *communem* ac *publicam* Gentium utilitatem societatisque humanæ vergit; reliqua aut prorsus non spectant ad hoc jus, aut ad id *mere permissivum* reducuntur.

Hac autem sola recepta & explicata *præcipua* divisione juris Gentium in *affirmativum*, *negativum*, & *permissivum*, rejiciuntur reliquæ, in quas idem Jus a plerisque dividi solet. Et quidem

688. Merito rejicienda est divisio Juris Gentium I.) In *primævum*, seu *antiquum*, & *secundarium*. Porro per *primævum* intelligitur a suis Patronis illud jus, quod ratio naturalis inter omnes homines constituit, & in re est ipsum jus naturale, ab Auctore naturæ rationalis DEO O. M. cordibus hominum inditum & inscriptum. *Secundarium* autem vocant, quod ex *libera* Gentium voluntate, usu & humanis necessitatibus exigentibus introductum est. Fundamentum divisionis hujus sumpserunt illi ex *cit.* §. *Jus autem* 1. *Inst. de J. N. G. & C.* ibi: *Quod vero naturalis ratio inter omnes homines constituit, id apud omnes peræque custoditur, vocaturque jus GENTIUM, quasi quo jure omnes Gentes utuntur*: & dein ex *cit.* §. *sed Jus* 2. *Inst. eod. tit.* ubi Jus Gentium esse dicitur quod *usu exigente, & humanis necessitatibus, Gentes humanæ jura quædam SIBI CONSTITUERUNT*, quæ utriusque textus verba repetuntur etiam in *L. omnes populi* 9. *ff. de J. & J.* Ex hac autem duplici definitione inferunt duplex Jus Gentium, *primævum* scilicet seu *naturale*, quo omnes Gentes utuntur, quin illud suo placito accedente libere constituerint; Et *secundarium*, quod sibi usu exigente & humanis necessitatibus libere *constituerunt*, vocaruntque positivum humanum, ut videre licet in *Alberto Bolognett.* tr. de LL. & Juram. c. 27. *Pinell.* in Rubr. C. de Rescind. vend. & sequitur *Schreidevvin.* ad cit. §. 2. Inst. de J. N. G. & C. *Bacchov.* ad eund. §. *David. Mev.* in nucleo J. N. inspect. 5. *Chlingensperger* ad cit. tit. Instit. quæst. 3. aliique non pauci, quibus argumenta suppeditarunt *Sant-Gallenses* Theologi de LL. sect. 2. q. 3.

2. q. 3. concluf. 1. & P. *Reiffenftuel* in proleg. Jur. Can, a n. 31. & ante hunc *Pirhing*. n. 10.

689. Divifionem hanc acriter impugnant communius Recentiores Theologi & Jurifperiti cum *Ludov. Molin.* de J. & J. tom. 1. d. 3. & feq. *Gletle* Jurifprud. fundam. l. 1. tit. 2. c. 3. §. 4. n. 1. *Coning* in Bibliothec. J. G. l. 3. fæ; ius, *Flech* Bibliothecæ Jur. Civil. l. 1. tit. 9. num. 4. *Franz*. ad tit. Inft. de J. N. G. & C. p. 2. n. 5. quibus magno numero accefferunt Canoniftæ. Verum *Suarezius* quamvis etiam rejiciat divifionem hanc, optime tamen advertit de *LL*, *l.2. c.17. n.7.* acerrimam hujufcemodi difputationem verfari *circa folum ufum vocis*, feu *vocabulariam* effe. Cum enim prima fententia per Jus *primævum* Gentium intelligat Jus *naturale*, quo omnes Gentes independenter ab ufu, & pacto & confenfu fuo obligantur, nullum eft abfurdum in hoc fenfu Jus naturale vocari Jus Gentium, imo & omnia Decalogi præcepta, omnefque leges *pofitivæ Divinæ* ac univerfales poffunt, ( ait *Suarez* ibidem) vocari Jus Gent. quatenus *Lex Divina* pofitiva univerfalis *ex fe* obligat omnes Gentes, ad quas notitia ejus pervenit.

690. Nihilominus quia acceptio hujufmodi valde impropria eft, pugnatque cum regulis rectæ divifionis, quæ fieri non debet in membra æquivoca & impropria, hinc illa etiam a *Suarezio* l. c. cap. 17. n. 7. prop. fin. & c. 19. a n. 1. abfolute rejicitur. *Ratio* eft, I.) quia hic quæftio eft de divifione Juris Gentium *pofitivo-humani*, quale definivimus *a n.676.*) non autem de jure naturali *abfolute neceffario*, & cordibus infcripto, ficut neque procedit eadem quæftio de legibus Divinis pofitivis, aut Civilibus unicuique Genti propriis. Dicere autem omnes has leges effe *Jus Gentium*, quia Gentes illis obligantur: eft verbis ludere, & fophifticis refponfionibus logicas difputationes *de voce* inftituere. II.) Sententia jus naturale *primævum* admittens illudque vocabulo juris Gentium *primarii* compellans, falfo laborat fuppofito, quod detur duplex jus naturale, *primævum* nempe, feu commune hominibus & brutis, ac *fecundarium*, quod jus Gentium primarium ac folis hominibus proprium vocat, hæc enim *a n. 40. & 45.*) falfa effe demonftravimus. III.) Demum conftat ex adductis juribus *a n. 663.*) quod Legislatores humani Jus Gentium adæquate diftinctum a lege naturali & ci-

vili

vili asseruerint, quod etiam ratio ibidem adjuncta probat; Hinc tota hæc disceptatio concluditur verbis *Suarezii* cit. c. 19. n. 3. inferentis: *Igitur jus Gentium simpliciter dicendum est positivum humanum*. Quod etiam desumitur ex *D. Th.* q. 95. a. 4. ubi absolute jus positivum dividit in *Gentium* & *Civile*, & utrumque dicit esse *humanum* jus derivatum a naturali, quatenus omnis lex etiam humana debet esse rectæ rationi conformis, alioqui non haberet vim obligandi utpote imprudenter lata.

691. Nec obstant textus ad speciem contrarii, quos prior sententia pro se adducit, verbis enim illis *improprie & abusive* usos fuisse Legislatores constat jam ex *num.* 669.) & patet ex eorum declarationibus, quibus æquivocam locutionem suam ad sensum planum reduxerunt, distinguendo Jus naturæ a jure Gentium, & utriusque diversam causam assignando, prout id ex cit. *n.* 669.) colligi potest, pariter ac quod *vera religio* erga DEUM, *pietas* erga parentes, ex jure nat. non Gentium procedat.

692. Nulla quoque est divisio juris Gentium II.) in *universale*, seu *commune*, quo plures vel pleræque Gentes; & in *particulare*, seu *proprium*, quo duo vel tres tantum Gentes utuntur. Hæc enim divisio confundit jus Gentium cum Civili, cui confusioni præclusimus aditum hic *num.* 687.) ubi illud solum Juris Gentium objectum esse diximus, quod in *communem* ac publicam societatis humanæ felicitatem vergit, prout non ita verget particulare pactum v. g. inter unam solam & alteram Nationem initum. Cum enim hæc conventio sit *particularis*, nequit rationabiliter dici *communis* Gentium. Hinc rectius ait *Grotius* l. 2. c. 3. n. 5. conventionem talem dicendam potius *Jus civile plurium Gentium.*

693. Non satisfacit III.) Divisio juris Gentium in *Verum* seu *certum* seu *incertum*. Quod enim *incertum* est, non potest vim juris legalis habere, cum leges debeant esse certæ & manifestæ, ne laqueum conscientiis ponant & ansam obligationi per errorem inducendæ præbeant, *Can. Erit autem Lex* 2. dist. 4.

694. Nec meretur approbationem IV.) illa juris Gentium divisio, quæ id distinguit in *proprie dictum*, quod est cum mutua obligatione, & in *improprie acceptum*, quod est sine mutua obligatione. Lex quippe *improprie* dicta non est lex, aut si vim obligandi aliquam

saltem *indirecte* habet ( uti fit in legibus *permissivis*, quæ obligant *tertium*, ne me in usu meæ libertatis, aut privilegii impediat ) hac ratione erit lex proprie dicta, uti jam patet ex cit. *l. 7. ff. de LL.* ubi etiam lex permissiva nomine legum proprie dictarum gaudet. Et patet ex *n.682.)* quod *Sedium occupatio, munitio, ædificatio*, contractuum factio, & similia spectent ad Jus Gent. permissivum, ac nedum *sine mutua*: sed etiam prorsus sine ulla obligatione permittuntur, ut illis utatur qui vult & potest, nihilominus objecta hæc referuntur ad jus Gentium proprie dictum: & illa Gens, quæ sine justa causa impediret alteram in commerciis vel contractibus, rea foret violati Juris Gentium.

695. Pari ratione non subsistit V. ) Divisio juris Gentium in *scriptum* & *non scriptum*. Jus enim Gentium *scriptum* nullum est, & nullum unquam fuit, quod omnes aut *fere* omnes Nationes obligaret. Quando enim illæ, ubi & quomodo hanc scripturam confecerunt? quæ ex illis Gentibus sigilla sua & manuum subscriptiones apposuerunt? in quibus Actis, Protocollo, vel Juris corpore scriptura hæc reperitur? Quodsi v.g. duæ aut tres Gentes aliquam conventionem in scripturam redegerunt: actus hic *particularis* habet quidem vim legis: sed *privatæ*, quin ad alias Gentes de hoc casu particulari non paciscentes extendatur. Certum quippe est, quod transactiones & pacta inter aliquos inita aliis non præjudicent, neque iis regulam præscribere possint.

696. Ex his autem sequitur, nullam quoque esse divisionem juris Gentium VI.) In *necessarium*, *voluntarium* & *pactitium*: Pari ratione ac VII.) In *naturale* & *positivum*: Demum VIII. ) In *consuetudinarium* ac *ceremoniarium*, aliaque divisionis membra. Quorum hæc summaria est ratio. Quia 1. ) Nullum aliud Jus Gent. agnoscimus quam *positivum* humanum commune omnibus, aut saltem *fere* omnibus Gentibus: non recte igitur dividitur *in necessarium*, quod non Gentium positivum: sed naturale & distinctum est. 2. ) Cum idem Jus Gent. proveniat ex *pacto tacito*, usu & consuetudine approbato, sequitur illud esse *pactitium*, ac includere voluntarium usum & consuetudinem: superflua itaque est divisio, & confusionem pariens iis, qui Juri huic discendo navare operam vellent. 3. ) Ceremoniæ pro diversitate Gentium diversæ sunt in

reci-

recipiendis Legatis, adornandis festivitatibus & homagiis supremis Principibus reddendis &c. illæ proin non merentur nomen Juris Gentium, cum ceremoniæ unius Gentis nequeant esse regula universalis aliarum, ita ut vim legis habeant.

## §. VI.

*Quæ sit differentia Juris Gentium ab aliis Juribus?*

### S U M M A R I U M.

697. *Jus Gent. differt a Jure nat. ratione originis: ratione causæ efficientis: & finalis.*
698. *Dein differt ratione Objecti, seu obligationis; tum ratione subjecti.*
699. *Aliæ differentiæ Juris Gent. a jure nat. rejiciuntur;*
700. *Pariter ac distinctio a recentioribus JCtis excogitata.*
701. *Ostenditur differentia juris Gent. a jure Civili.*

697. JUs Gentium I.) differt a *jure naturæ* ratione *originis*, quia jus naturale est *congenitum* homini cuivis, cæpitque simul cum natura humana. Contra vero, *Jus Gentium* non est congenitum: sed *adventitium*, superveniens hominibus saltem plurium Nationum, post naturam depravatam, & homines multiplicatos, eosque divisos super terram. II.) Differt ratione *causę efficientis*: quia naturale jus conditum est ab ipso naturæ Auctore DEO, qui illud cordibus humanis inscripsit: Jus Gentium autem conditum est ab hominibus, ut liquet ex definitione ejus *a n. 676.*) adducta. III.) Differt ratione *causæ finalis*: quia jus Gentium pro fine formali & adæquato respicit *utilitatem* Gentium, seu felicitatem *Societatis humanæ*, eamque vel maxime ac *primario civilem* seu *externam hujus vitæ*, non fundatam in *absoluta necessitate* naturæ, neque ut simpliciter ad honestatem morum necessariam: sed potius fundatam in necessitate duntaxat quadam *morali* latius tali, seu ad *melius & perfectius feliciusque esse* in ordine ad communicationem Gentium convenientem, formando Nationes *proxime & practice sociales*, ut scilicet homo bonus sit Civis, & aptus societati humanæ. Contra vero, Jus nat. pro *fine primario* respicit felicitatem homini *substantialiter* propriam, seu *internam*, ut homo quo ad DEUM, se

se ipsum, & proximum ambulet rectus in probitate & innocentia. Ac proin hoc jus nat. *primario* & principaliter format hominem *qua hominem* moraliter ac *absolute necessario* rectum, & tantum *secundario* format etiam qua *socium* & bonum civem in ordine quoque ad felicitatem civilem seu temporaneam, ut scilicet supposita societate, exhibeat se utilem aliis.

689. Differt IV. ) Ratione *objecti* & *obligationis*, Jus enim nat. versatur circa ea, quæ *intrinsece* ac per se bona vel mala sunt, ideoque *formaliter* est immutabile: Jus autem *Gentium* versatur circa objecta *non intrinsece* bona vel mala: sed ea solum, quæ Gentium *arbitrio*, sive supposito earum *pacto tacito*, usu & consuetudine firmato vim legis obtinuerunt, ita ut mutari in se vel abrogari, ut infra dicemus, possint. Differt V. ) Ratione *subjecti*: Jure enim naturæ obligatur omnis homo rationis compos: Jure Gentium autem eæ solum obstringuntur Gentes, quæ *pacto* seu *conventione tacita* usu & consuetudine firmata se illi subjecere. In particulari autem, quilibet homo obligatur Jure Gent. si ille est membrum communitatis humanæ, quæ conventionem illam acceptavit & usu confirmavit.

699. Aliæ vero differentiæ, quas plerisque inter Jus naturæ & Gentium afferunt tanquam incongruæ communiter rejiciuntur. Scilicet 1. ) Distinctio veterum JCtorum, qua jus nat. dixerunt a Jure Gent. in eo differre, quod illud *natura omnia animalia* docuerit, non item Jus Gentium, *quod naturalis ratio inter homines constituit*. Hanc enim falsam esse ideam patet jam ex *n.* 45. ) Neque etiam toleranda est 2.) *Soti* & quorundam *Thomistarum* distinctio, qua jus nat. putant differre a Jure Gentium, quia ( ajunt illi ) jus nat. vel *sine omni ratiocinio*, vel saltem cum *aliquo* & non difficulter intelligi potest, jus vero Gentium *per plures & difficiles ratiocinationes & illationes* deducendum est. Opinio hæc falso laborat supposito, quod Jus Gentium ita sit inscriptum cordibus ac jus naturæ. Licet igitur naturales obligationes *omnes* possent ex sola ratiocinatione & illationibus clare & certo deduci, quod tamen falsum esse ostendimus *a n.* 118. ) nihilominus obligatio ex jure Gentium procedens non magis ac facilius *ex ratiocinio* solo deduci potest, ac obligatio ex lege civili vel canonica aliave positiva proveniens. Omnes enim obligationes hujusmodi non ex *intrinseca* bonitate

tate vel malitia objecti: sed ex *libero* Legislatorum placito desumendæ sunt; solum igitur ratiocinium & illationes discursusve logici nihil prorsus juvant, si aliunde nobis non constet de existentia legis positivæ verbi gratia humanæ, quale est Jus Gentium. Hujus proin notitia ex solo ratiocinio haberi nequit: sed opus habet studio, & lectione.

700. Rejicienda quoque est 3.) Recentiorum quorundam JCtorum distinctio, existimantium, hanc esse differentiam inter jus naturæ & Gentium, quod conclusiones *absolute*, seu absque *ulla suppositione & hypothesi* illatæ, ac ex naturæ principiis fluentes dicantur esse *juris naturæ*: reliquæ omnes ex *suppositione*, *seu hypothesi humanæ societatis*, vel *alia* deductæ spectent ad Jus Gentium. Palmaris enim falsitas asserti hujus patet *a num.* 205.) Ubi ostendimus obligationes hominis ex statu naturali *adventitio* provenientes esse omnes *hypotheticas*, ex suppositione scilicet alicujus novæ circumstantiæ ortas: & tamen illæ sunt naturales, ut liquet ex contractibus, promissionibus, dominio, quod tantum ex hypothesi rerum divisionis scimus nobis competere &c.

701. Idem Jus Gentium differt a *Jure Civili*. Primo, quia jus Civile non omnibus neque *fere* omnibus, etiam moratioribus Populis commune est: sed a quolibet Populo, Regno, Provincia, vel Civitate, ob speciales causas sibi *proprium* constituitur, *Can. jus Civile* 8. *dist.* 1. Contra vero juxta cit. §. sed jus 2. Inst. de J. N. G. & C. *Jus Gentium omni humano generi commune est: nam usu exigente &c. Gentes humanæ jura quædam sibi constituerunt*. Dein *secundo*, Jus Civile propter certi tantum Regni, Imperii, vel Provinciæ: Jus autem Gentium propter communem omnium vel multarum Nationum utilitatem introductum. Demum *tertio*; Quia præcepta Juris Gentium non scripto: sed moribus & pacto tacito, non unius vel alterius Civitatis aut Regni: verum omnium aut *pene* omnium Nationum constitisse certum est; contrarium autem experimur in Jure Civili.

## §. VII.

*Quis sit effectus, seu quæ obligatio oriatur ex jure Gentium.*

### SUMMARIUM.

702. *Jus Gent. parit obligationem in conscientia.*
703. *Falsum est, quod tantum sit* de consilio.
704. *Datur hujus alia ratio.*
705. *Et deducitur id ipsum ex natura pacti ac consuetudinis.*
706. *Illud obligat etiam supremos Principes.*
707. *Solvitur instantia contra obligationem juris Gentium.*
708. *Falsitas ejus ostenditur.*

702. Jus Gentium producere obligationem in conscientias, paucos, eosque hic infra refellendos si excipias, non dubitant eruditi Viri. Cum enim ex hactenus dictis constet Jus hoc habere vim legis: consequens est habere vim legis imperantis aliquid ut fiat, vel vetantis ne fiat, aut demum permittentis quidpiam ut Gentes libere in effectum, quod volunt, deducant, nullaque illas Gens alia aut Civis & membrum ejus impediat sine rationabili causa. Quæ singula exposuimus *a n.*682.) ubi jus Gentium divisimus *in affirmativum, negativum & permissivum*. Gravitas autem vel levitas obligationis assertæ desumenda est ex circumstantiis materiæ, circa quam lex illa violatur. Quodsi petas fundamentum obligationis hujusmodi, adstringentis conscientias hominum intra Communitatem Juri Gentium subjectam commorantium: id facile haberi potest ex communi omnium sensu, juxta quem Lex distinguitur essentialiter a consilio in hoc, quod Lex parendi necessitatem inducat, consilium autem libertatem sequendi relinquat: cum igitur Jus Gentium habeat vim legis non consilii, consequens est illam inducere moralem necessitatem, atque adeo obligare in conscientia.

703. Quod vero vim legis non meri consilii contineat Jus Gentium, evincit id uniformis omnium Nationum sententia. Hæ enim tanto zelo semper ferebantur, & adhuc feruntur pro juris hujusmodi accuratissima observatione, ut nullum majus scelus objecerint unquam, aut objicere soleant, quam juris inter Gentes liberi constituti

tuti violationem, adeo ut eam omnibus modis fas esse ulcisci existiment, uti constabit ex infra dicendis de Legatorum injuriosa tractatione &c. &c.

704. Cujus rei alia etiam est *ratio*. Quia scilicet juxta *cit.* §. 2. *Inst. de J. N. G. & C.* Gentes humanæ propter suam utilitatem, pacem, felicitatemque mutuam *jura quædam sibi constituerunt*: cum igitur juris hujusmodi violatio nequeat fieri sine publici boni felicitatisque earum detrimento, ita etiam neque esse potest sine peccato ejus qui illud violat: debet itaque dari obligatio in conscientia ad illa jura observanda, cum detur obligatio ad non inferendum præjudicium Gentium felicitati, paci & reciproco earum bono, consistenti in observantia certarum regularum, quas illæ ad hunc finem obtinendum constituerunt.

705. Demum, natura *pacti* cujusvis, atque adeo etiam *taciti* hæc est, ut obligationem in conscientiis paciscentium inducat: Porro Jus Gentium in pacto tacito Nationum uniformi usu, & consuetudine firmato, constitutum fuisse ostendimus *a n.* 671. & 677.) sequitur igitur eas non posse immunes fieri ab hujusmodi obligatione, cujus violatio repugnat *fidelitati & æquitati* sive *justitiæ*.

706. Neque hic tantum sistit *jus Gentium*, quod Nationes, quæ in id aliquomodo consenserunt, membraque earum seu cives obstringat: verum obligat quoque ipsos supremos Principes, & summa orbis capita, prout id erudite deducit *Lipsius* monit. polit. cap. 13. *Brunnemm.* ad l. omnes populi, ff. de J. & J. nu. 4. *Fleck.* Bibliothec. jur. *Civil.* l. 1. tit. 9. n. 6. Jus enim hoc sicut respicit omnium Gentium utilitatem, ita etiam communi consensu constitutum est, ac proin unius alteriusve etiam summa dignitate conspicui Principis contraria voluntate, quamdiu aliæ Nationes dissentiunt, excuti nequit. Gentes quippe non solum componuntur ex subditis: sed etiam ex Principibus & Magistratibus, tanquam capitibus cujusque Nationis. Hinc etiam in Gentium legibus habet locum illa regula: *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.* C. 29. de R. J. in 6.

707. Obligationi ex Jure Gentium provenienti, non obstat opinio *Conani*, l. 1. comment. Jur. civil. c. 6. num. 5. & *Vasquezii*, disput. 157. cap. 3. existimantium Jus Gentium a naturali distinctum non continere sub se præcepta, aut prohibitiones ullas, sed meras *concessiones*: seu nul-

nullum dari Jus Gentium præceptivum: sed mere *permissivum* aliquid agendi, vel non agendi; quin sub aliqua culpa obliget conscientias ad exercitium, vel omissionem actus.

708. Opinio enim hæc; præterquam quod acrius confutata sit a *Suarezio* de LL. l. 2. c. 18. *Gibalin.* scient. canon. & hieropolitic. l. 4. cap. 7. communiter etiam ab omnibus aliis rejicitur; *primo*) Propter adductas jam rationes, ex quibus probavimus Jure Gentium præcipi & prohiberi aliqua objecta, ita ut adsit obligatio parendi his dispositionibus; *secundo*) Quia omne jus *concessivum* per connexionem involvit jus *præceptivum* seu *prohibitivum* respectu aliorum, ne alterum impediant in usu libero concessi juris. Demum *tertio*) Falsum est; quod nullæ dentur leges Gentium præceptivæ & prohibentes, eas enim adduximus *a nu. 682.*) & nisi illas admittamus, sequitur veneni usum in bello justo esse licitum; certe enim jure naturali non est prohibitum, multo minus Divino, vel quovis alio a Gentium legibus distincto: Idem est de receptione Legatorum; ad quos honore afficiendos recipiendosque jus nat. minime obligat; si illi ab hoste publico missi veniant, neque parti læsæ debitam satisfactionem nomine sui Principalis spondere parati sint; & tamen jure Gentium spectato, his quoque sua immunitas & securitas debetur.

## §. VIII.

### *Quis Judex violatæ obligationis ex Jure Gentium descendentis: & ubi Forum?*

## SUMMARIUM.

709. *In causa Juris Gentium Judices sunt ipsę Gentes.*
710. Ratio *hujus affertur.*
711. *Causa juris Gentium violati potest esse universalis; vel particularis.*
712. *Causa particularis inter duas v.g. Gentes reducitur plerumque ad jus Gent. commune.*
713. Forma *judiciorum in causis juris Gentium declaratur.*
714. Momenta *ad defendendam causam juris Gent. unde petenda?*
715. Forum & Appellatio, *in causis juris Gentium assignatur.*

709. AD effectum juris Gentium reducitur præsens quæstio, de Judice & Foro competente, in quo

quo causa violati Juris Gentium cognosci possit. Quod igitur *primam* quæsiti partem concernit, concors est juris hujus peritorum sensus, qui respondent *Juris Gentium Judices esse ipsas Gentes*. Cum enim Jus hoc a Gentibus constitutum sit, quæ post DEUM, alium superiorem, qui Nationibus diversis jus dicat, non agnoscunt, consequens est, ut hi ipsi Populi per suos Commissarios & Legatos sint Arbitri & Judices, qui erant Conditores hujusmodi juris, juxta illud brocardicum: *Omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*, c. 1. de R. J. in 5.

710. Ratio quoque hujus alia in promptu est: si enim duæ v. g. Civitates aut Provinciæ prorsus ab omni subjectionis jugo & potestate humana liberæ consentirent in certum vivendi modum, hoc casu nemo esset Judex earum, nisi illæmet ipsæ: Porro in eadem conditione supponuntur fuisse omnes Gentes liberæ, dum facta rerum divisione novas fixerunt colonias, & temporum hominumque successione Jus Gentium constituerunt.

711. Potest autem bifariam cogitari causa violati Juris Gentium, scilicet vel universalis, vel particularis. *Universalis* (qualis v. gr. foret inter omnes Gentes *Europæas* contra omnes *Asiaticas* de non receptione Legatorum, aut impedita libertate commerciorum &c.) est *mere theorica*, & vix moraliter possibilis, ac proin speculationem hujusmodi causæ relinquimus iis Auctoribus, qui Jus Gentium dividunt in *Possibile seu abstractum*, & in *actuale* seu practicum, nos enim abstractiones hujusmodi divisionum *a num.* 681.) rejecimus. *Particularis* autem judiciorum hujuscemodi causa sæpius contingere potest unam inter & alteram Gentem; occasione variorum eventuum, scilicet fractæ pacis publicæ, violatorum fœderum, finium regundorum, læsæ securitatis Legatorum, commerciorum libertatis &c.

712. Negotia hujusmodi quamvis *particularia* sint si spectentur ut relata ad universitatem Nationum jure Gentium obligatam: nihilominus quia inter Gentes sibi non subordinatas tractari dignoscuntur: non ad aliud, quam ad Jus Gentium universale seu *commune* referenda sunt, juxta cujus sanctiones, & usu recepta Populorum placita decidi solent & debent. Quin tamen ideo aliquod *Jus Gentium* novum (quod sui Patroni *particulare* dicunt) constituant; pari ratione, ac licet in S. Rom. Imperio innumeræ causæ

deci-

decidantur secundum Jus commune, Romanis olim usitatum, inde tamen minime sequitur dari aliquod Jus Romanum *novum particulare*: sed potius casus particulares negotiorum, reducuntur ad Jus Romanum commune, juxta cujus regulas definiri ac decidi solent. Et hæc inter alias ratio est, cur *a n.681.*) divisiones juris Gentium in *particulare*, *pactitium*, *consuetudinarium*, *cæremoniarium* &c. exclusimus.

713. Forma Judiciorum in causis jure Gentium cognoscendis est eadem fere, quam & in Auctoribus legimus, & praxi fieri percipimus in Tractatibus de Pace inter Belligerantes, compositione mutuarum inter diversas Gentes petitionum, & hujusmodi aliis causis publicis. Nempe fit *CONGRESSUS* per Legatos, sive Mandatarios, aut Commissarios: producitur, si quæ est *Conventio* in scripturam redacta: allegatur *usus* & *acquiescentia* tacita, seu consuetudo: adhibentur etiam ARBITRI electi vel admissi, si electio vel admissio hæc *Credentialibus* Legatorum, seu Mandato quod a suis Principalibus habent, conformis est. Pro decisione vero difficilium quæstionum adhibebantur olim *SORTES*, & non raro etiam *Monomachia*, quæ sortium locum obtinebat. Hodierno tamen jure Gentium nec *Sortes* nec *Monomachiam* adhiberi in Judiciis saltem moratiorum, vix alicui obscurum esse potest. Quanquam *VVolfius* de J. N. & G. p.4. c.6. §.1157. in suis principiis sortilegia hujusmodi liberaliter admittat.

714. Momenta, Judices causam juris Gentium cognoscentes determinantia ad sententiam definitivam, præter æquitatem naturalem, sunt, aut *saltem* esse deberent *leges Gentium* communiter receptæ, pariter ac pacta conventa, consensus liber, simul cum usu unius & longæva acquiescentia alterius Gentis. Quamvis enim æquitas naturalis omnibus Judiciis præsidere debeat, hæc tamen non semper *sola* ad definitivam sententiam sufficit, si leges positivæ *justæ* alioqui & *certæ* præ oculis sint, quæ casum controversum decidunt. Ita Prætor Civilis in decidenda causa v. gr. mutui per filiumfamilias clam & invito Patre pro suis juvenilibus expensis contracti, non sumit motivum *immediate* ex jure naturæ: sed potius a Legibus *ff. de SCto Maced.* Par autem ratio est concludendi de Judicibus in negotio Jus Gentium concernente, quoties leges illarum certæ ac manifestæ sunt, nec quidpiam obstat, cur juxta eas pronuncient.

715. Quod

715. Quod *alteram* quæsiti *partem* concernit, est *FORUM* Gentibus inter se diffidentibus *competens*. Id autem post irritos amicabiles congressus ac indecisa gravamina, aliud non est, quam *Martius campus*, & *bellum*. Alius enim Gentibus liberis, & inter se æqualibus appellationis locus non suppetit, quam si pro dirimenda lite ad *Martem* provocent, prout eleganter sentit *Cassiodorus* l. 3. epist. dicens: *Tunc solum utile est concurrere ad arma, cum locum apud hostem invenire non potest justitia.* De his autem plura suo loco dicentur, ubi de *Jure belli* tractatum fuerit.

## §. IX.

### *An jus Gentium sit mutabile: & utrum admittat interpretationem?*

### S U M M A R I U M.

716. *Jus Gent.* absolute *loquendo est mutabile.*
717. *Id tamen* moraliter *contingere nequit ut* totum *mutetur.*
718. *Opponitur* instantia *pro mutabilitate Juris Gent. saltem* in parte.
719. *Respondetur ex renunciatione juris Gent.* permissivi *nil inferri.*
720. *Christianis competit jus in mancipia Turcica; & quomodo?*
721. *Ex mutatione jurium particularium inter aliquas Gentes, non sequitur mutabilitas juris Gentium* communis.
722. *Declaratur id exemplo circa Jus commune Romano-Civile.*
723. *Uni Genti contra alias non datur* Exceptio *in casu Juris Gent. communis.*
724. *Illis enim competet Jus* Retorsionis.
725. &c. Interpretatio *Juris Gent. unde petenda?*
728. *Qui sint Auctores legendi ad Jus Gent.* practice *discendum?*

716. NOn desunt quidem plerique eruditi Viri, qui dubitent super *mutabilitate* Juris Gentium *communis*, alii vero cum *Hobbesio*, *Puffendorfio* & horum sequacibus sine ulla hæsitatione negant ejus possibilitatem, eo quod putent jus Gentium *positivum* nullum dari distinctum a naturali Lege. Verum cum hæc opinio jam convulsa sit *a n. 662.*) non amplius ponit obicem mox decidendæ quæstioni ad quam

Dicendum est I.) Jus Gentium commune *absolute loquendo* posse mutari non tantum per *accidens* ratione mutatæ *materiæ*: sed etiam directe *in se ipso* ac formaliter, ita ut prorsus desinat, & tam in parte, quam *in toto* abrogetur. Ita cum aliis existimante *Molin.* tr. 1. de J. & J. d. 4. nu. 6. *Gibalin.* l. 4. c. 7. q. 3. n. 3. *Franz.* Inst. de J. N. G. & C. p. 2. n. 19. *Gletle* ad eund. tit. & communius ceteris. *Ratio* hujus est: quia jus Gentium ab hominum consensu & pacto tacito per usum & consuetudinem longævam firmato originem suam trahit: igitur consensu & pacto contrario vel immemoriali non usu aut adversa consuetudine tolli & abrogari potest. Iisdem quippe causis dissolvi res omnis potest, quibus *libere* constituitur. Sicut autem liberum Gentibus fuerat Jus hujusmodi initio constituere vel non, ita nil obstat, quo minus illud retinere, vel abrogare eadem libertate queant. Quo etiam facit, quod objecta Juris hujus, (quod mere Jus Gentium *positivum* est) non sint res *intrinsece* & de se malæ, adeo ut sit absoluta necessitas illa prohibendi; aut *intrinsece* & *de se* bonæ, ut exigant absolute præcipi. Nam præcepta Gentium consensu introducta, licet ex principiis naturalibus deducantur, ita tamen solum ab illis procedunt, ut ex iis non inferantur per illationem aliquam *necessariam*, quomodo infertur v. g. præceptum de non pejerando, mentiendo, furando &c. verum ex *sola convenientia*, quatenus rectæ rationi sunt conformia, & conducunt societati humanæ ad *majorem perfectionem* mutui amoris, & vel maxime ad reciprocum juvamen in necessitatibus & indigentiis vitæ hujus sublevandis: Igitur Jus hoc est portio juris arbitrarii humani, seu *positivi*, potest itaque mutari, abrogari, & tolli, vel augeri, sicut & alia jura positiva, *arg. l. nihil* 35. *ff. de Reg. Jur.*

717. Fatendum tamen est II.) quod licet *absolute loquendo*, possit Jus Gentium mutari & abrogari nedum in aliqua sui parte, sed etiam in toto: nihilominus *moraliter* impossibile videtur, ut illud *totum* ac omni ex parte desinat, eliminetur, aut quo ad singula capita & articulos immutetur. Cum enim jus hoc ob Gentium utilitatem, earumque consensu & cum obligatione mutua introductum sit ad id plene immutandum vel abrogandum requireretur *aliquis* consensus aut usus contrarius omnium, vel *pene* omnium Nationum harum, a quibus introductum est, & apud quas hodie viget, juxta *cit.* brocardicum ex Reg. 29. Jur. in 6.

quod

*quod omnes tangit ab omnibus approbari debet*: Porro consensus hujusmodi & usus contrarius *uniformis* & omnibus aut quasi omnibus Gentibus communis dari *regulariter* & practice nequit. Tum quod humano modo contingere *efficaciter* nequeat; ut ab usu & consuetudine aliquot millium annorum spatio continuata Gentes facile resiliant: tum quod omnino non expediat ut fiat hujusmodi abrogatio; ob gravissima incommoda, quæ inde sequerentur; si v. gr. rerum divisio tolleretur; si Legatorum securitas & immunitas non amplius observanda foret; & commerciorum libertas cessare deberet &c.

718. Neque his obstabit, si in contrarium dicas: potest aliquis cedere juri suo privata auctoritate & non expetito consensu aliarum Gentium, etiamsi jus illud earum pacto tacito, usu; ac consensu introductum sit. Ita quippe Jus Gentium de *servitute* captivorum in bello justo mutatum est apud Christianos; propter antiquam consuetudinem Ecclesiæ, & ob reverentiam nominis Christiani, quod omnino servandum esse notat *Bartol.* in L. Hostis. ff. de captiv. n. 6. & *Covarruv.* plures alios referens in Regula *peccatum* 2. par. §. 11. n. 6. Igitur Jus Gentium omnibus vel plerisque *commune* saltem *in parte* mutari potest sine aliorum Nationum consensu: admissa vero hac *partiali* mutatione, nihil oberit, quo minus *sensim* singulæ leges Gentium, atque adeo *totum* Jus hoc per partes evacuetur & desinat.

719. Verum nondum sequitur illatum. Quia ubi de mutabilitate Juris Gentium quæritur, dubium procedit, de præceptis *affirmativis* & *negativis* obligationem inter gentes *mutuam* inducentibus, an hæ in toto vel in parte mutari, vel abrogari possint, invitis aliis Nationibus: Porro instantia de captivis & jure *servitutis militaris* adducta non continet ullum præceptum; sed mere est juris Gentium *permissivi*; seu concessivi, quod exposuimus *a num.* 682.) Juri autem *permissivo* posse quemvis renunciare, nemo unquam ambigit, per l. Si Judex 41. ff. de Minor. *unicuique licet contemnere hæc, quæ pro se introducta sunt*. Tanto magis autem unaquæque Gens potest suo favori renunciare, quomodo renunciasse censentur populi Christiani, ne suos Christianos *servitutis* proprie dictæ & Jure Gentium introductæ jugo submittant. Nihilominus renunciatio hujusmodi, seu *merus non usus* haud dicendus est immutasse Jus Gentium quo ad servitutes. Quia Gentes

 Infi-

Infideles ficut ex fua parte nunquam confenfum in generalem *fervitutum militarium* abrogationem præftiterunt, ita pro *fuo intereffe*, & quantum eas concernit, infiftunt Juri eidem, Chriftianofque captivos, pariter ac alios, ut vera mancipia tractant; quin Chriftiani conqueri poffint de violato hac in parte jure Gentium per Infideles, quomodo conquererentur alioqui: fi v. g. Legatis eorum non præftarent debitam immunitatem, aliave jura Gentium obligationis mutuæ vim habentia violarent.

720. Id tamen intermittendum non eft, quod ubi *Turcæ* aliique Infideles infiftunt juri fuo quo ad *fervitutes militares*; Chriftianis quoque competat jus idem in captivos Infidelium, idque tum ideo, quod Chriftiani jure fuo ceffferint tantum ex *fpeciali ratione*, & quoad *Chriftianos* bello captos, neque hæc ceffio five confuetudo inducta fuerit aliter, quam inter folas Gentes Chriftianas, tanquam *partes* totius reipublicæ Chriftianæ; tum etiam ex hac ratione: quod Chriftianis competat *jus Retorfionis* contra Turcas & alios Infideles, captivos noftros ut mancipia tractantes.

Imo non effet confultum Turcica mancipia a Chriftianis meliore loco & obfervantia haberi, cum illi innata barbarie fua ducti abutantur Chriftiana (fi quæ iis exhibeatur) clementia, uti ex pernicioffiffimo exemplo Melitenfi anni 1749. didicimus, quando hujusmodi mancipium Turcicum inter barbaros alioqui nobile (*Baffa* nimirum captivus) multa libertate fibi in Melitenfi infula humaniter indulta abufum, confpirationem in Infulam moliri & adornare aufum eft, volens occifis omnibus Equitibus, eam prodere, ac tradere Turcis. Confer cum his dicenda *a n.* 804.)

721. Sunt non pauci adhuc Interpretes, qui volunt Jus Gentium *particulare*, inter unam fcilicet aut tres vel plures alias Nationes fpeciali pacto conftitutum poffe immutari vel abrogari de mutuo confenfu: inde vero concludunt jus Gentium *improprie* dictum effe etiam *moraliter* ac facili negotio mutabile. Verum refponfionem hanc merito præoccupavimus *a n.* 681. & 712.) rejiciendo divifionem Juris Gentium in *proprium* ac *improprium*: *univerfale*, *particulare* &c. neque enim meretur nomen Juris Gentium, quod inter unam & alteram Provinciam ex *fpeciali* ratione conftituitur. Hinc recte *Suarez* l. 2. de LL. c. ult. n. 7. Jus hu-

hujusmodi respectu pacifcentium duorum aut plurium Regnorum vocat *mère civile*. Cujus opinionis est quoque cum aliis *Grotius* l. 2. c. 3. §. 5. ubi ait, tale jus *non habere vim pacti inter Gentes : sed esse JUS CIVILE PLURIUM GENTIUM distributum, quod a singulis tolli potest*, si nempe resiliant a pacto. *Isidorus* autem apud laudatum *Suari* l. c. cap. 19. n. 8. Jus Gentium nullum aliud agnoscens, quam id solum quod omnes vel quasi omnes Populi servare tenentur : reliqua jura quæ inter particulares Nationes aliquot, vel plures reperiri constat, jus Gentium *abusive*, seu *per convenientiam* tantum & *similitudinem* appellari docet.

722. Quapropter, sicut dum controvertimus, quid juris sit v. g. spectato *Jure communi Romano*; non debet in censum venire jus Statutarium, Provinciale, Municipale, & alia particularia : ita ubi quæstio procedit de *Jure Gentium communi*, omnes, aut saltem moratiores Nationes concernente, particulares conventiones unius alteriusve civitatis, aut Regni vel Provinciæ cum altera, non sunt sub schema Juris Gentium trahendæ, alioqui leges Gentium in infinitum excrescent, cum tamen (*a n. 663.*) constet eas dari admodum paucas.

723. Ex his autem liquet, quod in puncto juris Gentium *communis*, non detur beneficium *exceptionis* uni Nationi contra alteram, aut reliquas omnes Gentes, v. g. si illa nollens commerciorum libertatem pati, excludat omnes extraneos Mercatores, non admittat Legatos, utatur veneno belli tempore, hostem victum, qui arma jam in acie deposuit, non redigat in servitutem : sed inermem trucidet &c. hanc solam istorum afferendo causam, quod aut Antecessores sui nunquam consensum ullum in hæc & similia objecta præbuerint, aut contraria consuetudo apud se vigeat. His enim casibus reliquæ Gentes, omissa disputatione & examine hujusmodi exceptionum, utentur *jure Retorsionis* contra ita excipientem, donec Gens hæc, si velit sua frui felicitate, sociali vitæ se accommodet ; & ea observet, quorum transgressio vergit *in detrimentum* aliarum. Hæ enim acquirunt jus se tuendi contra illam, quæ jus Gentium excluderet cum præjudicio ceterarum Nationum.

724. Nec refert, quod *retorsio juris iniqui* prædictis casibus proveniat ex jure naturæ *permittente* vim vi reprimere, & se indemnem facere contra iniquitatem aliorum :

Nam licet *retorsio* hæc spectet ad Jus naturæ *permissivum*, eo quod naturali jure unaquæque Gens libera sit æqualis alteri simili libertate præditæ: ac proin ubi citra Gentium aliarum consensum introducitur inæqualitas vergens in damnum reliquarum, naturalis Lex permittit ipsis reductionem æqualitati. : tamen adhuc hæc ipsa retorsio *quo ad formam seu modum*, est juris Gentium, ut constabit ex infra dicendis *de Repressaliis*.

725. *INTERPRETATIO* iuris Gentium *dubii & controversi*, si quæstio concludi nequeat per Legatos variarum Nationum, spectet ne casus aliquis ad jus Gentium vel non: petenda est ex Scriptoribus probatis antiquioribus, tum recentioribus, qui attestantur quid moris olim fuerit inter liberas Nationes, & quid sit hodie. Cum enim quælibet consuetudo probetur per frequentationem actuum debito tempore durantem, ut inde populi consensus elici possit: consequens est, ut etiam consuetudo circa actus Juris Gentium, simili modo probanda sit: porro conditio humana mortalitati obnoxia non finit ita diu vivere quempiam, ut de actibus hujusmodi ante mille, vel plures sive pauciores annos frequentatis aut non frequentatis testimonium perhibere possit: igitur mortui sunt consulendi, nempe ad Auctores classicos recurrendum est, qua Ethnicos, qua Christianos, ex his facile concludi poterit, quid apud Gentes in more positum fuerit, vel non. Quippe *consuetudo natura potentior est*, ait Curtius *lib.* 5. Et non tantum in causis civilibus, sed etiam Gentium controversiis standum esse testimoniis veterum & recentiorum hominum, censet *Macrobius* l. 7. saturnal. In eundem sensum abiit *Zonar.* in Basil. Perph. tom. 3. dicens: *Consuetudinem Gentes instar legis se habere pronunciant.* Dummodo illa non fuerit contra rectam rationem, jus nat. vel Divinum.

726. Quia vero nunquam contingere *in praxi* potest aliquis casus mere theoricus, & a *particularibus* Regnorum, Provinciarum, Nationumque *certarum* circumstantiis adeo abstractus, ut prudenter ambigi possit, quid sit vel non sit juris Gentium; quin simul veniat in quæstionem, quid prædictum jus Gentium *hic & nunc*, in his occasionibus permittat, aut præcipiat: Hinc ad hujusmodi dubia resolvenda expedit consulere Auctores, qui de moribus & gestis illarum, de quibus dubium oritur, Nationum, scripserunt. Licet enim, juxta superius probata, Jus Gentium parti-

*particulare* unius alteriusve Populi nullum detur, sed potius *jus Civile* dicendum sit, quod illas particulares Gentes ob *specialem* conventionem reciproce obligat; tamen etiam circa casus juris Gentium *communis* in multis Nationibus reperiuntur *quædam limitationes*, contrariæ consuetudines &c. Ita v. g. apud *Carthaginenses* olim valebat emptio, & cursus monetæ pecuniariæ suum solemne tenuit, contra vero apud *Thulenses* & populos *Atlantidis* sola vigebat rerum permutatio in earum natura, quin pecunia ulla admitteretur: *Chinenses* præalto muro cincti nulla extraneorum commercia admittebant, alii vero Populi libertate commerciorum gaudere etiam in eorum regionibus voluerunt: Apud Christianos jus *servitutis militaris* respectu captivorum baptizatorum nullum extat, bene vero apud Turcas & alios infideles &c. & tamen apud omnes has similesve Gentes Jus Gentium *commune* viget: sed *quo ad modum*, ac quasdam circumstantias particulares limitatum.

727. Ad has particulares circumstantias dignoscendas, expedit ut is, qui jus Gentium solide addiscere cupit, habeat etiam uberem notitiam Historiæ, & Auctorum, eorum præsertim, qui tractant de statu ac rebus ejus Nationis, in qua unusquisque vitam degit. Atque ita e. gr. Germanus, postquam in Scholis & Academiis aliquid confuse ac in genere percepit de jure Gentium communi, ut hoc ipsum etiam quo ad *particulares* casus & circumstantias practice addiscat perficiatque; legat, si placet, libros qui jus Gentium circumscriptum ac in plerisque limitatum exhibent, serviuntque pro Natione nostra Germanica & aliis vicinis, cum quibus illa sæpius in variis negotiis communicat.

728. Tales autem Auctores, & eorum libri esse possunt sequentes; *Diarium Europæum cum appendicibus*: Thucelii *Acta* VVIII. *sæculi*: Rousset *tr. des interets des Princes, & des pretensions des puissances de l'Europe*: Everardi Ottonis *Notitia præcipuarum Europæ Rerumpublicarum*: L. B. a Zech, *Fecialis Europæus*; seu *sub ficto Franckenbergii nomine in lucem editus*: Conringii *Respublicæ, tom.* 4. Tacitus *de Moribus Germanorum*: Bynkershoek *de dominio maris*: Du Mont *Corps diplomatique*: Leibnitii *Codex juris Gentium diplomaticus cum mantissa*: Londorpii *Acta publica*: Lunigii *scripta pleraque, ejusque Consilia*: Acta pu-

blica *Pacis VVestphalicæ*: Huberus *de jure Civitatis*: Wicquefortius *traité de l'Ambassad. & ses fonctions*: Domat, *traité des Loix civiles dans leur ordre naturel*: Glaffei, *seu* Schvvederi *Theatrum pretensionum*. Et ejusdem Auctoris *Methode pour etudier la Geographie* par Mr. l'Abbè Lenglet Dufresnoy. Præclarum hoc opus omnium fere Gentium continet mores, pacta, fœdera, varios eventus illarum & obligationes, plurimumque contribuit ad perfectam in Jure Gentium eruditionem, quam non parum expoliet Burcardi Gotthelfii Struvi *Corpus juris Publici Imperii nostri Romano-Germanici*: P. Binner *Apparat. erudit. pars VI. VII. VIII.*

§. X.

*Quod sit principium indicativum juris Gentium; seu, ex quo desumendum, quod aliquid ad jus Gentium spectet?*

SUMMARIUM.

729. Primum *signum juris Gent. communis utilitas vel necessitas.*
730. Alterum *signum est sensus communis hominum.*
731. *Adminicula hujus signi petenda ex Auctoribus probatis.*
732. *Qualis actuum frequentia requiritur ad introducendum jus Gentium?*

729. PRincipium *indicativum* Juris Gentium ex duplici signo colligendum est, scilicet I.) ex communi *utilitate* vel *necessitate* inter omnes, aut saltem *ferè* omnes Gentes. Fundamentum autem principii seu signi hujus indicativi præbet sapientissimus Imperator Justinianus in §. *sed jus* 2. *Inst. de J. N. G. & C.* dicens: *usu exigente & humanis NECESSITATIBUS Gentes humanæ JURA quędam sibi constituerunt*: igitur cum ad communem Gentium utilitatem spectet, ut v. g. commercia sint libera: bellum non geratur sine præviis *Fecialibus*, seu absque solemni declaratione ac intimatione: arma veneno non imbuantur: hostes victi & jam inermes non occidantur: Legati, quamdiu nihil in perniciem Gentis, ad quam venerunt, machinari incipiunt, sua immunitate gaudeant; hæc & similia alia Juris Gentium esse recte dignoscuntur, quia valde *utilia* sunt bono singularum Gentium, ac *extrinsece* necessaria ad vitam socialem felicitatemque *civilem* Populorum.

730. De-

730. Demum II. ) eadem Juris Gentium ratio colligitur quoque ex *communi*, vel saltem *potiori* moratiorum Gentium *sensu* ac judicio. Si nempe pleræque Nationes, quę ratione recte utuntur ( saltem in quantum hæc convenit cum *communi utilitate*, vel necessitate ) aliquid judicant, ipsoque usu declarant, esse Juris Gentium. *Ratio* hujus alterius signi desumitur ex unanimi etiam Ethnicorum, ac præsertim *Ciceronis* judicio l. 2. de LL. dicentis: *Omni in re consensus Gentium lex quædam putanda est*, neque enim in rebus sensui obviis, ac captum humanum non excedentibus præsumendi sunt omnes errare, si quid rationabiliter afferant.

731. Inter adminicula autem discernendi Juris Gentium *positivis communis* veniunt etiam Auctores *Classici* & *probati*, de quibus hic supra egimus. Hi si unanimiter affirment hoc vel illud in bellis, congressibus, pacificationibus, fœderibus &c. constanter fuisse a pluribus variisque Gentibus observatum: iis fides adhibenda est. Dummodo partium studio vel odio non sint præoccupati.

732. Quod si quæras, quot actus requirantur ad Jus Gentium introducendum, & unde dignosci possit, quod aliquod objectum sit jam factum *commune* plerisque Nationibus? Respondet *Textor* in Synopsi J. G. cap. 1. n. 21. *absolute* quidem respectu omnium Gentium requiri plures actus: *relative* vero ad singulas Gentes unicum actum sufficere, quod exemplo declarat in materia pacificationis, aut belli. Nam si in hoc aliquid semel & successive sit observatum pro Jure inter Imperatorem Romano-Germanicum & Turcicum: postea inter Regem Hispaniæ & Galliæ, deinde inter Britannos & Batavos, tandem inter Suecos & Danos &c. hæc observantia respectu omnium Gentium ex pluribus actibus coalescit, licet respectu singularum Nationum unicum duntaxat actum contineat. Id tamen sufficit; ne alias si plures actus exigantur, Juris Gentium probatio cum magno Rerumpublicarum damno nimium difficilis reddatur. Ita quidem *Textor* loc. cit. limitationem tamen patitur hæc sua assertio, ut scilicet procedat in casibus *innoxiæ utilitatis*, non item si concurrat *præjudicium tertii*, nempe gravamen contineat alterius Gentis, vel plurium. Hoc quippe casu sicut Jus Gentium non habet locum, ita nec unicus actus, imo neque sæpius repetiti, nomen juris: sed potius injuriæ stigma merebuntur.

CA-

## CAPUT II.

### De origine dominii, & modis ejus acquirendi originariis.

### §. I.

*Quæ sit origo dominii, ejus divisio, & reliquæ proprietates?*

S U M M A R I U M.

733. *Quid sit dominium proprietatis?*
734. &c. *Quæ ejus origo & causa?*
737. &c. *An fuerit aliquando bonorum communio?*
740. &c. *Modi acquirendi dominii* Originarii *&* derivativi *sunt.*
742. *Modi derivativi alii* a Facto, *alii* a Lege *proveniunt.*
743. *Modi* a Facto *provenientes, præter contractum Matrimonialem, male attribuuntur Juri nat. nec satis* bene *Juri Gent.*
744. *Nec melius illi attribuitur* succeſſio ab inteſtato.
745. &c. *Imo &* Factio teſtamenti *translativa dominii, ac* præſcriptio.
747. &c. *Inducitur diviſio dominii in ſuas ſpecies.*

733. DOminium *proprietatis*, quale inter homines reperitur, idque *plenum* & perfectum recte definitur a Bartolo, quod ſit jus ſeu *facultas perfecte diſponendi de re corporali tanquam ſua; niſi quis lege prohibeatur*. Dixi, de re *corporali*, quia *incorporalia* (uti ſunt officia, jura, poſſidentur *quaſi dominio*. Ut vero definitio etiam incorporalium rerum dominio competat, ſunt qui dominium plenum aliter definiunt, quod ſcilicet *ſit jus in re extendens ſe ad omnem ejus uſum, niſi lege prohibeatur*.

734. Ita definiti dominii *origo* ex triplici *cauſa* colligi poteſt, ſcilicet ex univerſali, particulari, & fundamentali. *Cauſa Univerſalis* dominii eſt Auctor naturæ DEUS. *Cauſa particularis* eſt aliquis juſtus titulus v. g. ex *occupatione, diviſione, donatione, emptione* &c. vi cujus res fit noſtri juris; verum de hac cauſa dominii, utpote non tam

*ad*

*ad originariam*, quam potius ad *derivatam* dominii acquisitionem spectante, suo loco hic infra agemus. Causa vero *Fundamentalis* seu *motiva* habetur ab *exigentia naturæ* humanæ. Ex hypothesi enim quod DEUS creaverit hominem indigentem sustentatione ad sui conservationem, & alimentis, aliisque rebus fini conservationis hujus idoneis, consequens fuit, ut ei permitteret facultatem utendi rebus creatis, sine quibus vita humana conservari naturaliter non posset. Cum autem a DEO permissus sit usus non solius *facti*: sed etiam *juris* consistens in destructione, permutatione aut alienatione rerum creatarum: inde dignoscitur homini concessum fuisse dominium *plenum* in creaturas conservationi vitæ idoneas, juxta illud *Davidis* Ps. 8. *Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi; volucres cæli, & pisces maris*. Tum *Gen*. 9. *v*. 3. DEUS ipse hoc privilegium concessisse legitur, dicens: *Omne quod movetur & vivit, erit vobis in cibum, quasi olera virentia tradidi vobis omnia*.

735. Prima autem seu *originaria* dominii acquisitio (ut omittamus ambages, quæ a plerisque afferuntur) hunc in modum facta est. Posteri *Adæ* Protoparentis nostri in hunc mundum veluti in amplissimam domum, opibus refertam & numeroso habitatore carentem venientes, ut quisque prior aliquid *occupasset*, ita quoque Dominus illius efficiebatur. Quodsi dubium erat uter prior occupasset, vel si ante occupationem plures competitores ad idem aspirabant, *sorte* decidebatur. Atque adeo *occupatio* & *sortitio* originarius fuit modus acquirendi dominii.

736. Neque obstat his, quod res omnes initio ab Auctore naturæ DEO *velut in medio hominibus expositæ* fuerint, ut non magis ad hunc quam alium pertinerent. Nam hoc *generale* ac *indefinitum* dominium fuit initio naturæ humanæ nondum in sua specie multiplicatæ, non autem postquam hæc aucta est. Quia enim DEUS O. M. dedit hominibus facultatem, sic disponendi circa res omnes, prout conditio Generis humani, ratio pacis & felicitatis, bonique ordinis in eodem conservandi videretur exigere, hinc factum est, ut etiam longe ante *Diluvium* prima rerum *occupatio*, & *sortitio*, consequenter dominium proprietatis locum habuerint, quod ipsum evenisse etiam post *Diluvium*, ubi *Noachidarum* posteri multiplicati sunt, longe probabilius est, adeo, ut priusquam linguarum confusio, &

Gen-

Gentium divisio seu dispersio subsecuta fuerit, dominium proprietatis ex prima *occupatione* aut *sortitione* ortum suum inter Gentes illas ex *Sem*, *Cham*, & *Japhet* prognatas habuerit.

737. Hanc ob causam merito amplectenda est illa opinio, quæ communius docet; quod *rerum communio primæva*, si quæ fuit, ad summum initio tantum, & tunc, cum adhuc inter paucos subsisteret mortalium genus, viguerit, quin diu duraret. Prout id ex hac trina ratione colligere licet. I.) Quia frequens habetur sacræ historiæ testimonium, quod primi illi homines non solum fructus, sed & pecora atque fundos jure proprio sibi asseruerint. Et liquet ex *Gen.* 4. ubi *Abel* proprios greges habuisse legitur in his verbis: *Abel quoque obtulit de primogenitis gregis SUI.* II.) Quia nec pecus sine cura, nec terra sine cultura multum profert: tanto minus autem illa opimos fructus proferre ex *se ipsa* & sine omni cultura potuit post prævaricationem *Adæ*, ubi ei ac posteris suis dictum est, *in sudore vultus sui vesceris pane: maledicta terra in opere tuo, spinas & tribulos germinabit tibi*, Gen. 3. Maledicta igitur terra hæc ut fructum sustentationi sufficientem redderet, indiguit labore, sudore humano & cultura: atqui non est credibile, quod fructus terræ unius alteriusve labore & cultura parti ac provenientes, spectarint communiter ad omnes alios, etiam eos qui laborem suum circa eam excolendam non impenderunt; alioqui inter illos naturæ jam per peccatum vitiatæ homines, facile exorirentur dissidia, contentiones, cædes & inquietudo: si igitur non agrorum, saltem quilibet suorum laborum fructus sibi proprios debuit habere. III.) Quia statim a prævaricatione *Adami & Evæ* crescente numero hominum, crescebat etiam *cupido habendi*, seque inter alios opibus, armentis ac possessionibus distinguendi: verisimilius itaque est; a primæva illa, si quæ fuit, communione, longe ante Gentium divisionem seu in varias mundi plagas dispersionem, jam recessum fuisse, ita, ut prima *occupatio*, aut *sortitio* justum dominii titulum præbuerit, saltem quo ad *speciem*, seu quo ad individua rerum occupatarum. Nam *corpora* ex quibus res illæ occupatæ provenerant, cum essent longe plura, quam a paucis habitatoribus occupari & capi possent, ad nullius particulare dominium spectabant: sed potius manebant sub dominio *generali indefinito ac communi* totius generis humani, usque dum hoc

multi-

multiplicato illa etiam occuparentur. Atque ex hac deductione liquet *primævam rerum communionem* non fuisse aliam: quam quo ad res *nondum* a quopiam *occupatas*, nec eam extitisse unquam universalem.

738. Si opponas: prima occupatio illa non fuit legitimus titulus dominii, quia non nitebatur adhuc ulla consuetudine jus Gentium fundante, atque adeo ubi plures nati sunt homines, hos prima occupatio haud potuit arcere, quo minus res illas tanquam communes usurpare citra ullam injustitiam possent. *Contra* erit *primo*.) quod initio, quo Genus humanum cæpit multiplicari, cum vastitas terræ rerumque copia longe fuisset major, quam a paucis hominibus occupari posset, nullum fuerit periculum, ne cæteri homines nascituri necessariis alimentis carerent, penuriamque aliquam pati cogerentur, consequenter neque opus fuit consuetudine jus Gentium, utpote nondum existentium, fundante; sufficiebat igitur jus naturale permissivum, ac *generalis* ordinatio Divina; quæ res omnes creatas sublunares dominio humano subjecit. *Secundo*.) Tanto minus opus fuit aliqua Gentium nondum natarum approbatione, quia prima occupatio illa jus proprietatis inducens versabatur *ut plurimum* circa res mobiles, labore & sudore habitatorum partas, acquisitas & excultas; illa igitur terrarum spatia quibus excolendis habitatorum labor & industria non sufficiebant, tam quo ad usumfructum, quam & proprietatem, sub nullius manebant *particulari* dominio, hinc supervenientes novi homines, ad similitudinem priorum poterant occupare, excolere, & illis frui. Iniquum vero esset, si in labores aliorum intrare præsumerent, sibique usurparent ea, pro quibus non laborarunt.

739. Quæ autem diximus de *Originaria* dominii acquisitione ante *Diluvium*, idem cum proportione locum habet etiam post *Diluvium*, utroque enim temporis statu initio homines erant pauci, terra autem vasta & multis bonis referta. Deinde crescente genere humano ex *Noe* Patriarcha ejusque filiis prognato, partes illæ terræ ac regionum rerumque in illis reperibilium multipliciter & prope in infinitum sectæ, divisæ & distractæ sunt, uti patet ex sacræ historiæ testimonio *Gen.* 10. de filiis *Noe*, scilicet *Sem*, *Cham*, *&* *Japhet*, dicente: *Ab his divisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, unusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis.*

740. Ex

740. Ex his autem colligi potest, modos acquirendi dominii positos esse in duplici classe, *Originarios* scilicet & *Derivativos*. Modis *originariis* acquiruntur res, quæ vel nullius sunt, vel communes; quales erant res omnes sublunares Generi humano ab Auctore naturæ attributæ; priusquam posteri, *Adæ* ac dein *Noachidarum* successores eas sibi speciali titulo proprias fecissent. Modis vero *Derivativis* dominium speciali aliquo titulo acquisitum uni, ab hoc transfertur in alium. Ambo hi modi iterum sunt vel *principales*, vel *accessorii*: per illos acquiruntur res ipsæ; per hos *rerum accessiones*.

741. Inter *Originarios* modos juxta dicta *a n. 735.* ) est *Occupatio* & *divisio*, quam utramque inter modos acquirendi dominii Jure Gentium introductos, satis concordi opinione recensent Auctores, quidquid sit, quod *Hobbesius*, *Puffendorfius* & alii, qui jus Gentium positivum a naturali ac necessario distinctum non admittunt, *occupationem* non ex jure Gentium: sed *immediate ex naturali derivent*; quorum opinio confutata jam est *a n. 662.* ) & uberius constabit de his ex infra dicendis.

742. Jam vero inter modos acquirendi dominii *derivativos*, seu eos, quibus proprietas ab uno *derivatur* in alium; duplicis sortis reperiuntur. Alii enim sunt, qui habentur *a facto*; seu a voluntate unius dominium transferentis, & alterius acceptantis. Alii demum proveniunt *a lege*, seu dispositione juris, dominium quandoque *invito* etiam domino, transferentis. Ad priores modos, seu *in facto* consistentes referuntur *contractus*, *pacta*, *spontaneæ renunciationes*, *alienationes*, *donationes*, *ultimæ voluntates*; & alia hujusmodi, a libera domini voluntate procedentia. Ad posteriores autem seu ad modos *a lege* provenientes reducuntur: *successio ab intestato*, *testamentorum factio*, *usucapio & præscriptio*. Hi inquam soli modi jure Gentium introducti passim cum *Grotio* & aliis asseruntur, reliqui autem ad jus civile relegantur: sed an recte? per decursum hujus & sequentis capitis constabit, ubi hæc singula vocabuntur ad examen.

743. Hic & nunc autem, ne memoria elabatur, sufficiat innuere I. ) quod modi transferendi dominii *in Facto*, seu voluntate humana fundati ( excepto contractu matrimoniali, de quo alibi agemus ) non profluant a jure naturæ, nisi mere *negative*, quatenus scilicet *pure concessa* est

co-

eorum factio. Jam vero a *Jure Gentium* illi remote solum in genere, ac *quo ad originem* habentur: Proxime autem & in specie proveniunt *a Jure Civili*, tam quo ad substantiam, quam quoad formam, etsi obligatio illorum sit juris naturalis, ut liquet ex *n.* 675. )

744. Demum II. ) loquendo de modis acquirendi *derivativis*, a *lege*, seu ( ut a Grotio & aliis asseritur ) *Gentium Jure* introductis; *Primus* modus nempe *successio ab intestato* nihil *speciale* participat a Jure naturæ, nisi id solum quod jure hoc sit *permissa*, sicut & alii honesti actus permittuntur, si illis jus positivum non resistat. Unde *Successio* hæc simpliciter loquendo, habetur a *jure Gentium* quo ad suam originem; *quo ad modum autem* fluit a Jure civili. *Ratio* prioris partis est; quia ejusmodi successionem exigit felicitas publica, ne bona maneant incerta, litibusque exposita. *Ratio* posterioris asserti est: Quia *modus successionis* non tam spectat ad felicitatem Gentium *publicam*, quam privatam cujusvis particularis Reipublicæ: & quia Gentes nullum successionibus *modum stabilem* præscripserunt: igitur hic a jure civili determinari debuit.

745. Simili ratione III.) *Translatio dominii* per ultimam voluntatem, quæ est *declaratio voluntatis* de bonis post mortem, *salvo in vivis dominio*, non provenit a jure *naturæ*, vel *Gentium* alio, quam pure permissivo. Idque ex hac ratione *primo*. ) Quia jus nat. neminem obligat ad ejusmodi dispositionem, cum hæc non sit necessaria, sufficiente successione ab intestato. *Secundo*. ) Quia testamentaria dispositio *proxime* non spectat ad bonum commune Gentium; cui sufficit successio ab intestato: sed *per se & primario* respicit bonum privatum & favorem Testamentorum, quorum interest testatos potius quam intestatos decedere, disposuisse de bonis suis satius quam non disposuisse.

746. Quod autem *alterum* modum derivativum, nempe *usucapionem & prescriptionem* concernit; hæc debeat ne aliquid juri naturæ vel Gentium, an potius ex asse creatura sit juris civilis nec ne: infra hic determinabitur, quæstio enim hæc majore indiget indagine, quam ut e stapete decidi queat. Interea sufficiat nosse, quod omnes illi tam *Originarii*, quam *derivativi* acquirendæ proprietatis modi non aliter sint juris naturæ vel Gentium, quam mere *permissivi*, quos a Justiniano Imperatore longe uberius explicatos referemus infra *a n.* 761. )

DO-

## DOMINII INDOLES EXPONITUR.

747. Habita jam notitia *originis* & *modorum* acquirendi dominii, consentaneum est nosse divisionem ejus. Porro Dominium *in genere* duo includit, nempe potentiam quandam & auctoritatem in rem vel personam, ac subjectionem rei vel personæ, talem, ut inde dicatur ipsa esse alterius. Dominus enim vocatur, qui habet aliquid suum, de quo possit disponere, vel in illud auctoritatem exercere, qui enim nihil habet suum, in quod exerat potentiam, non dicitur Dominus, nisi per vocis abusum aut ex sola humanitate.

748. Dominium itaque *in genere* est *jus gubernandi vel disponendi de re aliqua tanquam sua*. Dicitur vero *suum*, quod ita subjectum & adstrictum est alteri, ut possit de eo disponere *proprio jure*, non ex commissione alterius. Ita DEUS habet jus *absolutum universale ac perfectissimum* in omnem creaturam suam. Similiter jus a DEO *participatum* habet Rex in suum Regnum, Dux in suum Ducatum, & quivis in suas possessiones. Quodlibet jus hujusmodi vocatur dominium, cum hac distinctione, quod jus competens DEO dicatur *increatum*, competens autem hominibus sit *creatum* ac participatum. Quod iterum aliud est *Altum*, quod habet Princeps vel Respublica in bona privatorum. Aliud *Bassum*, quod habent privati in bona sua particularia cum subordinatione juri alto. Aliud item dominium, seu jus *Herile*, domini in servum. Aliud *Oeconomicum*, quale habet Maritus in familiam & uxorem. Demum *Patrium*, nempe Patris in filium non emancipatum &c.

749. Ita explicatum dominium dividitur in jurisdictionis & proprietatis. Dominium *Jurisdictionis* est potestas gubernandi suos subditos. Quæ gubernatio consistit in potestate *præcipiendi*, *vetandi*, *permittendi*, *judicandi*, *puniendi* & *præmiandi*, prout id patet etiam ex *l. 7. ff. de LL.* Hoc ipsum dominium Jurisdictionis subdividitur eo modo, quo Jurisdictio ordinaria, non enim ab hac distinguitur: Hinc aliud est *sæculare*, aliud *Ecclesiasticum*.

Dominium *Proprietatis* definivimus initio hujus Capitis *a n. 733.*) Estque duplex, Perfectum vel Imperfectum. *Perfectum* dicitur, quod continet proprietatem rei, & commodorum ejus. *Imperfectum*, quod tantum habet vel proprietatem rei absque emolumentis, vel emolumenta absque

rei

rei proprietate. Unde dominium hoc *imperfectum* subdividitur in *directum*, & *utile*. Directum continet *solam* rei proprietatem, & tale dominium habens dicitur proprietarius. Hujusmodi dominium habet filiusfamilias in peculio *adventitio*, & Princeps *in feudis*, ac ille, qui dedit agrum ad emphyteusim, in agro; imo & omnis is, qui dicitur dominus eorum, quorum alteri concessus est ususfructus.

Dominium *Utile* continet solam rei commoditatem & utilitatem. Tale est quod habet usufructuarius, feudatarius, emphyteuta. Advertendum tamen est, quod ne dominium directum reddatur omnino inutile, Jure statutum sit, ut certis quibusdam casibus dominium utile redeat ad dominum directum, ut patet *Instit. de usufruct.* §. 1.

750. Ad dominium *utile* tanquam suæ species reducuntur I.) *Usus*, qui est legitima potestas utendi re aliena, Salva ipsius substantia, fructus ex ea provenientes in *suum præcise* usum convertendo. Estque duplex, usus nempe *solius facti* & usus *juris*. Solius *facti* est usus, qui est ad nutum domini *revocabilis*, talem usum habet servus & Religiosus in rebus a domino, vel Prælato, sive Religione ad utendum sibi permissis. *Usus juris* autem dicitur ille, qui est *irrevocabilis*, seu non dependet jam a voluntate concedentis, uti sit si quis legitime obtinet facultatem utendi alieno equo usque ad hujus, vel suam mortem. Et talis usus non multum differt a dominio.

II.) *Ususfructus* est legitima potestas utendi & fruendi re aliena, salva ejus substantia, fructus ex ea provenientes *etiam ad alios usus* convertendo. Hinc usuarius simplex, & præsertim solius *facti*, non potest rem sibi permissam aliis concedere, aut locare, fructus ex ea re provenientes alii vendere &c. *Usufructuarius* autem id totum potest.

Notandum vero, quod Juris civilis dispositione *Usus*, *ususfructus*, & *habitatio* ita sint inter se diversa, ut tres distinctas servitutum *personalium nominatarum* species constituant, juxta *tit. Instit. de usufruct.* & alium *tit. Inst. de usu & habitation.* Jure tamen Gentium spectato habitatio spectat ad *usum*, vel *usumfructum*, quin aliquid singulare contineat specie diversum.

751. Dein III.) est quoque dominii utilis species *SERVITUS*, quæ dupliciter accipitur: *Primo* pro sub-

jectione & obligatione, quæ est in re alterius, ut ipsa quodammodo serviat alteri, & vocatur servitus *passiva*. Et *secundo* sumitur pro jure, quod respondet illi obligationi, diciturque servitus *activa*.

Servitus pro *Jure* accepta, est *jus fruendi, vel aliquo modo utendi re aliena, aut aliquid circa eam impediendi ne suo commodo obsit*. Hac ratione ista est quid generalius quam ususfructus. Omne enim jus utendi vel fruendi est servitus; non tamen contra. Nam jus impediendi ne altius attollas murum, est servitus, non tamen est usus vel ususfructus.

Si autem servitus *passive*, seu pro *subjectione* rei spectetur, est *obligatio realis, qua res alteri est obstricta, ita ut possit ex ipsa percipere fructum, vel ea aliquo modo uti, aut circa eam aliquid impedire ne suo commodo obsit*.

Dividitur autem in tres species. Alia enim est *mere personalis* servitus, uti ea quæ a persona debetur personæ, prout fieret, si mihi usum servi tui ad tempus, vel ad vitam meam concesseris, ad quam speciem reducitur *usus, ususfructus & habitatio* juxta Juristas & textus hic n. 750. adductos. Quanquam usus, ususfructus & habitatio melius a *Gomez*. de servit. n. 2. & seq. refertur ad servitutes *mixtas*. Alia *mere realis*, quæ fit, dum a re una debetur *immediate* alteri rei. Et talis est quæ respondet juri agrorum, vel domorum, similiumque rerum. Dixi *immediate*, quia hæc servitus etiam debetur a re aliena personæ alicui; sed *mediate* tantum, nempe ex eo, quod fiat talis rei dominus vel conductor, v. g. ager meus habet jus, ut per agrum tuum possit iri, vel jumentum duci in meum: hoc casu ager tuus servit meo, estque hæc servitus realis, quia a re debetur *immediate* rei: & consequenter hoc jus transit ad eum, ad quem transit meus ager. Alia est *mixta* servitus quæ a re debetur immediate personæ ipsi. Hæc extinguitur cum persona cui debetur. Talis habetur in illa re, qua possumus uti vel frui immediate, uti est domus, qua habemus jus utendi habitando in ea &c.

*Servitus* autem *realis* dividitur in *Rusticam* ac *Urbanam*, seu in eam quæ prædio rustico atque urbano debetur. *Prædium urbanum* in jure vocatur omne habitaculum, etiamsi in villa sit. Imo & hortus annexus causa amænitatis, ad prædium urbanum refertur. *Rusticum* dicitur *quodvis* aliud, ut stabulum, horreum, ager. *Servitutes* igitur *Urbanæ* sunt, v. g. ut ædes tuæ non possint altius attolli, ne officiant vicini

tini luminibus: ut in tuum parietem possit immitti tignum à vicino, & similia. *Rusticæ* sunt, ut liceat tibi per fundum alterius ire in tuum, vel jumentum agere, aut aquam ducere &c.

Hæc optime explicantur *Instit. de servit.* & lib. 8. Digestorum tit. 1. 2. 3. & 4. qui sunt *de servitutibus*. Non enim hic & nunc tantopere spectant hæc ad nostrum institutum, sed innuimus aliqua de his eo fine, ut partim accuratius explicetur dominium, partim ut adæquata responsio formari possit, utrum species quoque dominii ejusque distinctiones Juri Gentium, vel soli positivo debeantur, quod infra determinabimus.

752. Ad utilis dominii species spectat IV.) etiam FEUDUM. Estque *potestas fruendi re aliena immobili cum onere fidelitatis & exhibendorum obsequiorum domino illius*. V.) EMPHYTEUSIS, quæ est jus fruendi re aliena immobili sub onere pensionis certæ solvendæ Domino fundi. Dividitur in perpetuam & temporalem. Differt *ab usufructu*, tum quod hic finiatur morte usufructuarii: tum quod possit esse rei etiam mobilis, & non possit jus usufructus vendi alteri sine Domini consensu: secus (saltem plerumque) Emphyteusis. VI.) Ad Emphyteusim tanquam species subalterna refertur SUPERFICIES, estque potestas utendi superficie terræ, per ordinem ad construendam in ea domum, cum onere solvendæ certæ pensionis, vel obsequiorum exhibendorum proprio Domino.

753. Demum VII.) ultimum tandem locum inter *utilis* dominii species obtinet POSSESSIO. Quæ hoc loco, ubi de *utili* dominio loquimur, accipitur pro actu, vel jure possidendi, a quo denominatur quis possessor. Actus possidendi dicitur *possessio facti*. Jus possidendi dicitur *possessio juris*. Possessio *facti* est *detentio rei possideri à jure non prohibitæ, & aliquando apprehensæ*, cum *animo eam sibi habendi*. Alii diversis quidem verbis, sed eundem sensum hujus possessionis exprimunt, qui eam sic definiunt: *Est detentio rei, concurrente corporis, animi & juris adminiculo*. Dicitur *detentio*, quæ acquiritur per apprehensionem rei *veram* vel *fictam*, & dum res apprehensa detinetur, possessio tunc continuatur. Dicitur *rei*, sive *corporalis* sit, sive *incorporalis*: possessio tamen rei incorporalis *c. 3. de caus. possess.* appellatur *quasi possessio*. Semper tamen requiritur *Juris adminiculum*, seu ne jus resistat, alioqui *sola*

 cor-

corporalis seu physica & *mere* naturalis apprehensio ac detentio rei non constituit possessionem *juridicam* : sed potius eam, quæ vocatur *Asinina*, utpote *solius facti*. Imo neque Commodatarius & depositarius possessores rei depositæ vel commodatæ sunt, cum non nomine proprio possideant, neque *cum animo eam sibi* habendi. Et quamvis hunc animum habeant, adhuc nil efficient ob defectum *juris adminiculi*.

Possessio *juris*, est in re ipsum jus reale per *l*, 44. §. *ult. ff. de acquir. vel omitt. poss.* diciturque *legitima potestas detinendi rem ut suam, & commodis inde provenientibus fruendi*. Quæ iterum est *naturalis* vel *civilis*, utraque debet *juris adminiculo* niti ut sit *juridica*, alioqui *malæ fidei* erit possessio, utpote *sine jure possidendi*. Ad omnem etiam possessionem requiritur *Titulus possessionis*, qui juxta Gloss. in caus. 16. q. 2. *est justa causa possidendi*, qualis est emptio, donatio bona fide facta, licet rei sit alienæ, &c.

Commoda seu emolumenta *possessionis juridicæ* sunt *septem*, nempe: conditio usucapiendi: præsumptio dominii: præsumptio tituli: suppletio defectuum vitiositatis: melior in dubio conditio: lucrum rei per dejectionem violentam, & Actio *publiciana*, qua is qui rem aliquam bona fide, ex justa causa a non Domino traditam, & nondum usucaptam amisit, agit adversus possessorem, petitque se *dominum* vel *quasi* declarari, & eam sibi una cum fructibus, damnis & expensis restitui.

754. Ad adæquatam dominii divisionem pertinet quoque dominium *naturale*, seu in substantiam rei, quale habet *Uxor* in prædium dotalitium; & *Civile*, seu in usufructus & actiones; tale est quod habet *Maritus* in prædium dotalitium suæ uxoris. Potest enim uti, frui, & agere in Judicio contra eum, qui se turbare in sua possessione vellet.

## §. II.

### *Quæ sint conditiones necessariæ ad dominii acquisitionem: & quo jure introductæ?*

## SUMMARIUM.



758. *Quid*

758. *Quid est Titulus dominii? & an jus in re inducat?*
759. *Res uni vendita, alteri* gratuito *tradita poteftne vindicari?*
760. &c. *Quando traditio non est necessaria ad dominium in re?*
762. &c. *Adducuntur 19. Tituli seu modi acquirendi dominii:*
770. &c. *An ad hoc acquirendum Traditio sola sufficiat?*

755. QUando dominium non aliquo ex *originariis* modo *primę* occupationis vel divisionis: sed *derivativè* ab uno in alium transferendum est; ad acquisitionem ejus *regulariter* duo requiruntur; scilicet *Titulus* idoneus & *Traditio*; declarante id etiam Jure civili in *L. Traditionibus* 20. C. de pact. *Traditionibus & usucapionibus dominia rerum, non nudis pactis transferuntur*. Juncta simul *L. Nunquam* 31. ff. de acquir. rer. dom. *Nunquam nuda traditio transfert dominium: sed ita, si venditio, aut aliqua justa causa præcesserit, propter quam traditio sequeretur.*

756. Quamvis autem juxta citatas leges tam *Titulus* quam *traditio* regulariter requiratur, nihilominus non utrumque jure naturali vel Gentium ad effectum acquirendi dominii necessarium est: Jure enim naturæ non est necessaria *traditio*, licet rationi sit consona; idque ideo: quia sicut ut possim re aliqua uti *naturaliter*, requiritur in me vis utendi, & in re conveniens applicatio: ita, ut possim re aliqua uti *moraliter*, seu *civiliter* tanquam dominus, requiritur ex parte mea aliquod jus, per contractum aliquem, vel similem modum: & ex parte rei debita applicatio; quæ fit per *traditionem* vel apprehensionem: Huc facit; quod hac ratione evitetur etiam incertitudo dominiorum, multarum litium seminarium: Consona rationi est igitur; non tamen jure nat. necessaria traditio.

757. Quod autem eadem *traditio* non sit etiam necessaria *jure Gentium*; patet ex praxi Regnorum; ubi jus Romanum non est receptum, ibi enim solus *titulus* attentionem meretur. Et quamvis forte in plerisque Gentibus usus fuerit hujusccemodi *traditionis*, ille tamen utpote ex mera *observantia* & jure pure permissivo proveniens, non potuit omnes aut plerosque moratiores populos obligare sub ullo præcepto.

758. *Titulus* dominii est *justa causa rem nobis acquirendi, & acquisitam retinendi*: Ille cum jure naturali & Gentium sit necessarius, est fundamentum & basis totius juris tam *in re* quam *ad rem* haberi soliti. Per eum tamen *ordinarie*, ac præsertim spectato *jure communi Romano* supra

hic citato, nondum habetur dominium seu *jus in re*: sed solum *ad rem*; nisi accedat *certa quædam* traditio, quæ est veluti conditio *civiliter* necessaria, ex vi prioris v.g. donationis, vel emptionis resultet dominium. Unde si Petrus tibi vendidisset prædium, & ante traditionem venderet alteri & traderet: secundus emptor acquireret ejus dominium, nec teneretur illud tibi cedere: sed solum haberes actionem damni, eamque mere *personalem* in Venditorem, per *L. Quoties* 15. *C. de rei vindic.* Provenietque Actio hæc *ex contractu*.

759. Nisi forte alteri esset tradita titulo *gratuito*; tunc enim posses illam vindicare. Similiter, si alteri esset quidem tradita titulo *oneroso*: sed scienti eam tibi antea venditam; *Covarr.* l. 2. var. resol. c. 19. n. 9. Tunc enim rem ita recipiens esset in mala fide.

760. Exceptio ista habet locum *etiam* hoc casu, quando *peculiari* jure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium in *personam privilegiatam*; veluti si aliquid venditum aut donatum sit Ecclesiis, locis piis, vel civitati, per *l. fin. C. de SS. Eccl.* & *l. ut inter* 23. *Cod. eod.* & ibi DD. Tali enim casu dominium transfertur per solum *contractum*: unde non poterit secundus emptor, vel donatarius per traditionem dominium acquirere: secus tamen foret, si res causæ piæ esset tantum *nude promissa* nondum *acceptata*, talis enim siquidem non *ex causa*, sed simplex seu *gratuita* fuerit facta pio loco vel civitati, non transfert dominium. Hinc si res Ecclesiæ promissa; ante hujus *acceptationem* alteri donata & tradita fuerit, hujus erit. Jure enim naturali & Gentium spectato, ad transferendum dominium inter personas habiles, sufficit liber consensus unius circa rem suam, & acceptatio alterius, ut in jus istius transeat. Vid. *n.* 582. ) supra.

761. Cum igitur naturali & Gentium jure *Titulus* justus sit fundamentum *acquirendi dominii*, expedit perfectam habere notitiam illius. Quem licet e sensu Naturalistarum hic supra *a n.* 742. ) divisimus in *originarium & derivativum*, quia tamen divisionem hujusmodi ibidem mancam & non satis solidam esse ostendimus, hinc longe uberiorem & communiter receptam exhibet nobis Justinianus Imperator *Inst. de rer. divis. & acquir. ipsar. domin.* ubi hujusmodi Tituli *Novemdecim* assignantur, ita, ut quilibet eorum dilucide intelligi possit, sitne naturali, gentium, vel civili jure introductus.

762. Ti-

762. *Titulus* itaque, seu quod idem est, *modus acquirendi* dominii antiquissimus & a jure nat. proveniens *primus*.) est *Occupatio*, per §. Feræ 12. Inst. de rer. divis. definitur autem, quod nil aliud sit, quam *earum rerum, quæ nullius propriæ: sed jure naturali omnium hominum communes sunt, apprehensio*. Tales sunt *feræ, bestiæ, volucres, pisces*, & omnia *animalia*, quæ *mari*, cælo, & terra nascuntur. *Secundus*.) *Occupatio in bello* justo, per §. Item ea 17. Inst. d. t. Hic modus cum jure Gentium introductus sit, diversus est a priore. *Tertius*.) *Inventio*, si debitæ conditiones serventur, §. Item Lapilli 18. Inst. d. t. *Quartus*.) *Fœtura, nativitas*, seu *procreatio animalium*, §. Item ea 19. Inst. d. t. *Quintus*.) *Alluvio* §. Præterea 20. Inst. d. t. *Sextus*.) *Insula*, inde dicta, quod in solo, seu mari sit. Estque nihil aliud, quam locus undique aqua circumdatus, §. *Insula* 22. *Inst. d. t.* Illa si fuerit *naturalis*, seu quæ a tempore immemorabili existit, uti est *Jamaica, Corsica, Creta* &c. occupanti cedit, cum nullius sit. Secus si fuerit *accidentalis*, qualis frequenter fit inter fluminis vortices, hæc enim spectabit ad dominum, cujus est ripa, quam illa respicit.

763. *Septimus*) titulus, seu modus acquirendi dominii est *Specificatio*, idque est novæ speciei ex aliena materia conformatio & effectio, v. g. si ex *alieno argento* bona fide vas aliquod feceris. Hoc casu is, cui dominium adjudicabitur, alteri æstimationem materiæ, vel laboris resarcire teneretur. §. *Cum ex* 25. *Inst. de rerum divis.* & l. 43. §. 4. *ff. de R. V.*

764. Titulus seu modus *Octavus*) est *Accessio*, cujus etiam est species *Intextura*, per §. si tamen 26. d. t. *Nonus*.) *Confusio*, quando materiæ ejusdem, vel diversi generis voluntate duorum dominorum confunduntur, vel ex iis certa species facta est, nam tunc illud corpus, quod ex confusione fit, *naturali ratione* est utriusque commune, propter voluntatem & consensum dominorum, veluti si qui *vina sua confuderint*. Si tamen unius tantum voluntate id factum sit, tunc species facta non fit communis: sed unius tantum, qui eam fecit, & hic obligatur ad separationem faciendam, si fieri possit, vel ad æstimationem solvendam. §. *Si duorum materiæ* 27. *Inst. de rer. divis.*

765. Titulus seu modus acquirendi dominii *Decimus*) est *Commixtio*, veluti si frumentum Sempronii tuo mixtum fuerit, §. *Quod si* 28. *Inst. de rer. divis.* Commixtio hæc si fuerit *mala fide* facta, jure nat. obstat dominio acquirendo, a-

linqui fortis & fraudibus patrocinaretur. Si vero sit *bona fide* res tua admixta rebus alterius; distinguendum est, possitne *discerni* vel non: si nequit ullo modo discerni; equidem acquires dominium, jure nat. favente, Judex tamen ex officio suo illud æstimabit. Pateat id in exemplo. *Titius & Sempronius* habuerunt vicina stagna piscibus ejusdem speciei, scilicet carpionibus, luciis, cancris & truttis referta: inundatione facta & rupto aggere pisces è stagno *Titii*, aquarum impetu transierunt in stagnum *Sempronii* fortiori aggere munitum, ac proin aquarum assultu nullo modo læsum: hoc casu cum pisces *Titii* neque specie, nec numero, nec ulla arte humana discerni possint a piscibus *Sempronii* permixtis, manent in hujus dominio. Et ita sæpius judicatum fuisse memini in Regno Poloniæ, ubi interdum *arbitrio boni viri*, interdum Judicis sententia, *ex officio* fuit facta æstimatio, prævia inquisitione & probatione de existentia piscium saltem *in confuso* evicta. Quodsi forte res *bona fide* permixtæ *discerni possint* numero aut specie: altero hoc casu, ille qui rem suam ita rei alterius commixtam *possidet*, acquirit conditionem usucapiendi, & tempore *præscriptionis* completo præscribet. Si vero dominus rei permixtæ ante completam præscriptionem rem suam requirat, eamque aliquo modo discernere possit, rei vindicatio habebit locum, & debebit separari ac restitui, vel æstimatio ejus solvenda ipsi erit.

Differt autem *Commixtio* a *confusione*. Confundi enim illa dicuntur, quæ confusa pariunt *novam speciem*, ita *vinum* & *mel* proprie confunduntur & confusa componunt aliam speciem, scilicet *mulsum*. Item ex *auro* & *argento* fit *electrum*. Secus fit in commixtione, quæ non constituit novam rerum permixtarum speciem, sed hæ priorem retinent, & manent in eadem substantia, ut patet in pecunia, & piscibus permixtis &c. Ubi etiam notandum est, quod si mixtio fiat *voluntate* dominorum, tunc pro indiviso res sint communes, ita ut contra illum, qui corpus mixtum in solidum possidet, alteri pro sua parte detur actio de *communi dividundo*.

766. Acquirendi dominii titulus seu modus *undecimus*) est *Ædificatio*, quæ fit ex materia aliena in suo solo, vel a contrario, ex propria materia in alieno solo. De priori casu agitur §. *Cum in suo solo* 29. *Inst. de rer. divis.* Hinc si quis ex aliena materia in suo solo ædificat v. g. *horreum*, *molen-*

*molendinum* &c. fit ædificii dominus, cum omne quod ſolo inædificatur, ſolo cedat, acceſſio enim cedit principali. Id tamen procedit de ſolo privato. Qui enim in ſolo publico ædificat, ædificium fit non Publici: ſed ædificantis, non enim hoc caſu cedit ſolo, *l. 6. ff. de Rer. divis.* Ille tamen qui in ſuo ſolo ex aliena materia ædificat, cum dominus fiat ædificii, non hoc ipſo ita fit dominus alienæ materiæ, quin æſtimationem ejus ſolvere teneatur, naturali ratione obſtante, quod nemo invitus re ſua privandus ſit, juxta *l. id quod noſtrum, ff. de R. J.* Dixi *æſtimationem* ejus ſolvere teneatur: non enim *vindicatio materiæ* competet ſuo domino; nam per *L. 12. Tabb.* expreſſe prohibetur, ne quis tignum alienum ædibus ſuis junctum eximere cogatur, §. *cum in ſuo ſolo*, vers. *ſed tantiſper*, Inſt. d. t. ac in *l. in rem 29. §. 6. ff. de rei. vind.* Id vero provenit ex Jure poſitivo, ne ſcilicet aſpectus urbis deformetur, unde utilitas publica lædi poſſet.

767. Titulus ſeu modus acquirendi dominii *decimus ſecundus)* eſt *Implantatio*, §. ſi Titius 13. Inſt. d. t. De illa id juris eſt, ac diximus de *Ædificatione* in ſolo meo facta ex materia aliena. Dum modo planta aliena implantata ſolo meo radices egerit: alioqui manebit illius, cujus fuit. Huic ſimilis eſt *decimus tertius)* acquirendi dominii titulus *Satio*, §. Qua ratione 32. Inſt. d. t. Unde, ſi agrum alienum meo ſemine conſeverim, ejus eſt ſeges, cujus eſt ager, quia ſata cedunt ſolo, ſicut ædificium, & planta. *Decimus quartus)* acquirendi dominii titulus eſt *Scriptura*, §. literæ. 33. Inſt. d. t. Literæ enim ita cedunt meæ chartæ, ſicut ædificium & plantæ meo ſolo. *Decimus quintus)* eſt *Pictura*, §. ſi quis 34. Inſt. d. t. Et quamvis olim controverſum fuerit, *num pictura tabulæ: an e contra tabula picturæ cedere debeat?* Juſtinianus tamen *cit. §. ſi quis*, conſtituit, ut tabula picturæ cedat; Non tamen ſimpliciter, ſed conſiderato cujuſque valore, ait enim ibidem: *ridiculum enim eſſet picturam Apellis vel Parrhaſii in acceſſionem villiſſimæ tabulæ cedere.* Quicunque igitur Actor fuerit, is alteri, quo ad æſtimationem, ſeu picturæ, ſeu tabulæ, ſecundum circumſtantias præſtantiæ & exceſſus valoris tenetur, *l. 9. §. litteræ 1. ff. de rer. diviſ.* Nec obſtat; quod in *l. 23. §. 3. ff. de R. V.* pictura dicatur indiſtincte cedere tabulæ: quia textus hic procedit, ſi tabella ſit pretioſior.

768. Dominii acquirendi titulus *decimus 6.)* eſt *Perceptio fructuum ex re aliena, quam bona fide poſſidemus*, §. Si quis a non

do-

domino . 35. Inst. de rer. divis. Titulus seu modus hic, cum sit *controversus*, dominium fructuum *certum* ex illo inferri haud potest, propter ea, quæ fuse adduximus in alio opere, scilicet *Erotem. theor. pract.* 34. *a f.* 282.) sufficit autem, quod ille fundet *conditionem usucapionis*, ita ut vi ejus fructus illi præscribi possint triennio, saltem si causa fuerit civilis, ac distincta ab ecclesiastica, quanquam *juxta plerosque* etiam fructus beneficiales triennio præscribuntur. Si quoque bonæ fidei Possessoris labor, *cura*, *& cultura* intercessit circa fructus hos percipiendos, naturalis æquitas suadet ut ex re illa aliena fructus hujusmodi suos fecerit, nedum *industriales*, qui aliunde privilegiati sunt, & authori industriæ cedunt: verum etiam *naturales* ac mixtos & civiles quosvis extantes, non minus ac consumptos: sed non nisi ad proportionem *curæ & culturæ*, uti etiam innuit textus *cit. §. si quis a non domino*. Alioqui contra omnem fieret æquitatem, si is, qui valde modicam vel nullam prorsus *curam & culturam* adhibens, magni pretii fructus percepit, eosque divendidit, ac pretium ita ex illis redactum ad coemenda sibi prædia convertit, domino autem rem suam vindicanti ad nihil absolute de illis teneatur.

769. Ejusdem dominii acquirendi *decimus septimus*) titulus, seu modus est *Thesauri inventio & ejus occupatio*. §. Thesaurus 39. Inst. d. t. Porro Thesaurus censendus est, si sit vetus quædam depositio pecuniæ cujus memoria non extat, atque adeo est depositio cujusdam rei mobilis, quæ jam dominum non habet, & fit ejus, qui invenit, *l. nunquam* 31. §. 1. *ff. de rer. divis*. Modus hic est Juris naturalis: quod enim in bonis nullius est, naturali ratione occupanti conceditur. Cum tamen a Jure naturali *mere permissivo* procedat, Legislatoribus non est adempta potestas eum restringendi. Hinc diversæ sunt in diversis Regnis circa thesauri inventionem dispositiones. De quibus videri potest *Harppr.* & alii DD. ad *cit. §. Thesaurus inst. de rer. div.* Regulariter tamen debetur pro dimidia parte inventori, & pro dimidia fundi *domino* privato, aut *Fisco*, si ille in loco publico, & quidem *fortuito* repertus sit; alioqui si *data opera* quæratur & inveniatur: *Jure Austriaco* totus ad Principem spectabit in illis ditionibus. Per locum vero *publicum* non intelligitur hic forum, vel platea: sed locus, quem Respublica specialis dominii jure possidet, ut silva, pascuum &c.

770. Huc

770. Huc spectat dominii acquirendi modus *decimus octavus) Traditio*, hæc in omnibus *derivativis* acquisitionibus *regulariter* est necessaria, ut innuimus *a n.755.)* nunquam tamen se sola sufficit, nec facit translationem dominii, nisi debitis polleat conditionibus, ut scilicet 1.) sit ex justa causa & habili ad transferendum dominium, uti est *emptio-venditio, donatio, dos, legatum, solutio, mutuum* &c. 2.) ut tradens sit dominus rei. 3.) Ut adsit voluntas transferendi in tradente, & acquirendi in acceptante 4.) ut si res incorporalis fuerit, quæ non proprie possidetur, *l.* 4. §. 27. *ff. de usucap.* adsit patientia unius & usus alterius, hæc enim circa res hujusmodi loco traditionis habentur, *l.* 20. *ff. de servit.* Res vero *immobiles* corporales veræ traditioni subjacent, quia inductio in earum possessionem, vim traditionis habet. 5.) Ut sit res alienabilis, nec prohibita alienari per possessorem, uti sunt res sacræ, vel fideicommissoriæ &c.

771. Dixi *regulariter est necessaria* ad dominium acquirendum. Nam non est illa opus in sequentibus casibus. *Primo.)* in *beneficiis* ecclesiasticis: in his enim acquiritur jus in re & *quasi* dominium per collationem & acceptationem, *c. si tibi absenti.* de præb. in 6. *Secundo.)* in *hereditate*, per l. cum heredes 23. ff. de acquir. vel omitt. poss. Aditio enim hereditatis sufficit sine alia traditione. Porro aditur illa cum acceptatur verbo, vel facto, §. ult. Inst. de hered. qualit. *Tertio.)* in *Legato*. Si enim tibi res *certa* legata sit, statim hoc ipso, quo heres acceptat hereditatem, efficeris ejus dominus, per l. *a Titio* 46. *ff. de fur.* ubi dicitur, quod *res legata recta via ab eo, qui legavit, ad eum cui legata est, transeat*. Non est etiam necessaria *Quarto.)* si aliquid donatur, venditur, aut relinquitur Civitati, Ecclesiæ, piis locis, aut piis causis, per ea quæ diximus hic *n.* 760.) *Quinto)* non requiritur in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium, de quo fuse *Covarr.* lib. 3. variar. c. 19. a n. 1.) *Sexto.* Si *donasti* & *tradidisti* aliquid *sub conditione* ut tibi alimenta præbeat: illo non præbente, ut debet, statim recuperas dominium ejus absque ulla traditione, l. 1. c. de don. quæ sub mod. *Septimo.)* Si Princeps contrahet cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum absque alia traditione, *Covarr.* l. 2. variar. c. 19. n. 3. *Ratio* est: quia voluntate Principis requiritur traditio; igitur voluntate ipsius potest omitti.

ti. *Octavo* ) Ad jus hypothecæ, vel pignoris, puta, *improprie* sumpti, non requiritur ulla traditio, vel apprehensio: sed sufficit nuda conventio, aut legis dispositio, per l. 1. *ff. de pignor. act.* & *l. 9. §. 1. eod.*

772. Hæc autem ideo ex jure Cæsareo attulimus, ut evidenter demonstraremus falsam esse persuasionem eorum Naturalistarum & Jctorum, qui mordicus contendunt, *Traditionem* jure naturæ esse necessariam ad acquirendum dominium: cum tamen ex adductis exceptionibus palam sit eam solo jure communi Romano requiri in plerisque acquisitionibus *derivativis*. Quando autem dominium non transfertur ab uno in alterum, facto v. g. contrahentis, ad illud acquirendum sufficit *apprehensio*, seu *occupatio*, sic enim acquiruntur dominia eorum, quę nullius sunt, ut patet ex *n. 735.* )

773. Demum *decimus nonus.* ) isque ultimus acquirendi dominii modus seu titulus est *Occupatio rei pro derelicto*, juxta *§. Qua ratione* 47. *Inst. de rer. divis.* Res vero *pro derelicta* habetur, si eam dominus ea mente abjecit, ut in numero suarum rerum esse nolit. Modus quidem hic refertur a Justiniano Imper. inter diversos a prioribus jam recensitis: sed quo ad substantiam non differt a *primo*, qui est *occupatio*, jure nat. Gentium introductus. Non recensuimus autem inter hos acquirendi modos *Præscriptionem*, quia cum hæc a plerisque ad titulum *pro derelicto* reducatur, longe vero a pluribus & melius ad modos jure civili introductos remittatur: hinc tanquam titulum controversum noluimus hic recensere, tractaturi de illo separato capite.

## §. III.

### *Quo Jure facta sit divisio; & introductum dominium; cum modis ejus acquirendi?*

## SUMMARIUM.



774. Divisio rerum & regionum facta est jure Gentium, prout id patet ex Can. 9. dist. 1. *Jus Gentium est*

*est sedium occupatio*, & manifestum est ex *L. Ex hoc jure 5. ff. de Just. & Jur.* ubi ait JCtus: *Ex hoc jure gentium introducta bella: DISCRETÆ GENTES: regna condita: DOMINIA DISTINCTA: agris termini positi: ædificia collocata: commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ; exceptis quibusdam, quæ a jure civili introductæ sunt*; puta, quo ad modum particularem contrahendi, ut diximus *n. 675.*) concordat *L. quarundam 1. ff. de acquir. rer. domin.* dicens: *Quarundam rerum dominium nanciscimur jure GENTIUM, -- quarundam jure Civili*. Quia scilicet jus Civile certas particulares *formas* pro suis civibus præscripsit *divisionibus, successionibus, occupationibus, contractibus* &c. quamvis usus & libertas horum actuum proveniat a Jure gentium, ut constat ex *n. 741.*)

775. *Ratio* quoque suadet: cur non alio, quam *Gentium jure* asserta divisio facta & introducta fuerit. Quia nempe 1.) Non est facta jure *Divino*. DEUS enim neque fecit divisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israelitis spolia Ægyptiorum, & regna Canaitarum; hoc tamen factum est præter usitatum morem, imo jam post divisionem inter gentes factam, quæ donationes has divinas longe præcesserat. Demum DEUS nusquam in Scripturis revelavit hanc divisionem immediate a se fuisse factam, vel in subsequens tempus ex suo divino præcepto faciendam. Legitur quidem Gen. 11. v. 8. *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco* (id est a Turri Babel) *in universas terras*, ac ibid. v. 9. ait Sacer textus: *& inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionem*, nullibi tamen reperitur mentio, quod vel DEUS præceperit Gentibus illis faciendam rerum & regionum divisionem, vel quod ipse eas inter illas diviserit: imo legitur contrarium *Gen. 10. v. 5.* quod scilicet a Familiis Noe facta fuerit illa divisio: *Ab His DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM in regionibus suis.*

776. Non etiam II.) Facta est hæc divisio *jure naturali*. Jus enim hoc neque fecit illam, cum omnia reliquerit communia: neque etiam præcepit eam fieri; neque natura secundum se ad eam inclinat, sicut v. g. inclinat ad speciei humanæ procreationem, & inde ad contrahendum matrimonium; quod, sepositis impedimentis, si inter personas habiles debito modo contrahatur, dicimus esse juris naturæ.

777. Se-

hic citato, nondum habetur dominium seu *jus in re*: sed solum *ad rem*; nisi accedat *certa quædam* traditio, quæ est veluti conditio *civiliter* necessaria, ex vi prioris v.g. donationis, vel emptionis resultet dominium. Unde si Petrus tibi vendidisset prædium, & ante traditionem venderet alteri & traderet: secundus emptor acquireret ejus dominium, nec teneretur illud tibi cedere: sed solum haberes actionem damni, eamque mere *personalem* in Venditorem, per *L. Quoties 15. C. de rei vindic.* Provenietque Actio hæc *ex contractu*.

759. Nisi forte alteri esset tradita titulo *gratuito*; tunc enim posses illam vindicare. Similiter, si alteri esset quidem tradita titulo *oneroso*: sed scienti eam tibi antea venditam; *Covarr.* l. 2. var. resol. c. 19. n. 9. Tunc enim rem ita recipiens esset in mala fide.

760. Exceptio ista habet locum *etiam* hoc casu, quando *peculiari* jure ex solo contractu absque alia traditione transfertur dominium in *personam privilegiatam*; veluti si aliquid venditum aut donatum sit Ecclesiis, locis piis, vel civitati, per *l. fin. C. de SS. Eccl.* & *l. ut inter 23. Cod. eod.* & ibi DD. Tali enim casu dominium transfertur per solum *contractum*: unde non poterit secundus emptor, vel donatarius per traditionem dominium acquirere: secus tamen foret, si res causæ piæ esset tantum *nude promissa* nondum *acceptata*, talis enim siquidem non *ex causa*, sed simplex seu *gratuita* fuerit facta pio loco vel civitati, non transfert dominium. Hinc si res Ecclesiæ promissa; ante hujus *acceptationem* alteri donata & tradita fuerit, hujus erit. Jure enim naturali & Gentium spectato, ad transferendum dominium inter personas habiles, sufficit liber consensus unius circa rem suam, & acceptatio alterius, ut in jus istius transeat. Vid. *n.* 582. ) supra.

761. Cum igitur naturali & Gentium jure *Titulus* justus sit fundamentum *acquirendi dominii*, expedit perfectam habere notitiam illius. Quem licet e sensu Naturalistarum hic supra *a n.* 742. ) divisimus in *originarium & derivativum*, quia tamen divisionem hujusmodi ibidem mancam & non satis solidam esse ostendimus, hinc longe uberiorem & communiter receptam exhibet nobis Justinianus Imperator *Inst. de rer. divis. & acquir. ipsar. domin.* ubi hujusmodi Tituli *Novemdecim* assignantur, ita, ut quilibet eorum dilucide intelligi possit, sitne naturali, gentium, vel civili jure introductus.

762. Ti-

762. *Titulus* itaque, seu quod idem est, *modus acquirendi* dominii antiquissimus & a jure nat. proveniens *primus*.) est *Occupatio*, per §. Feræ 12. Inst. de rer. divis. definitur autem, quod nil aliud sit, quam *earum rerum, quæ nullius propriæ: sed jure naturali omnium hominum communes sunt, apprehensio*. Tales sunt *feræ*, *bestiæ*, *volucres*, *pisces*, & omnia *animalia*, quæ *mari*, cælo, & terra nascuntur. *Secundus*.) *Occupatio in bello* justo, per §. Item ea 17. Inst. d. t. Hic modus cum jure Gentium introductus sit, diversus est a priore. *Tertius*.) *Inventio*, si debitæ conditiones serventur, §. Item Lapilli 18. Inst. d. t. *Quartus*.) *Fœtura*, *nativitas*, seu *procreatio animalium*, §. Item ea 19. Inst. d. t. *Quintus*.) *Alluvio* §. Præterea 20. Inst. d. t. *Sextus*.) *Insula*, inde dicta, quod in solo, seu mari sit. Estque nihil aliud, quam locus undique aqua circumdatus, §. *Insula* 22. *Inst. d. t.* Illa si fuerit *naturalis*, seu quæ a tempore immemorabili existit, uti est *Jamaica*, *Corsica*, *Creta* &c. occupanti cedit, cum nullius sit. Secus si fuerit *accidentalis*, qualis frequenter fit inter fluminis vortices, hæc enim spectabit ad dominum, cujus est ripa, quam illa respicit.

763. *Septimus*) titulus, seu modus acquirendi dominii est *Specificatio*, idque est novæ speciei ex aliena materia conformatio & effectio, v.g. si ex *alieno argento* bona fide vas aliquod feceris. Hoc casu is, cui dominium adjudicabitur, alteri æstimationem materiæ, vel laboris resarcire teneretur. §. *Cum ex* 25. *Inst. de rerum divis.* & l. 43. §. 4. *ff. de R. V.*

764. Titulus seu modus *Octavus*) est *Accessio*, cujus etiam est species *Intextura*, per §. si tamen 26. d. t. *Nonus*.) *Confusio*, quando materiæ ejusdem, vel diversi generis voluntate duorum dominorum confunduntur, vel ex iis certa species facta est, nam tunc illud corpus, quod ex confusione fit, *naturali ratione* est utriusque commune, propter voluntatem & consensum dominorum, veluti si qui *vina sua confuderint*. Si tamen unius tantum voluntate id factum sit, tunc species facta non fit communis: sed unius tantum, qui eam fecit, & hic obligatur ad separationem faciendam, si fieri possit, vel ad æstimationem solvendam. §. *Si duorum materiæ* 27. *Inst. de rer. divis.*

765. Titulus seu modus acquirendi dominii *Decimus*) est *Commixtio*, veluti si frumentum Sempronii tuo mixtum fuerit, §. *Quod si* 28. *Inst. de rer. divis.* Commixtio hæc si fuerit *mala fide* facta, jure nat. obstat dominio acquirendo, alio-

*molendinum* &c. fit ædificii dominus, cum omne quod solo inædificatur, solo cedat, accessio enim cedit principali. Id tamen procedit de solo privato. Qui enim in solo publico ædificat, ædificium fit non Publici: sed ædificantis, non enim hoc casu cedit solo, *l. 6. ff. de Rer. divis.* Ille tamen qui in suo solo ex aliena materia ædificat, cum dominus fiat ædificii, non hoc ipso ita fit dominus alienæ materiæ, quin æstimationem ejus solvere teneatur, naturali ratione obstante, quod nemo invitus re sua privandus sit, juxta *l. id quod nostrum, ff. de R. J.* Dixi *æstimationem* ejus solvere teneatur: non enim *vindicatio materiæ* competet suo domino; nam per *L. 12. Tabb.* expresse prohibetur, ne quis tignum alienum ædibus suis junctum eximere cogatur, §. *cùm in suo solo*, vers. *sed tantisper*, Inst. d. t. ac in *l. in rem* 29. §. 6. *ff. de rer. vind.* Id vero provenit ex Jure positivo, ne scilicet aspectus urbis deformetur, unde utilitas publica lædi posset.

767. Titulus seu modus acquirendi dominii *decimus secundus)* est *Implantatio*, §. si Titius 13. Inst. d. t. De illa id juris est, ac diximus de *Ædificatione* in solo meo facta ex materia aliena. Dum modo planta aliena implantata solo meo radices egerit: alioqui manebit illius, cujus fuit. Huic similis est *decimus tertius)* acquirendi dominii titulus *Satio*, §. Qua ratione 32. Inst. d. t. Unde, si agrum alienum meo semine conseverim, ejus est seges, cujus est ager, quia sata cedunt solo, sicut ædificium, & planta. *Decimus quartus)* acquirendi dominii titulus est *Scriptura*, §. literæ. 33. Inst. d. t. Literæ enim ita cedunt meæ chartæ, sicut ædificium & plantæ meo solo. *Decimus quintus)* est *Pictura*, §. si quis 34. Inst. d. t. Et quamvis olim controversum fuerit, *num pictura tabulæ an e contrà tabula picturæ cedere debeat?* Justinianus tamen *cit. §. si quis*, constituit, ut tabula picturæ cedat; Non tamen simpliciter, sed considerato cujusque valore, ait enim ibidem: *ridiculum enim esset picturam Apellis vel Parrhasii in accessionem vilissimæ tabulæ cedere*. Quicunque igitur Actor fuerit, is alteri, quo ad æstimationem, seu picturæ, seu tabulæ, secundum circumstantias præstantiæ & excessus valoris tenetur, *l. 9. §. litteræ 1. ff. de rer. divis.* Nec obstat, quod in *l. 23. §. 3. ff. de R. V.* pictura dicatur indistincte cedere tabulæ: quia textus hic procedit, si tabella sit pretiosior.

768. Dominii acquirendi titulus *decimus 6.)* est *Perceptio fructuum ex re aliena, quam bona fide possidemus*, §. Si quis a non do-

domino. 35. Inst. de rer. divis. Titulus seu modus hic, cum sit *controversus*, dominium fructuum *certum* ex illo inferri haud potest, propter ea, quæ fuse adduximus in alio opere, scilicet *Erotem. theor. pract.* 34. *a f.* 282.) sufficit autem, quod ille fundet *conditionem usucapionis*, ita ut vi ejus fructus illi præscribi possint triennio, saltem si causa fuerit civilis, ac distincta ab ecclesiastica, quanquam *juxta plerosque* etiam fructus beneficiales triennio præscribuntur. Si quoque bonæ fidei Possessoris labor, *cura*, & *cultura* intercessit circa fructus hos percipiendos, naturalis æquitas suadet ut ex re illa aliena fructus hujusmodi suos fecerit, nedum *industriales*, qui aliunde privilegiati sunt, & authori industriæ cedunt: verum etiam *naturales* ac mixtos & civiles quosvis extantes, non minus ac consumptos: sed non nisi ad proportionem *curæ* & *culturæ*, uti etiam innuit textus *cit.* §. *si quis a non domino*. Alioqui contra omnem fieret æquitatem, si is, qui valde modicam vel nullam prorsus *curam* & *culturam* adhibens, magni pretii fructus percepit, eosque divendidit, ac pretium ita ex illis redactum ad coemenda sibi prædia convertit, domino autem rem suam vindicanti ad nihil absolute de illis teneatur.

769. Ejusdem dominii acquirendi *decimus septimus*) titulus, seu modus est *Thesauri inventio* & *ejus occupatio*. §. Thesaurus 39. Inst. d. t. Porro Thesaurus censendus est, si sit vetus quædam depositio pecuniæ cujus memoria non extat, atque adeo est depositio cujusdam rei mobilis, quæ jam dominum non habet, & fit ejus, qui invenit, *l. nunquam* 31. §. 1. *ff. de rer. divis*. Modus hic est Juris naturalis: quod enim in bonis nullius est, naturali ratione occupanti conceditur. Cum tamen a Jure naturali *mere permissivo* procedat, Legislatoribus non est adempta potestas eum restringendi. Hinc diversæ sunt in diversis Regnis circa thesauri inventionem dispositiones. De quibus videri potest *Harppr.* & alii DD. ad *cit.* §. *Thesaurus inst. de rer. div.* Regulariter tamen debetur pro dimidia parte inventori, & pro dimidia fundi *domino* privato, aut *Fisco*, si ille in loco publico, & quidem *fortuito* repertus sit; alioqui si *data opera* quæratur & inveniatur: *Jure Austriaco* totus ad Principem spectabit in illis ditionibus. Per locum vero *publicum* non intelligitur hic forum, vel platea: sed locus, quem Respublica specialis dominii jure possidet, ut silva, pascuum &c.

770. Huc

770. Huc spectat dominii acquirendi modus *decimus octavus) Traditio*, hæc in omnibus *derivativis* acquisitionibus *regulariter* est necessaria, ut innuimus *a n.*755.) nunquam tamen se sola sufficit, nec facit translationem dominii, nisi debitis polleat conditionibus, ut scilicet 1.) sit ex justa causa & habili ad transferendum dominium, uti est *emptio-venditio, donatio, dos, legatum, solutio, mutuum* &c. 2.) ut tradens sit dominus rei. 3.) Ut adsit voluntas transferendi in tradente, & acquirendi in acceptante 4.) ut si res incorporalis fuerit, quæ non proprie possidetur, *l.* 4. §. 27. *ff. de usucap.* adsit patientia unius & usus alterius, hæc enim circa res hujusmodi loco traditionis habentur, *l.* 20. *ff. de servit.* Res vero *immobiles* corporales veræ traditioni subjacent, quia inductio in earum possessionem, vim traditionis habet. 5.) Ut sit res alienabilis, nec prohibita alienari per possessorem, uti sunt res sacræ, vel fideicommissoriæ &c.

771. Dixi *regulariter est necessaria* ad dominium acquirendum. Nam non est illa opus in sequentibus casibus. *Primo.*) in *beneficiis* ecclesiasticis: in his enim acquiritur jus in re & *quasi* dominium per collationem & acceptationem, *c. si tibi absenti.* de præb. in 6. *Secundo.*) in *hereditate*, per l. cum heredes 23. ff. de acquir. vel omitt. poss. Aditio enim hereditatis sufficit sine alia traditione. Porro aditur illa cum acceptatur verbo, vel facto, §. ult. Inst. de hered. qualit. *Tertio.*) in *Legato*. Si enim tibi res *certa* legata sit, statim hoc ipso, quo heres acceptat hereditatem, efficeris ejus dominus, per l. *a Titio* 46. *ff. de fur.* ubi dicitur, quod *res legata recta via ab eo, qui legavit, ad eum cui legata est, transeat*. Non est etiam necessaria *Quarto.*) si aliquid donatur, venditur, aut relinquitur Civitati, Ecclesiæ, piis locis, aut piis causis, per ea quæ diximus hic *n.* 760.) *Quinto*) non requiritur in contractu societatis omnium bonorum per matrimonium, de quo fuse *Covarr.* lib. 3. variar. c. 19. a n. 1.) *Sexto*. Si *donasti* & *tradidisti* aliquid *sub conditione* ut tibi alimenta præbeat: illo non præbente, ut debet, statim recuperas dominium ejus absque ulla traditione, l. 1. c. de don. quæ sub mod. *Septimo.*) Si Princeps contrahet cum aliquo, vel donet, & intendat transferre dominium, erit translatum absque alia traditione, *Covarr.* l. 2. variar. c. 19. n. 3. *Ratio* est: quia voluntate Principis requiritur traditio; igitur voluntate ipsius potest omitti.

ti: *Octavo* ) Ad jus hypothecæ, vel pignoris, puta, *improprie* sumpti, non requiritur ulla traditio, vel apprehensio: sed sufficit nuda conventio, aut legis dispositio, per l. 1. *ff. de pignor. act.* & *l.* 9. §. 1. *eod.*

772. Hæc autem ideo ex jure Cæsareo attulimus; ut evidenter demonstraremus falsam esse persuasionem eorum Naturalistarum & JCtorum, qui mordicus contendunt, *Traditionem* jure naturæ esse necessariam ad acquirendum dominium: cum tamen ex adductis exceptionibus palam sit eam solo jure communi Romano requiri in plerisque acquisitionibus *derivativis*. Quando autem dominium non transfertur ab uno in alterum, facto v. g. contrahentis, ad illud acquirendum sufficit *apprehensio*, seu *occupatio*, sic enim acquiruntur dominia eorum, quę nullius sunt, ut patet ex *n.* 735.)

773. Demum *decimus nonus*.) isque ultimus acquirendi dominii modus seu titulus est *Occupatio rei pro derelicto*, juxta §. *Qua ratione* 47. *Inst. de rer. divis.* Res vero *pro derelicta* habetur, si eam dominus ea mente abjecit, ut in numero suarum rerum esse nolit. Modus quidem hic refertur a Justiniano Imper. inter diversos à prioribus jam recensitis: sed quo ad substantiam non differt a *primo*, qui est *occupatio*, jure nat. Gentium introductus. Non recensuimus autem inter hos acquirendi modos *Præscriptionem*, quia cum hæc a plerisque ad titulum *pro derelicto* reducatur, longe vero a pluribus & melius ad modos jure civili introductos remittatur: hinc tanquam titulum controversum noluimus hic recensere, tractaturi de illo separato capite.

## §. III.

### *Quo Jure facta sit divisio, & introductum dominium, cum modis ejus acquirendi?*

## SUMMARIUM.

774. &c. *Probatur rerum divisionem Jure gent. esse factam:*
777. &c. *Motiva hujus divisionis afferuntur:*
780. &c. *Quando, & sub quo Principe facta sit divisio? quomodo, & cujus consensu?*
782. &c. *Contraria* Puffendorfii *momenta enervantur:*
784. &c. *Aliorum rationes similiter refelluntur:*

774. Divisio rerum & regionum facta est jure Gentium, prout id patet ex Can. 9. dist. 1. *Jus Gentium est*

*est sedium occupatio*, & manifestum est ex *L. Ex hoc jure 5. ff. de Just. & Jur.* ubi ait JCtus: *Ex hoc jure gentium introducta bella: DISCRETÆ GENTES : regna condita : DOMINIA DISTINCTA : agris termini positi : ædificia collocata : commercium, emptiones, venditiones, locationes, conductiones, obligationes institutæ ; exceptis quibusdam, quæ a jure civili introductæ sunt* ; puta, quo ad modum particularem contrahendi, ut diximus *n.* 675.) concordat *L. quarundam 1. ff. de acquir. rer. domin.* dicens : *Quarundam rerum dominium nancifcimur jure GENTIUM, -- quarundam jure Civili*. Quia scilicet jus Civile certas particulares *formas* pro suis civibus præscripsit *divisionibus, successionibus, occupationibus, contractibus* &c. quamvis usus & libertas horum actuum proveniat a Jure gentium, ut constat ex *n.* 741.)

775. *Ratio* quoque suadet: cur non alio, quam *Gentium jure* asserta divisio facta & introducta fuerit. Quia nempe I.) Non est facta jure *Divino*. DEUS enim neque fecit divisionem illam primam, neque eam præcepit fieri. Dedit quidem Israelitis spolia Ægyptiorum, & regna Canaitarum; hoc tamen factum est præter usitatum morem, imo jam post divisionem inter gentes factam, quæ donationes has divinas longe præcesserat. Demum DEUS nuspiam in Scripturis revelavit hanc divisionem immediate a se fuisse factam, vel in subsequens tempus ex suo divino præcepto faciendam. Legitur quidem Gen. 11. v. 8. *Atque ita divisit eos Dominus ex illo loco* ( id est a Turri Babel ) *in universas terras*, ac ibid. v. 9. ait Sacer textus : *& inde dispersit eos Dominus super faciem cunctarum regionem*, nullibi tamen reperitur mentio, quod vel DEUS præceperit Gentibus illis faciendam rerum & regionum divisionem, vel quod ipse eas inter illas diviserit : imo legitur contrarium *Gen.* 10. v. 5. quod scilicet a Familiis Noe facta fuerit illa divisio: *Ab His DIVISÆ SUNT INSULÆ GENTIUM in regionibus suis.*

776. Non etiam II.) Facta est hæc divisio *jure naturali*. Jus enim hoc neque fecit illam, cum omnia reliquerit communia: neque etiam præcepit eam fieri; neque natura secundum se ad eam inclinat, sicut v. g. inclinat ad speciei humanæ procreationem, & inde ad contrahendum matrimonium; quod, sepositis impedimentis, si inter personas habiles debito modo contrahatur, dicimus esse juris naturæ.

777. Se-

777. Sequitur igitur eam solo *Gentium jure* immediatè factam fuisse, & quidem non ita, quasi sit aliquod præceptum obligans ad divisionem omnes vel plerasque moratiores saltem Gentes: sed in hunc præcise modum, quod circa primam rerum divisionem fuerit, & nunc sit commune Populorum judicium & tacitus saltem consensus in id, quod *ad pacem & meliorem rerum administrationem* expedierit, hodieque expediat, res & regiones divisas habere potius, quam si fuerint indivisæ & omnibus ac singulis communes. Nisi enim ita distincta sint dominia, non essent *commoda & utilia* Generi humano:

778. Nam I.) si possessiones mansissent communes, relictæ fuissent incultæ. Tum quia homines facile negligunt communia, tanquam parum ad se pertinentia; maxime autem soliciti sunt circa propria, juxta illud Aristotelis: *Amabile bonum, cuique autem proprium.* Tum quia quisque fugit labores, præsertim abjectos & graves (quales sunt in agricultura & rebus mechanicis) sectaturque otium & commoditates, ac proin quisque alteri talium rerum curam & circa eas laborem reliquisset, fructus tamen alieno sudore partos, prætextu communionis bonorum, adhuc suos facere vellet, etiam vi adhibita.

779. Dein 2.) si dominium mansisset *commune*, mundus arderet perpetuis contentionibus & bellis. Quia plerumque multi concurrerent ad eandem rem occupandam, qui se mutuo conarentur impedire, & potentiores plerumque omnia raperent &c. His autem incommodis per divisionem *utcunque* occursum est. Unde *Gen.* 13. cum essent jurgia exorta inter familiam *Abrahæ* & *Lot* communiter pascentes gregem, divisione regionis conciliati sunt. Nam *Abraham* loc. c. perhibetur dixisse *ad Lot* fratrem suum: *Ne quæso sit jurgium inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce universa terra coram te est; recede a me obsecro: si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo, si dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam; ... Elegitque sibi Lot regionem, quæ est circa Jordanem, divisique sunt alterutrum a fratre suo &c.* Hæ itaque & aliæ erant causæ, quæ Gentes permovere debuerunt ad divisionem faciendam, ac proin eam per Gentes ipsas factam fuisse recte infertur, nullo jure naturali vel divino eas ad id *immediate* obligante.

780. Quando autem facta sit divisio, an circa *Phalegi* tempora,

pora, prout fit mentio in Scrip. *Gen.* 10. v. 5. dicente: *natique sunt Heber filii duo; nomen uni Phaleg, eo quod in diebus ejus* DIVISA *sit terra* &c. & an prima hæc divisio fuerit, vel secunda aut tertia? an item subsecuta sit post confusionem linguarum *Babylonicam*, vel ante? & num potestate *Adami*, vel *Noemi*, aut alterius Principis communi Gentium consensu ad hunc finem designati? quis modus divisionis sit observatus? DEUS, qui *mundum reliquit disputationi* hominum, in sacris suis codicibus nihil loqui deprehenditur, unde quæstiones hujusmodi absolute certam resolutionem sortiantur. Quantum vero congrua ratio exigit, arbitramur *tacito* saltem consensu Populorum divisionem illam extitisse, modumque divisionis non alium adhibitum, quam per *occupationem*, ac in casu controversiæ plurium ad eandem regionem competitorum, etiam *sortitioni* fuisse locum diximus supra *n.* 735.)

781. Quod vero *tacitus* saltem interfuerit Gentium consensus, convincit ratio: neque enim bona illa *æquali jure* ad totum genus humanum spectantia poterant rationabiliter certis nonnisi personis, vel uni & alteri *Noachidarum* familiæ appropriari sine cæterarum *aliquo* consensu, quæ jus communionis in illis habuerunt. At neque vana divinatio est, fuisse locum etiam *sortibus*: quia illis sæculis, ubi per legem positivam nondum erant instituti Magistratus & Judices, qui causas hujusmodi controversas aliter deciderent, *sortitionis* frequentem extitisse usum testantur Scripturæ sacræ & Historiographi profani. Imo etiam in Electionibus *sortes* fuisse in usu, easque ad tempora Apostolorum durasse, absolute verum est ex electione *S. Mathiæ* Act. 1. v. 26. *Dederunt sortes eis, & cecidit sors super Mathiam.* Terram quoque promissam Filiis Israel jussit DEUS per sortes dividi, Num. 26. v. 55. *Sors terram Tribubus dividat.* Sortis etiam judicio Jonas missus est in mare fluctibus sæviens, Jonæ 1. v. 7. *miserunt sortes, & cecidit sors super Jonam.*

782. Momenta *Hobbesii* ac *Puffendorfii* sequacium non infringunt ea, quæ pro divisione jure Gentium facta & introducta adduximus. Non enim 1.) subsistit ex §. *Feræ 12. Inst. de rer. divis.* ubi Justinianus ait: *Id quod ante nullius est, NATURALI ratione conceditur occupanti*: igitur divisio est facta jure naturali: Nam contra est. *Primo*) quod demonstratum sit *n.* 669.) vocabulum naturalis juris sæpius a jure Ro-

Romano usurpare *improprie* ac per abusum. *Secundo*) Aliud est res esse dividendas, aliud rem fieri occupantis: quod enim res, quæ nullius est (præsertim fera, vel gemma, cujus possessio alteri non adfert incommodum) fiant *occupantis*, est Juris naturalis, nam etiam in statu innocentiæ locum habuisset; quod vero *facienda* sit rerum divisio, est juris Gentium: nihil igitur recte sequitur ex *cit.* §. *Fere*.

783. Non etiam 2.) stringit hæc ratiocinatio: Id Juris naturæ est, quod ratio naturalis dictat omnino necessarium ad pacem generis humani: sed divisio rerum est hujusmodi: *Ergo* &c. Nam R. naturalis quidem ratio dictat pacem esse servandam, sicut dictat *aliquem* cibum esse necessarium ad vitam tuendam: illa tamen ad finem obtinendæ pacis non dictat *absolute necessariam* esse *divisionem* rerum, sicut non dictat, ad finem vitæ conservandæ absolute necessariam esse carnem bubulam & vinum vel cerevisiam, cum sufficiat hic vel alius cibus & potus; ac ad pacem retinendam sufficere possit hoc vel aliud medium rationi conforme. Posset enim in singulis communitatibus institui politia, secundum quam pene omnia manerent communia, administratione residente penes unam vel aliquot personas, placito communitatis institutas, ad normam communitatum hodiedum sine ulla divisione viventium. Talis communio bonorum ante aliquot sæcula fuit olim inter *Anabaptistas* in Moravia & Polonia. Si tamen excipias uxores quas illi turpiter contra omnia jura communes faciebant. Quia vero Gentes omissis aliis conservandæ pacis mediis, divisionem rerum elegerunt, hanc non jure naturali: sed Gentium introductam esse merito statuimus.

784. Neque urget 3.) aliorum ratio petita ex D. *Augustino* tr. 6. in Jo. *Quod hæc villa sit mea, & illa tua, est ex jure Imperatorum*: igitur non ex jure Gentium. Obstat enim, quod ubi rerum divisionem juris Gentium esse dicimus, eam solum *in genere* spectatam ad hoc jus reducamus, non autem prout hujus vel illius rei variis personis *particularibus* facta est distributio. Hæc enim provenit vel ex *prima occupatione* jure nat. orta, uti fit in apprehensione rei, quæ nullius domini est, vel pro derelicto habetur; aut oritur distributio illa ex modis a jure civili approbatis prout contingit in præscriptione, successione, contractu, qui formam *particularem* a civili dispositione habent.

VII.

Vid. *n.* 774. ) & ibi textum Juris Cæsarei, ubi dicitur, *quarundam rerum dominium nanciscimur ex jure Gentium, quarundam jure civili* &c.

785. Demum 4.) non movet ratio desumpta ex *Can. Dilectissimis 2. caus. 12. q. 1.* ubi Clemens I. ait: *Communis usus omnium, quæ sunt in hoc mundo, omnibus esse debuit; sed per iniquitatem alius dixit hoc esse suum, & alius istud, NB. & sic inter mortales facta est divisio:* igitur divisio illa, de quali discurrimus, fuit iniqua & illicita, non itaque potuit esse jure Gent. imo nullo alio, cum nullum jus iniquitati assistat.

R. Enim falsum esse illatum. Juxta communem quippe Interpretum expositionem citati Canonis sensus est, per iniquitatem hominum fuisse *occasionem datam*, cur recta ratio dictaric faciendam esse divisionem, cum tamen, si iniquitas per prævaricationem *Adami* non irrepsisset in Mundum, omnia omnibus fuissent communia. Divisio igitur hæc justa fuit, quia facta est etiam ex isto fine, ut per eam cædes, bella, rixæ aliaque iniquitas evitaretur. Et ita ille, qui Religionem ingreditur, *occasionem ingressus* desumit ex motivo facilius evitandæ iniquitatis, quin tamen inique agat, imo omnino sancte & juste facit.

Alia quoque ratio est justificandi illam divisionem: ex eo, quod cum regiones illæ sub nullius fuerint *particulari* dominio, & (ut jam probavimus) *aliquis* accessetit Populorum *communis assensus* in divisionem, hæc fieri potuerit sine omni iniquitate, quia fuit sine ulla tertii injuria.

786. Similem dein 5.) recipit expositionem *Can. Jus naturale dist. 1.* ubi legitur: *Jure naturæ omnia sunt communia.* Non enim sequitur etiam post peccatum omnia debere esse communia. Rectus igitur Canonis hujus intellectus est 1.) Quod si *status primævus* naturæ innocentis non fuisset *moraliter* immutatus, omnia fuissent, aut saltem potuissent esse communia, cum deesset occasio & necessitas divisionis propter vitandas rixas &c. 2.) Equidem dicuntur *jure naturæ omnia communia* esse; sed tamen *sine ullo præcepto* retinendæ bonorum communionis. Quia Jus naturæ sicut *non præcepit* communionem rerum, ita *non prohibuit* earum divisionem, utramque autem *permisit* arbitrio humano, ut hoc vel illo modo utatur rebus, dummodo sine iniquitate. Hinc dicimus, etiam in statu naturæ innocentis, propter rationabilem causam, homines dividere inter se bona potuissent, si voluissent, pariter ac nunc

*in statu naturæ hypothetico*, absolute loquendo possent gentes redire ad primævam communionem, quanquam *moraliter* id sit impossibile.

## §. IV.

### *Utrum mare particulari dominio certæ alicujus Gentis, cum exclusione aliarum subesse possit?*

### SUMMARIUM.

787. *Mare subest dominio totius generis humani.*
788. *An vero etiam particulari alicujus Nationis?*
789. *Resp. Affirmative quo ad mare* internum.
790. *Excipitur libera navigatio sine territorii præjudicio.*
791. *Defenditur affirmativa etiam quo ad mare* externum.
792. &c. *Excipitur item & explicatur* usus innoxius.
794. &c. *Oceanus totus* physice, *non vero* moraliter *potest subesse uni Genti.*
796. &c. *Solvuntur contraria. Adducitur* Pax Monasteriensis.

787. PLerique, qui de maris dominio tractare leguntur, instituunt quæstionem: *an mare sit capax dominii humani? an subjaceat proprietati generis humani?* &c. Verum, si tota quæstio in his tantum generatim propositis terminis consistat, videtur omni dubio carere, cum ex *n.* 734.) jam pateat, a summa munificentia Divina esse omnia sublunaria dominio generis humani attributa, ac proin non apparet ratio, cur mare sit exceptum. Tanto magis autem censendum est competere jus dominii *humano generi* in mare, cum Divina eloquia citato *n.* 734.) adducta affirment dominio ejus subjectos esse *pisces maris*: porro captum superat, qui fieri possit, ut *pisces maris* subjecti sint humani generis dominio, & mare in quo pisces continentur, & ex quo illi capi ac extrahi debeant, non subsit dominio ejus. Certe enim praxis docet; si ego non habeam jus ullum v.g. in Sempronii stagnum, piscinam, aut fluvium, neque pisces ibi contentos, illo invito possum meos facere *piscando*, illos extrahendo, capiendo &c. Quodsi pisces illi prout in aquæ elemento existentes meo juri subjecti sunt independenter ab ullo contractu, consensu, & facto alterius hominis; etiam elementum aquæ pisces hos con-

continens & locus ipse, qua late patet meus est, vel saltem mihi cum aliis communis.

788. Cum igitur certum esse videatur, quod mare (saltem præscindendo a *particulari*) subjectum sit *universali* ac indefinito dominio *totius* generis humani, placuit præsentem quæstionem instituere: *An mare particulari dominio unius certæ Gentis, cum exclusione aliarum subesse possit?* Ansam vero quæstioni huic dedit *fœderatum Belgium*. Dum enim non procul ab initio elapsi sæculi, inter Hispanos & Belgas de induciis tractantes, multum etiam disceptaretur *de libertate Indicanorum commerciorum*, quam sibi Belgæ fœderati vindicabant, Hispani autem inter dominationis suæ jura sepositam cupiebant; ea occasione *Hugo Grotius* Fisci Advocatus in favorem Belgarum fœderatorum edidit libellum, sub titulo: *Mare liberum*, quo probare conatus est, liberam ad Indos navigationem nec divino, nec naturali, multo minus Gentium aut civili jure, subditis Ordinum fœderatorum interdici posse, quam tamen assertionem Auctor hic multis postmodum limitavit in suo alio opere, scilicet *de Jure belli & pacis l. 2. c. 2. §. 3. & 8. ac seqq. usque ad* 16. Dein elapsis pluribus annis, nempe A. 1635. *Joannes Seldenus* JCtus Anglus Hugoni Grotio contrariam sententiam defendit, qua etiam totam de dominio maris quæstionem apprime examinavit, edito opere, cui præfixit titulum: *Mare clausum*. Ubi ostendit, mare etiam *restrictè unius certæ Gentis*, dominii capax esse, semperque pro tali habitum fuisse. Cum autem *inventis facile sit addere*, hinc factum est, ut duæ hæ secum pugnantes, olim ignotæ opiniones, multos hinc & inde sequaces nactæ sint. Siquidem vero quæstio hujusmodi qua per tractatus pacis & treguas inter maritimas Nationes, earumque Reges & Principes initas, qua per *Pacem Monasteriensem* (ut infra deducemus) decisa & complanata est; hanc ob causam non censemus operæ pretium fore, si longam eamque seriam de ea texamus disputationem, contenti illa adducere, quæ summariam rei hujus præbent notitiam.

789. Ad propositam igitur quæstionem communiter recepta Auctorum sententia respondet *Primo*) mare *internum*, seu finibus certi territorii *undique* conclusum subesse dominio illius Gentis, intra cujus ripas & margines extat. Hinc Gens hujusmodi, seu Princeps ejus, vel Respublica potest extraneis Populis prohibere in hoc mari piscationem, co-

ralliorum vel margaritarum extractionem, fuccini collectionem, aliafque utilitates ex iis, quæ in mari fponte nafcuntur: Salva tamen *navigatione* etiam aliis Gentibus permittenda, quatenus hæc vim publicæ viæ habet, & fit fine præjudicio Accolarum.

*Ratio* partis *primæ* eft. Quia I.) mare ex natura fua admittit dominium humanum, eft enim res creata fublunaris, de qua homo poteft difponere in ordine ad omnem illum ufum, cujus illa eft capax: poteft enim fibi arrogare jus pifcandi, ad ejus littora portus ædificandi, naves armatas confervandi & applicandi, variafque utilitates, quamdiu territoria fua, & regionis ambitus extenduntur, percipiendi. II.) Cum igitur fit res ad utilitates humanas creata, corporalis, eaque frugifera; capax eft occupationis adinftar aliarum rerum fublunarium, & cum ante introductam rerum divifionem fub nullius *certo* ac *determinato* fuerit dominio, poft hanc introductam poteft occupari; Atqui jam occupata eft ab illa Gente intra cujus Territoria & Provincias continetur, alioqui Gens hæc neque littora ipfa, nec Infulas, pifcationem, portuum & navigiorum ædificationem cum aliis poffeffionis actibus fibi vindicare poffet. III.) Hujufmodi maria, freta, lacus &c. funt *acceffforia* fundorum, non minus capacia dominii ac ipfa territoria. Si enim per poffibile aquæ marinæ aliquo cafu, aut Divina virtute exficcarentur, fpatium hoc aridum *certo* maneret in dominio illius Nationis, intra cu us fines, ripas & margines continetur, ea ratione ac omnes fentiunt de alluvione: igitur etiam, &c.

790. Partis *fecundæ* ratio eft. Quia fi Gentes extraneæ *abfque ullo præjudicio* Accolarum, & Populi illius, intra cujus fines mare continetur, navigationem inftituant, utuntur jure fuo, quod unufquifque hominum a lege naturali fibi permiffum habet, ut per viam publicam (quæ omnibus communis eft, neque in fchema divifionis inter Gentes factæ unquam venerat) poffit pergere quocunque modo voluerit & potuerit, five pedes, five curru aut equo vectus, five demum pro loci opportunitate navigio ufus. Nam, prout pedeftria itinera per mare & flumina abrumpuntur, ita patulus navigiis præbetur acceffus, *quamdiu nullum præjudicium* infertur juribus Populi illius, mari hujufmodi dominantis. Eamque ob caufam juftum effe arbitramur, quod Nationes maritimæ non finant extraneas ar-

tas naves in suis littoribus commorari aut subsistere, nisi prius impetrata venia, & præstita cautione de se non offendendo.

791. *Secundo*) Major est difficultas de Mari *externo*, seu quod non clauditur littoribus & ripis unius certæ Nationis; an ejus dominio, cum exclusione ceterarum subesse possit? Nihilominus communior Eruditorum opinio est, docens: quod de mari *interno* & fretis particularibus, territorio aut provincia unius determinatæ Gentis & Populi conclusis demonstravimus, idem quoque dicendum esse de mari *externo*, littoribus & ripis certæ alicujus Nationis non clauso, aut saltem non undequaque clauso: sed solum aliqua sui parte, (uti fit in Oceano) littora, sive territoria certarum Nationum alluente. Cum enim hæ etiam Maris & Oceani partes occupari, id est, in potestate teneri defendique queant, & natura sua sicut ceteræ res sublunares corporeæ, ad utilitatem & commodum generis humani creatæ sint, nulla apparet ratio, cur introducta rerum divisione eas Populi particulares territoriis, ditionibusque suis adjicere, atque proprietatis juri sibi asserere non possint. *Occupatio* enim lege hac generali, veluti universali titulo nititur, quod rem *sub nullius dominio determinatè existentem apprehendendo cum animo dominii, nostram faciamus*: Atqui Gentes maritimæ, licet non quidem statim ab initio, bene tamen post inventam navigationis praxim, plerasque partes *externas* maris & Oceani sub nullius dominio determinate existentes apprehenderunt cum animo dominii: in illis enim a tempore immemoriali occuparunt insulas, extruxerunt portus, piscatæ sunt, aliaque commoda perceperunt & hodiedum percipiunt, excludendo alios populos &c. quamdiu igitur in harum utilitatum possessione sunt, præsumuntur eas simul cum Oceani & maris partibus occupasse.

792. Populi itaque vicini hujusmodi Nationum in possessione prædicta existentium, non minus a littoris, quam Oceani idem alluentis usu, puta piscatione, navigatione præjudicium inferente, indagatione coralliorum, succini, margaritarum, appulsuque ad oras maritimas jure arcentur, omniaque hæc commoda Populus territorii dominus sibi merito vindicat: Nisi quatenus humanitatis leges, aut *usus innoxius* vel casus necessitatis vicinis populis aliquid *per accidens* concedendum quandoque suadent, vel interdum jubent.

793. Porro *usus innoxiæ utilitatis* dicitur, qui ab alio citra nostrum incommodum vel molestiam ex re nostra percipitur: quæ vero objecta talem utilitatem aliis præstare apta sunt, *res utilitatis innoxiæ* nuncupantur. Talis res est: v. g. aqua marina, per quam quis navigat sine territorii Accolarum dispendio: ignis a nobis succensus, ad quem alius se calefacit &c. &c. Hujusmodi enim officia Gentes sibi mutuo exhibere obstrictæ sunt, cum ea reducantur ad obligationes naturales *imperfectas*, quæ aliis *prosunt*, *& nos non gravant*, per ea, quæ diximus *a n. 618.*) Effectus vero *usus innoxiæ utilitatis* tanto magis locum habet in Oceano, de quo mox tractabimus.

794. *Tertio*) demum maxima controversiæ materia foret: an etiam vastus Oceanus in se spectatus, unius certæ, vel aliquarum Gentium juri proprietatis ac dominio sub esse possit cum exclusione omnium aliarum Nationum?

Utut autem spinosa quæstio hæc esse videatur, communiter tamen & verosimilius resolvitur sub hac distinctione: 1.) Etiam vastus Oceanus in se spectatus, *absolute loquendo*, dominii & proprietatis uni soli, vel alteri Populo acquirendæ capax est, ita ut reliquæ Gentes ab illius usu excludi possint per Populum cui Oceani proprietas competeret.

*Ratio* est, quia omnia sublunaria, quæ jure naturæ *primigenio*, ac abstrahendo a rerum divisione ex intervallo subsecuta, toti generi humano communia sunt, successu temporis, ac supposita rerum divisione per Gentes introducta, possunt sic a determinata Gente, ac certo particulari Populo occupari, ut posthac fiant ejus propria & privata. Prout id patet ex instantia: ita quippe terra, quæ etsi vastissima sit, nihilominus, exuta primæva communione, tam quo ad usum, quam quo ad proprietatem, temporis successu dominium induit separata in varias ditiones, ac provincias & regna: cur non igitur etiam vastus Oceanus? Præsertim, cum neque Oceani natura, neque alia ratio huic occupationi ac proprietati refragetur: Nam sicut Creator *Gen. 1. v. 28.* dixit: *replete terram, & subjicite eam*, ita eodem loco maris occupandi facultatem subjunxit in his verbis: *& dominamini piscibus maris*: Porro in pisces maris dominium intelligi nequit, nisi simul sit jus in elementum aquæ, quod inhabitant, ut *n. 787.*) innuimus.

Quod-

Quodsi terra, quæ superna Creatoris nostri dispositione toti Generi humano attributa est, potuit dividi & occupari per particulares Nationes: nihil prohibet similem occupationem Oceani, quantumvis vastissimi.

Quo etiam facit, quod universaliter loquendo, homo earum rerum possit habere dominium, quas sua industria acquirere potest, quatenus igitur non excedit vires alicujus Gentis, ut totum Oceanum, nondum certæ Gentis vel aliarum proprietati subjectum occuparet, eatenus eum suo juri submittere potuit.

795. II.) Quemadmodum vero Oceanus vastus, *absolute loquendo* potest subesse dominio unius solius Gentis, ut jam ostendimus, ita *per accidens* tamen nequit totus ita uni alterive Nationi subordinari, ut reliquæ ab omni ejus usu & commodo excludantur. *Rationem* hujus limitationis suppeditat *moralis* impossibilitas, quæ vastum Oceanum ab una Gente, imo etiam pluribus posse occupari totum non sinit; tum quod longe plures aliæ sint Nationes maritimæ, quarum littora ille alluit, atque hinc jus æquale his quoque tribuere videatur: tum quia vastitati Oceani correspondent multa spatia deserta, aut inhabitata, nondum ab ullo hucusque Populo occupata, & terræ incognitæ, quæ manent adhuc sub primæva bonorum communione: has proin regiones investigandi cuique Genti competit jus firmum & indubitatum, ita ut fiant primo occupantis: consequens igitur est, quod *totus* Oceanus nondum sit sub certo unius vel plurium Gentium dominio cum ceterarum exclusione. His itaque competet jus non tantum *innoxiæ utilitatis*: sed etiam *occupationis*, quæ a nemine prohiberi potest.

## CONTRARIA MOMENTA EXAMINANTUR.

796. Cum maxima sit lis inter Eruditos circa usum *vasti Oceani*, hunc non pauci cum Hugone Grotio, etiam *absolute loquendo*, negant posse subjici unius alteriusve Gentis dominio cum exclusione aliarum, propter hæc motiva. I.) Universus Oceanus, cum juxta *Geographos* major sit ipsa terra, hac nullo modo continetur: sed potius eam in se continet, adeo ut non jam Oceanus terræ sit accessorium, verum terra Oceani: hic igitur cum vastitate sua *respuat terminationem*, respuit quoque occupationem, & consequenter dominium. II.) Oceanus ex sua natura est *inexhaustæ utilitatis*, omnibusque capax est subministrare usum suffi-

cientem tam in piscando, quam navigando, aliaque commoda percipiendo: cessat proin ratio proprietatis, ob quam certo particulari dominio res inter Gentes divisæ subjectæ sunt. III.) Mare jure naturali omnium commune est §.1. *Inst. de rer. divis.* ac *l.2.§.1.ff. de D. R.* tanto magis igitur universus Oceanus: hic proin nequit venire in dominium humanum, cum jus naturæ sit immutabile §.11. *de J. N. G. & C.*

797. Verum hæc & similia tanta non sunt, quæ nodum Gordium in se contineant. Fatemur enim *Ad I.)* quod Oceani vastitas respuat quidem terminationem *vulgarem & propriam*, qualis foret per erectionem columnarum terminalium, aggerum aut lapidum positionem &c. admittit tamen *impropriam* terminationem. Cum enim juxta hanc opinionem posset Oceanus simpliciter & absolute occupari, quousque Populus vellet & decerneret; terminationem quoque hanc posset pro suo arbitrio determinare. Licet enim forte termini occupatam latitudinem distinguentes non reperirentur in mari, possent tamen illi ex cælo & ejus circulis definiri, qui æque fallere nequeant, ac limites alii in terra facti. Quanquam etiam vastissimo mari non desunt ab ipsa natura indita signa distinguentia, qualia sunt promontoria, insulæ, eminentes scopuli &c.

798. Nec refert, quod Oceanus (si loquamur de *Atlantico* simul & *Indico*) major sit ipsa terra, nam inde hoc solum sequitur, quod territoriorum littora distinguere illius limites non possint; nihil autem prohibet, quo minus defectum hunc suppleant cælestes circuli, imo & promontoria, insulæ, scopuli, aliaque ex aquis prominentia corpora.

799. *Ad II.)* Non facit ad rem, quod Oceanus sit *inexhaustæ utilitatis*, nam terra quoque a suo Creatore hac liberalitate donata est, ut *moraliter* exhauriri nequeat. Ab orbe enim condito tot milliones hominum, ac ferarum, jumentorum, volatilium &c. aluit & sustentavit, neque hodiedum quidpiam ei deesse experimur, quo Generis humani commodo liberaliter inserviat, & tamen hæc nedum dominio multarum Gentium subjecta est: sed etiam nihil ambigimus eam, *absolute loquendo*, posse unius alteriusve Nationis, imo & Principis creati dominio subesse.

800. Demum, falso laborant supposito *Grotiani* sequaces, quod *saltem primaria* ratio inductæ proprietatis fundetur in rei natura *exhauribilis* vel *inexhauribilis*: sed potius in passiva ejus *capacitate ad occupari*, seu quod sit *occupabilis*, &

sub

sub nullius *determinato* dominio existat. Alioqui neque mare internum, neque pars Oceani territorium certæ Gentis vel civitatis *immediate* alluens occupari, & jure proprietatis acquiri posset: cum etiam pars hæc illius sit quoad piscationis, navigationis, portuum extructionis, aliaque commoda, inexhaustæ utilitatis. Equidem illatum hoc admittit Grotius *l.* 2. *c.* 2. §. 3. *de jure B. & P.* dicens: *Mare sumptum aut sub ratione integri, aut sub ratione præcipuarum partium, in proprium jus abire non posse*. Verum hic ipse Adversarius minus solide assertam propositionem hanc limitat, se ipsum refutans ibidem *c.* 3. §. 7. & 8. ubi postquam asseruit *flumina posse occupari* a dominis territorialibus; subjungit: *Ad hoc exemplum videtur & mare occupari potuisse* &c. Recedit proin a præcipuo opinionis suæ fundamento, quod unicum arbitratus est obstare, cur Mare totum, vel in sua parte dominio particularis Nationis subesse nequeat: quia scilicet est *inexhaustæ utilitatis*.

801. *Ad III.*) Quod mare jure naturali omnium commune sit, nihil solidi inde concludi potest contra ejus occupationem. Non minus enim mare, quam etiam terra, & omnia quæ in ea sunt, jure naturali spectato, & abstrahendo a rerum divisione, omnium communia erant, alioqui non possent inter plures dividi, & tamen juri proprietatis subesse possunt: non est igitur ratio, cur mare inter objecta humano dominio exempta reputetur. Naturæ enim Creator DEUS O. M. initio Generis humani concedens bona terrena promiscuo, seu communi omnium usui, non imposuit ullum præceptum retinendæ communionis hujus, consequenter neque jus naturale obligat ad eam conservandam, *permisit* tamen facultatem statuendi circa ea, prout conditioni humanæ melius foret ad pacem, ac magis expediret ad mutuum amorem, ut constat ex *n.* 159. & 738.) Porro jus naturale *permissivum* posse mutari vel impediri nemo ambigere deberet, per ea quæ diximus *a n.* 41.) & fatetur ipsemet *Grotius* cum suis sequacibus, loc. cit. c. 2. §. 2. & 5. ac l. 2. c. 8. §. 5.

802. Nec juvat *Grotianos* Apologetas instantia de Aere; quod scilicet aer non possit subesse dominio unius alteriusve Gentis: igitur neque Oceanus, & reliqua maria. *Contra* enim est, quod *Grotiana* hæc argumentatio omnem doctrinæ opinionem, quam sibi Protestantes, tanquam Delphico

ora-

oraculo adstruunt, in discrimen vocet, prostituatque suum Auctorem ita elumbi usum ratiocinio. Nulla enim prorsus doctrinæ consequentia est, sive inconstantiam Grotianæ sententiæ spectes, hic immediate n. præced. adductam, sive vim argumenti in paritate minus apte cogitata fundatam perpendas; quod etiam *Puffendorfius* Grotianus alioqui encomiastes *de J. N. & G. IV. V.* 5. hunc in modum refellit, & risu explodit,,, Cum in aere homini versari sit negatum, ita ,, ut a terra sit disjunctus, soli aeri innixus; ideo imperium in aerem exerceri non potuit, nisi quousque qui in ,, terra stant, pertingere queant. Verum ut in mari dominium longius exerceri posset, effectum est per naves, ad ,, summam jam perfectionem perductas, quæ non oneribus ,, tantum transportandis inserviunt; sed per regna Neptuni Martem terribili magis specie, quam per terram idem desævit, circumferunt.,, Ex his autem liquet etiam aerem subesse dominio *utili* hominis, quantum ad eum pertingere, illumque *suo modo* occupare potest, alioqui cessaret ratio, cur Jura permittant Actionem de non *attollendo altius ædificio*: de *lumine non intercipiendo* meis fenestris: de *libera aucupii facultate*: de *Molendinis* in meo fundo *ad ventum ædificatis* non impediendis &c.

803. Controversiæ huic finem imposuit Tractatus *pacis Monasteriensis*, Anni 1648. a. 5. dicens: *Navigatio & commercium per Indias Orientales & Occidentales sustentabitur juxta indulta in eum finem data, aut in posterum danda: ad quam securitatem faciet præsens hæc transactio cum sua ratihabitione, quæ ex utraque parte erit procuranda. Comprehendentur autem sub eodem tractatu omnes Monarchæ, Nationes, & Populi, cum quibus iidem Domini Ordines Generales, aut illi a Societate Indiarum Orientalium & Occidentalium, in ipsorum nomine, inter limites illorum indultorum colant amicitiam & societatem &c.* Cum autem prædicta navigatio sustinenda dicatur *juxta indulta in eum finem data* &c. sequitur illas Gentes, a quibus indulta hæc ad navigandum obtenta & obtinenda sunt, habuisse jus aliquod in Oceanum: frustra quippe peteretur indultum ab aliqua Natione maritima, si sola juris naturalis permissio ad hunc navigationis & commercii effectum sufficeret in illis circumstantiis, ubi illud sine aliquo Gentis Oceano dominantis præjudicio attentari non posset.

Præallegatæ autem transactioni pace Monasteriensi firmatæ ansam dedit; quod in *Tractatu induciarum* Anno 1609.

Rex

Rex Hispaniarum non modo prædictam navigationem *Batavis* confirmare noluerit, verum etiam, ut *Indiæ* vocabulum tractatui insereretur, prorsus recusaverit. Et hoc est primum tanti moliminis punctum, quod *Batavi* per dictum Tractatum Monasteriensem ab inclyta Natione Hispana obtinuerunt, hoc ipso jus ejus agnoscentes.

## §. V.

### *Quot modis acquiratur, & quale dominium competat homini in captivos?*

## S U M M A R I U M.

804. *Homo non cadit sub dominium alterius Jure nat. bene tamen Jure gent.*
805. *Ostenditur non esse Jurium istorum ullam contradictionem.*
806. &c. *Exponuntur* 4. *modi servitutum & dominii in homines.*
810. *Extra Imperium Rom. nullæ conditiones sunt necessariæ ad sui venditionem.*
811. *Etiam parentes possunt filios suos vendere.*
812. *Jure tamen Cæsareo limitatur hæc potestas: secus Jure nat. & Gentium.*
813. *An hi* 4. *modi servitutum ex Jure Gent. proveniant? Ibidem de Rusticorum Polonorum servitute.*

804. QUæstionis hujus decisio pendet ab alia dubitatione, an scilicet *homo cadat sub dominium alterius hominis?* Ad quam responsio uti prompta ita certa est, quod nempe, *jure naturæ* spectato homo non habeat dominium in alterum hominem. Cujus ratio est; quia omnes homines naturæ conditione sunt pares, cum sint ejusdem naturæ, ex eodem Protoparente nati, & ad eundem finem conditi. Unde etiam axioma ortum traxit: *par supra parem non habet potestatem*. Et quamvis nonnulli a natura sint magis apti ad imperandum, nonnulli ad serviendum, (prout *Aristoteles* l. 1. Polit. c. 1. & 3. dicit *quosdam natura servos, quosdam dominos*) nemo tamen natura est *servus proprie*. Unde colligimus, quod in statu *naturæ integræ* nulla futura fuerit servitus, quia hæc est pœna peccati, ut ostendimus supra *n.* 160.) Ubi etiam deductum est, *jure Gentium* & *Civili* posse nihilominus hominem alioqui liberum, effici adhuc *servum*

*vum* alterius, idque multis modis, ut mox dicemus. Patetque id ex Scriptura; *Exod.* 21. *Levit.* 25. *Deut.* 20. & 21. ubi variæ leges præscribuntur de variis servitutum generibus, & Apostolus 1. Cor. 7. ait: *Servus vocatus es? non sit tibi curæ*. Unde constat etiam Christianos posse esse servos, non solum Gentium: sed etiam Christianorum, de quo tractat Gratianus *dist.* 45. adducens multa decreta de servis Christianis.

805. Nec obstat, quod servitus sit contra naturam, ut passim dici consuevit: Nam non est ita contra naturam, ut simul sit *contra rectam rationem*, vel *preceptum naturale*: sed nonnisi dicitur esse contra naturam, quia est contra *primevam naturæ conditionem*, juxta quam, cum omnes essent recti & sine peccato, iniquum fuisset, si alter alterum servituti subjecisset. Nunc autem supposita prævaricatione & peccato, est secundum rationem. Et ita v.g. uti pharmacis & cruciatibus afficere homines, est contra primam naturæ constitutionem, non autem est contra rationem, supposito morbo, vel delicto. Egregie hac de re *D.Aug.*L.19. de Civ. c.15. ait: *Rationalem factum* (hominem) *ad imaginem suam noluit, nisi irrationabilibus dominari, hominem non homini; sed hominem pecori: conditio quippe servitutis jure intelligitur imposita peccatori. Proinde nusquam Scripturarum legimus servum, antequam hoc vocabulo Noe justus peccatum filii vindicaret. Nomen itaque istud culpa meruit, non natura*, &c.

806. Complanata jam prodroma quæstione descendimus ad modos acquirendi dominii in captivos, quos dicimus quatuor modis seu titulis dominio nostro subjici posse, nempe *Jure belli*, *nativitate*, *justa condemnatione*, *& emptione*. Propter hanc vero multiplicem servitutis, & juris proprietatis in homines acquisitionem, præsens quæsitum non ad materiam de *Jure belli* infra tractandam: sed ad hoc caput, ubi *de mediis acquirendi dominii* agitur, retulimus.

*Primus* Titulus est *Jus belli* justi; communi Gentium consuetudine receptum, quo non quidem præcipitur, datur tamen potestas ei, qui aliquem in bello justo capit; ut (abstrahendo a bello inter Christianos acto) vindicet illum sibi in servum, *l. Hostes, ff. de captiv.* Juris autem hujus institutio profecta est ex naturali quadam commiseratione, ne capti occiderentur (cum tamen merito possent occidi) sed *servarentur*, morte in servitutem commutata, unde & *servi* a servando dicti sunt, *Inst. de Jure person.* Extenditur hoc

jus

jus etiam ad parvulos *captivorum*, eorumque descendentes, quantumvis innocuos. Juris enim proprietatis hæc natura est, ut fructus rei naturalis rem sequatur, eidemque dominio subsit, & quia etiam innocui alioqui *captivorum* descendentes pars adhuc sunt hostilis Reipublicæ ac membra ejus, quæ uti commodis, ita quoque incommodis sui corporis participant, in bonis & malis externis. Apud Christianos tamen ob specialem rationem usu introductum est, ut Christiani capti a Christianis non fiant servi, idque in honorem libertatis, quam per Christum sumus consecuti. Si tamen bellum *injustum* gerant contra Infideles & capiantur, fiunt eorum servi Jure gentium, ut diximus supra *a n.* 720.

807. Notandum tamen, eum, qui bello ex parte sua *justo* capitur, non contrahere veram servitutem. Quodsi utrinque belli justitia sit *ambigua*, ob probabile jus utriusque partis, capti utrinque fiunt servi jure Gentium, ut opinatur *Covarr.* Reg. peccatum. 2. p. §. 11. n. 8. Ubi tamen constare cœperit, utri parti faveat justitia, tunc ea pars, quæ in uste cepit, debet captum in libertatem sine pretio restituere. Hæc laudatus Auctor. Cum ejus tamen venia putarem, eo casu quo belli justitia utrinque est vere ambigua seu *dubia*, neutram partem posse capere in servitutem, sicut neutram potuisse bellum gerere stante utrinque dubia ejus justitia, præsumptio enim stat pro libertate. Quodsi una pars nihilominus ducat captivos hujusmodi in servitutem, pars altera poterit quidem similiter in illam ducere: non quod in hoc dubio casu justitiæ, actus iste aliquo jure tanquam honestus *in se* approbetur: sed potius facere id potest mere *per accidens*, scilicet per *retorsionem juris iniqui*. Vid. *n.* 723. )

808. *Secundus* Titulus est *Nativitas*: ratione cujus fit servus, qui ex ancilla natus est, nam *partus sequitur ventrem*, l. Partum C. de Rei vind. idque merito, quia mater est certior, & plus confert materiæ corpulentæ, quam pater: servitus autem secundum corpus convenit. Si tamen mater fuit libera quando concepit, aut in partu, vel tempore aliquo medio inter conceptum & partum ( etsi vel ad momentum ) proles jure Cæsareo non contrahit servitutem, §. *sed etsi quis Inst. de Ingen.* Ratio est, quia hoc ipso momento, quo mater efficitur libera, etiam proles est libertati restituta, unde calamitas matri superveniens non debet nocere proli libertatem assecutæ, præsertim cum causa libertatis

tatis sit maxime favorabilis. Ubi tamen nulla est lex, vel consuetudo disponens de servitute prolis, sufficit ut mater in partu sit ancilla; quia proles in partu est fructus ancillæ, non liberæ. Ita servari dicitur apud plerasque gentes; quæ Jure Cæsareo non utuntur.

809. *Tertius* Titulus est *Justa condemnatio*, qua quis fit servus, si ad id propter crimen a legitimo Judice condemnetur. Sicut enim potest quis ad mortem damnari; ita etiam ad servitutem, quæ mors est civilis. Sic qui deferunt arma vel alia prohibita ad Turcas vel Saracenos, fiunt servi Christianorum eos capientium, *c. Ita quorundam 6. de Judæis & Sarac.* Raptor etiam puellæ in servitutem deditur, *c. 36. q. 1.* & femina quæ sciens contraxerit matrimonium cum eo, qui sacro ordine initiatus est; potest a Principe in servitutem rapi, *c. Eos qui d. 32.* quæ omnia locum habent post sententiam Judicis, non aliter.

810. *Quartus* Titulus est, *Emptionis & venditionis*, quando quis primo fit servus ex libero; v.g. se ipsum vendendo; aut a parentibus venditus. Quod autem homo possit se ipsum vendere, *ratio* est; quia est dominus suæ libertatis; igitur eam potest libere abdicare. Et patet in exemplo S. Paulini, qui se vendi in servum voluit, ut filium viduæ redimeret: tum eorum, qui Religionem ingrediuntur, non solum bonis externis, sed etiam libertati suæ propter Christum renunciando, quamquam hi non efficiuntur servi; eo quod hoc non faciant in commodum Prælati temporale: sed suum spirituale. Idem aperte colligitur *Exod.* 21. & *Deut.* 15. ubi conceditur Hebræo, ut se sponte possit alteri in perpetuum servum tradere. Equidem ad validam hujusmodi venditionum, jure Cæsareo requiruntur 6. conditiones; quas refert *Silvest.* ver. Servitus q. 3. Ubi tamen Jus Cæsareum non est receptum, potest quis se ipsum libere vendere nulla habita ratione istarum conditionum. Et ita quidam Austriacus se vendiderat ad triremes Genuenses; inito contractu ad triennium duraturo pro 100. aureis. Illi ego collocutus in portu Genuensi Ann. 1743. miratus sum hominis indolem, quod pro 100. aureis libertatem suam vendiderit, ita ut cum aliis mancipiis nullo privilegii discrimine, durissime tractaretur.

811. Nedum seipsum quis modo prædicto: sed etiam Parentes possunt jur. nat. vendere proles *non emancipatas*, ut colligitur *Exod.* 21. v. 7. *Ratio* est, quia proles est veluti

pars

pars & fructus parentis, trahens ab ipso esse & vitam; hinc parens jus habet ex illa percipiendi ea emolumenta, quæ ipsa de se, si sui juris esset, percipere posset: porro ipsa si esset juris sui, posset se vendere: igitur &c.

812. De Jure tamen Civili Romano requiruntur certæ conditiones, ut patet ex *l. 2. C. de patrib. qui filios distrax.* Scilicet *Primo*) ut id fiat *per nimiam paupertatem & victus causa*, ut citata lex ait; quodsi ob aliam causam pretio filii egeat, v.g. ad se redimendum a morte vel servitute, vel perpetua captivitate, non poterit filium vendere, nec obsidem dare, ut tradunt *Acurs. Alciat.* & *Dinus* apud *Cov.* l. 3. var. c. 14. n. 4. quia dicta lex *secunda* id tantum concedit *victus causa*. Si tamen nudum Jus naturæ spectemus, poterit ob quamvis gravem necessitatem, modo id fiat *sine periculo animæ* filii venditi. *Secundo*) uti soli patri hoc liceat: tamen jure naturæ licitum etiam matri. *Tertio*) ut solum possit vendere filium nondum emancipatum, qui enim sui juris est effectus, non subest amplius patriæ potestati. *Quarto*) ut filius ita venditus possit recuperare libertatem: soluto pretio, vel oblato alio mancipio, perinde ac si nunquam fuisset servus, ita disponente *cit. l. 2.*

813. Ex quatuor modis acquirendi dominii in captivos & mancipia hic adductis, solus primus, qui est *Jure belli*, spectat ad jus Gentium, cum hic solus respiciat communem ac *publicam*, eamque externam Gentium utilitatem; tres vero reliqui, cum vergant in *particulare* commodum, proveniunt magis a jure nat. *permissivo*, & legum positivarum dispositione, per ea quæ diximus *a n. 687.*) id tamen concedendum est Adversariis, quod etiam tres illi servitutum modi qui habentur ex *nativitate*, justa *condemnatione*, & *emptione-venditione*, per imitationem servituti *Jure belli*, Gentium consensu & usu introductæ, originem suam sumpserint. Quia tamen imitatio hujusmodi provenit ex particulari hominum determinatione, non autem ex *publica* omnium *vel* præcipuarum Gentium sanctione, hic non sequitur eos ad jus Gent. directe ac immediate esse referendos.

Notandum autem est, quod Rustici *emptitii*, *originarii* & *glebæ annexi* in Polonia ac Bohemia non sint quidem servi *proprie*, cum sint Christiani, habeantque verum dominium rerum, suo labore & industria, vel successione aut alio titulo quæsitarum: nihilominus nequeant licite fugere, & priore invito domino se alteri subjicere: Illi enim

nim priores domini more antiquo istarum Nationum, & secundum leges suas, jus rigorosum reale proprietatis in eorum personas, plerosque ipsorum acquisiverunt, ac possunt eos vindicare & repetere (salva præscriptione) apud quemcumque reperti fuerint, dummodo a prima notitia intra decennium eos requirant.

## §. VI.

*An Mancipia & servi aliquo ex dictis titulo quæsiti, jure Gentium vel alio spectato possint licite fugere, subtrahendo se dominorum suorum potestati?*

## S U M M A R I U M.

814. &c. *Possunt fugere* I.) *injuste capti*. II.) *Si ad peccatum inducantur*, III.) *si Judæo, Pagano, hæretico serviant*.
818. &c. *Non possunt fugere juste venditi, vel ob crimen in servitutem redacti. Neque eorum proles*.
821. *Controversum est de bello justo captis*.
822. &c. *Asseritur & probatur licita fuga, cum limitatione tamen*.
825. *Quando se persequenti domino resistere possunt?*
826. Contraria *momenta expediuntur*.

814. CUm quæstio hæc uberrimam juxta ac perutilem discursus præbeat materiam, ne distinctionum multitudo confusionem pariat, separanda sunt certa a controversis, ac proin:

851. Certum est I.) Servos posse non solum fugere, si non sint juste in servitutem redacti: sed etiam vi repellere impedientem, & surripere a suis dominis quantum satis est ad compensationem injuriæ & operæ præstitæ. Sic Christiani a Turcis capti possunt prædicto modo fugam capessere. Debet tamen *morali certitudine* constare de injustitia belli, nec sufficit sola probabilitas, multo minus dubium. Si quoque bellum non amplius duret, & *Amnistia* inter belligerantes subsecuta sit, fugere injuste captus poterit, quia *Amnistiæ* natura est, ut captivi ab invicem dimittantur, si igitur contra *pacti conventi* legem captivus adhuc detineatur, hic etiam juste alias in servitutem redactus fuga sibi hoc casu consulere non prohibetur.

An

An autem injuste captus, præter id, quod surripit domino, in compensationem suæ injuriæ & operæ præstitæ, possit etiam eidem surripere, v. g. de pecunia, gemmis, aliisque rebus, *quantum secum asportare potest?* Affirmant *Covarr. Molin. Less.* & alii, *dummodo bellum, quod ex parte capientium injustum est, adhuc duret*, eo, quod hoc casu, Principis bellum ex sua parte justum gerentis, censeatur adesse consensus, in hanc hostis publici spoliationem. Verum, quo ad hanc partem opinio ista in praxi non est sequenda, cum laxet fræna avaritiæ. Vix enim reperias captivum, qui non dicat se injuste captum, ac proin hujus sententiæ privilegio uterentur homines in injuriam proximi. Dein, in materia *injuriæ tertii* non sufficit conjectura illa de consensu Principis, de cujus *absoluta* voluntate surripienti captivo hic & nunc non constat. Imo etiamsi ita constaret: adhuc consensus hic Principis non tribuit jus prædictum. Quia Gentes nunquam consensisse præsumuntur in actum hujusmodi, tanta mala in societem *civilem* hominum invehentem, pariter ac non præsumitur consensus Gentium in venenum tempore belli contra hostem adhibendum, & in occisionem publici hostis in fugam versi & inermis. Jus quoque naturæ, quemadmodum permittit captivo, ut hic tantum nonnisi surripiat domino injuste capienti, quantum sufficit ad compensationem injuriæ, & operarum, ita *absolute* prohibet, omnem excessum in surripiendo. Ac proin etiam in hypothesi consensus Principis, contraria opinio adhuc non subsistit.

816. Certum est II.) Quod si servi a domino incitentur ad aliquod peccatum, qui rogatus nolit desistere, vel si inhumaniter tractentur, fugere possint. *Ratio* prioris partis est, quia non tenentur cum periculo animæ suæ domino huic servire, in præjudicium supremi omnium Domini Creatoris sui. *Ratio* alterius est: quia inhumaniter tractando v. g. fame, siti, frigore, verberibus *fine causa* affligendo, facit eis injuriam, a qua se possunt eripere. Cessantibus tamen his causis, justo (præter bellum) titulo in servitutem redacti tenentur reverti, si in posterum non sit periculum: sicut conjux, quæ ob similem causam toro maritali se subduxit. Nisi forte injuria tanta fuerit, ut merito libertate sit compensanda.

817. Neque ambigendum est III.) posse servos dese-

rere dominum, si hic sit Judæus, aut Paganus, jurisdictioni Principis Christiani subjectus: vel si sit hæreticus in Regno vel Imperio non toleratus: tunc enim mancipia Christiana, & respectu hæretici Catholica sunt hoc ipso libera; per *L. DEO nobis* 56. *C. de Episc. & Cler.* ubi Justinianus ait: *His ita dispositis, repetita lege jubemus; ut nullus Judæus vel Paganus, vel hæreticus servos Christianos habeat, quod si inventi in tali reatu fuerint, sancimus, servos omnibus modis liberos esse, secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex *C. ult. de hæret. & c.* 2. *ac ult. de Jud. & Sarac.* Imo servi Infideles Judæorum, Paganorum & Hæreticorum non toleratorum possunt fugere ad Ecclesiam, ut fiant Christiani, & baptismo suscepto statim fiunt liberi, per cit. *l.* 56. *C. de Episc. & Cler.*

818. A contrario autem dubio vacat IV.) Eos non posse citra injuriam fugere, qui a se ipsis, vel a suis parentibus legitime venditi sunt. Quia cum sint facti servi per legitimum contractum, in quem ipsi vel parentes eorum loco juste consenserunt, tenentur contractui stare, ea ratione ac alios contractus emptionis-venditionis &c. servare obligati sunt.

819. Non est quoque tantopere anceps V.) Eum qui in pœnam criminum *juste* ad servitutem condemnatus est, non posse fugere, ut communis fere DD. tradit opinio. Quia reus tenetur exequi justam sententiam, si pœna talis sit, ut non possit *nisi per reum* executioni mandari: atqui servitus est talis pœna, & quidem *qualificata*, qua vi ejus acquirit dominium in reum hujusmodi is, cui ille addicitur. *Excipe* tamen, nisi servitus hæc foret *valde calamitosa*, hoc enim casu non videtur naturali rationi absonum, si asseramus eum, oblata occasione, posse fugere. Nimis enim durum & superans humanam conditionem esse videtur, si quis pro suis criminibus quantumvis maximis, lento martyrio in hac vita cruciari jubeatur, prohibeaturque fugere, cum facile possit: porro tale lentum martyrium est servitus prædicta, quam quis sustinere cogeretur, in fame, nuditate, labore immoderato, ac inter verbera &c.

820. Omnium quoque sententia est VI.) prolem eandem conditionem subire quam mater, juxta *n.* 808.) Hinc si mater se vendidit, vel a parentibus juste vendita est; aut ob crimen servituti addicta, proles in servitute nata

non

non poteſt fugere. Unde ſequitur, eum qui hujuſmodi ſervis conſilium vel auxilium ad fugam præbet, peccare & ad reſtitutionem teneri totius damni inde ſecuti, utpote qui eſt cauſa moralis illius.

821. Demum VII.) totus controverſiæ cardo vertitur circa ſervos *bello juſto* captos: *An hi licite fugere poſſint, & etiam perſequentibus vi reſiſtere?* Utramque quæſiti partem negant multi cum *Navarr.* c.17. n. 103. his nixi momentis. I.) Quia Victor bello juſto capiens hoſtem v. g. Turcam, jure Gentium aſſiſtente, quæſivit jus in illum, non aliter ac in ejus bona, quæ penes illum reperit: jure autem quæſito privare alterum evidens eſt injuſtitia: porro ſervus hic fugiens privat hoc jure Victorem ac dominum ſuum. II.) Servis a dominis ſuis ſolent graviter puniri, ſi contingat eos fugere, & ab ea fuga retrahi: igitur ſignum eſt, quod non liceat eis fugere, alioqui injuſte punirentur. III.) Qui damnatus eſt exilio ad certum locum non poteſt ex eo loco fugere: itaque ſi ſervus jure Gentium damnatus eſt ſervitute, non poteſt fugere. IV.) Cap. *Si quis ſervum* 17. q. 4. Concilium Gangrenſe ſub anathemate prohibet, *ne quis alieno ſervo ſuadeat miniſterium domini ſui deſtituere. Et l. 1. C. de ſerv. fugitiv.* dicitur *fugitivus ſervus furtum ſui facere domino*, juncta *l.3. eod.* His tamen & ſimilibus aliis non obſtantibus,

822. Dicendum eſt, ſervum bello juſto captum *licite poſſe fugere ad ſuos*: quamvis *non poſſit domino ſuo perſequenti vi reſiſtere*, uti tradunt *Soto* l.4. de Juſt.q. 2.a. 2. *Bannes* 2. 2. q.40. a. 1. dub. 13. *Covarr.* ad Regul. *peccatum* 2. p. §. 11. nu. 6. & l. 1. var. c. 2. n. 10. & ex his alii. *Ratio* primæ partis eſt. Quia cum hæc ſervitus communi conſenſu Gentium ſit introducta, non debet ejus conditio magis onerari, quam conſuetudine totius orbis ſit receptum: Atqui conſuetudo habet, ut tales ſervi ſine conſcientiæ ſcrupulo poſſint *ad ſuos* fugere. Neque hoc cenſetur illicitum: niſi forte dediſsent fidem de non fugiendo, & ea lege vita illis eſset condonata: tunc enim tenentur ſtare promiſſis.

*Huc facit*, quod hęc ſervitus ceteris ſit nobilior, minuſque probroſa: unde etiam in viros nobiles cadere poteſt: non eſt igitur cogenda in eas anguſtias, in quas coguntur aliæ ſervitutes. *Demum* ſi non poſset fugere, beneficium legum, quo fugienti ex captivitate conceditur libertas in

termino, esset inutile, quia non posset illud consequi nisi per peccatum: unde esset illicitum ad peccandum & lex injusta. Porro lex hujusmodi est, quæ mox sequitur.

823. In §. *Item ea Inst. de rer. divis.* de servis *bello captis* ita statuitur: *Qui tamen si evaserint nostram potestatem, & ad SUOS reversi fuerint, pristinum statum recipiunt.* Idem insinuatur *l. nihil 26. ff. de captiv. & postlimin. reverss.* ibi: *Nihil interest, quomodo captivus reversus sit, utrum dimissus, an vi vel fallacia potestatem hostium evaserit; ita tamen, si ea mente venerit, ut non illo reverteretur.* Cum autem contra hanc antiquissimam Juris Civilis Romani dispositionem nulla Gens hucusque exceperit, imo cum omnium Nationum bello etiam justo capti homines, nihil in contrarium contra Reges & Principes eorum obmoventibus dominis, a tempore immemoriali captata occasione impune fugiant, atque ita damnum, si quod per hujusmodi fugam illatum sit, vicissim compensetur: præsumendum est, Gentes se permissive habere, ita ut nedum fuga hæc licita sit Christiano ab infidelibus capto: verum etiam Infidelium mancipiis Christianorum servitutem effugientibus idem jus concedendum sit, cum Gentium consuetudo hac in re eadem sit quo ad omnes personas bello captas.

824. Dicitur tamen posse fugere *ad suos*. Quia non licet eis fugere ad evagandum extra potestatem dominorum: sed solum animo contendendi *ad suos*. Hæc enim sola fuga jure & consuetudine servis concessa est, ut per eam possint libertatem in termino recuperare; nempe cum *ad suos*, vel ad amicam civitatem, ubi publico nomine tuti sint, pervenerint, ut patet ex *l. Postliminio 17. ff. de captiv.* Quod si in via intercipiantur, possunt reduci: quia antequam perveniant *ad suos* non recuperant libertatem. Postquam vero pervenerint, ita sunt liberi, ut etiamsi redeant causa mercaturæ, vel simili, non possint a priore domino retrahi in servitutem. Si autem fugiant non animo redeundi *ad suos*, peccant, & tenentur redire, (juxta *Covarr.* supra) quia privant dominum usu sui, dum adhuc continentur eodem dominio, nec sunt in via subtrahendi se ab eo per fugam jure permissam. Verum limitatio hæc *Covarruviæ* utut habeat locum in Imperio Rom. & ubi Jus Cæsareum receptum est, siquidem hoc cum ista clausula ut *ad suos* revertantur, in fugam servorum

rum bello captorum consensit: illa tamen non videtur ullo modo extendenda ad alias Gentes; quæ nec Jus Cæsareum Romanum receperunt, neque prædictam requirunt clausulam; suos tamen subditos e potestate Victorum fugientes; sine ullo scrupulo evadere servitutis hujus jugum; tolerant; sive hi *ad suos*; sive ad alienigenas fugiant, dummodo captivitate liberentur: Si igitur extra Roman. Imperium degens homo, justæ servituti *bello* partæ se subducat; neque *ad suos*; sed ad aliam Nationem sese conferat, adhuc videtur excusari a peccato, tum ex generali consensu Gentium supra explicato, tum præcipue quia hoc casu competit *jus retorsionis* uni Genti contra alteram; si itaque unius Nationis captivi fugiant ita; quin ulla satisfactio præstetur ab ea, ad quam se illi contulerunt; etiam vicissim alterius Gentis servi poterunt simili licentia elabi adversæ partis captivitate: hac vero ratione injuria; si quæ dominis particularibus per fugam servorum illata est, compensatur ab invicem: tacito Gentium consensu approbante.

825. *Partis alterius* ratio, cur servi prædicti dominis persequentibus *vi resistere non possint*; est hæc: quia domini habent jus illos intercipiendi & detinendi quamdiu *ad suos* vel *extra territorium illius Gentis* a qua capti & abducti erant; non pervenerunt: alioqui inutilis esset servitus, hic cum non possit esse bellum utrinque *in se* & objective justum; non possunt se vi tueri. Simile est in reo; qui etsi fugere possit; non tamen ministris justitiæ persequentibus resistere.

Dixi *vel extra territorium illius Gentis* &c. Quia, juxta immediate dicta; aliæ Gentes non receperunt jus Cæsareum Rom. neque requirunt, ut earum captivi transfugæ omnino *ad suos* redeant: id tamen observant & praxi attestante volunt; ut territorio ejus Gentis apud quam detinebantur, excedant, quo subsecuto dominus eorum in aliena ditione persequi illos & apprehendere nequit; perinde ac si illi *ad suos* jam redirent.

*Excipe:* nisi forte etiam hoc alterum territorium esset Gentis confœderatæ cum priore, & bellum adhuc duraret actu; tunc enim *civiliter* manere intelliguntur in eadem Natione a qua capti fuere, & perseverare adhuc servi.

826. CONTRARIA *momenta* hoc modo expediuntur: *Ad I.*) Jus Victori in servum *bello captum* competens quasi-

situm fuit *limitate* & revocabiliter: *nisi fortuna suffragante captivus elabatur*, nunquam enim mens Gentium fuerat homines ejusmodi obligare in conscientia, ut etiam non custoditi, & facilitatem elabendi habentes maneant in servitute. Si quoque aliqua injuria irrogatur per hujusmodi fugam, illa compensatur simili fuga captivorum Gentis adversæ, atque adeo *Jure retorsionis* per Gentes tacite approbato, tollitur obligatio restitutionis, aut reditus in servitutem, ad quam contraria sententia tales servos reducere contendit.

*Ad II.*) Non facit ad rem, quod domini soleant graviter punire hujusmodi transfugas deprehensos: quia Jure gentium servi bello justo capti habent quidem privilegium fugiendi; sed sub clausula: *si commode possint*, atque adeo dominus quoque habet jus eum castigandi tunc, dum ille, cum commode fugere non posset, fugam attentavit. Patet id in alia instantia: ita quippe custodia publica inclusi licite fugiunt, & tamen deprehensi puniuntur, *l.1.ff.de Effractor.* quod magis locum habere potest in servis; quia cum caperentur in bello, poterant juste occidi: sed mors illis ita commutatur in servitutem, ut si fugiant, nolentes in ea persistere, prior pœna ex parte possit revocari, irrogata alia castigatione. Respondéri etiam posset, quod domini eos castigantes forte sequantur aliam sententiam, quæ censet fugam hanc esse illicitam: contra vero, captivi hujusmodi quoties fugiunt, adhærent nostræ opinioni.

*Ad III.*) Nulla est recta consecutio a casu illo quo quis damnatus exilio ad certum locum, non potest ex eo loco fugere; ad casum nostrum. Quia hi servi, de quibus sermo est, non damnantur ut malefactores in Judicio: sed nobiliori quodam modo, & minus ignominiosa servitute, cui *ex more Gentium* hoc privilegium est concessum, & longæva consuetudine firmatum.

*Ad IV.*) Citato & aliis Canonibus solum prohibetur, ne quis prætextu religionis, seu libertatis Christianæ doceat servum contemnere dominum suum, & deserere ejus ministerium, unde nihil ad casum præsentem sequitur. Lex *prima* Cod. citata loquitur de eo, qui fugit ad alium dominum. Lex autem *tertia* ejusdem tituli procedit indistincte de servis, qui fugiunt ad barbaros, hostes Rom. Imperii, illique graviter puniri jubentur. Hinc excipiendi sunt isti, qui fugiunt ad *suum* populum, ut colligitur ex

aliis

aliis juribus allatis, imo & illi qui ita fugiunt, ut non se conferant quidem *ad suos*, neque etiam ad hostes suæ Nationis: migrant tamen ad alios populos extra territorium Gentis in cujus captivitate degebant.

## §. VII.

### *Quomodo acquirantur dominia in feras, volucres, & pisces?*

## SUMMARIUM.

827. *Dominia in feras, volucres & pisces venatione acquiruntur.*
828. *Exponitur & corrigitur definitio venationis.*
829. *Divisio venationis in suas species affertur.*
830. *Facultas venandi a J. N. & G. est mere permissa.*
831. *An venatio possit prohiberi? refertur* negativa *opinio.*
832. *Defenditur* affirmativa *sub certis conditionibus.*
833. *Illa recte prohibetur a Principe ob solam recreationem.*
834. &c. *Competitque Germaniæ Principibus etiam independenter a* Regalibus.
837. *Non in omnibus locis neganda est populo.*
838. *Actus* meræ facultatis *an cadat sub præscriptionem?* ac vide *n.* 859.

827. I.) V*Enatione*, prout hæc est genus *ad piscationem, aucupium & venationem in specie*, acquiri supradictorum dominia communis est opinio fundata in §. *Feræ* 12. *Inst. de Rer. divis.* ubi dicitur: *Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur: simul atque ab alio CAPTA FUERINT, jure GENTIUM statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione OCCUPANTI conceditur, nec interest, feras bestias & volucres utrum suo in fundo quis capiat, an in ALIENO.* Ex quo textu infertur; animalia natura sua mansueta, vel cicurata, & nostra custodia detenta occupanti haud acquiri, usque adeo, ut si quis ovem e faucibus lupi ereptam animo suam faciendi apprehenderit, furti reus censeatur, *d.* §. 12. 15. & 16. *Inst. de rer. divis.* juncta *l.* 4. *l.* 5. §. 6. *ff. de Acquir. rer. dom.*

828. II.) Porro *Venatio* in sua specie considerata a multis definitur esse *occupatio ferorum animalium in naturali liber-*

*libertate existentium*: sed non recte; nam qui venatur, potius sectatur, quam occupat, & plurimi persequuntur fera animalia quin capiant. Ne igitur ex defectu rectæ definitionis hujus objecti impingamus in nonnullorum Legistarum errores circa venationem, juvat hanc accuratius definire. Ac proin *Venatio* vel sumitur pro *actu venandi*; & sub hac ratione spectata, est *Exercitium ordinatum ad captionem animalium terrestrium*: sicut *aucupium* ordinatur ad captionem avium, & *piscatio* piscium: Vel demum accipitur pro *jure venandi & occupandi* feras; atque hoc altero sensu est *Jus persequendi animalia, quæ terra, mari, cælo comprehenduntur, & nullius sunt, jure naturali permissum, vel legitimo titulo acquisitum*. Sebast. Medices, *de jure venand. p.* 1. *q.* 1. *n.* 1. Georg. Morus *eod. tract. p.* 1. *c.* 1. *n.* 10.

§29. III.) Ita definita *Venatio* dividitur in tres species; scilicet in *Venationem* specifice dictam, *Piscationem* & *Aucupium*; arg. *l.* 1. *l.* 2. & *l.* 3. *ff. de acquir. rer. dom.* ac *d.* §. *Feræ* 12. *Inst. de Rer. divis.* Hæc ipsa *Venatio specifice* sumpta subdividitur in majorem & minorem, seu *altam* & *bassam*: *Major est*, quæ se extendit ad majora animalia silvestria, utpote Cervos, Capreas montanas, apros &c. Vid. Meichs. *decis.* 2. *t.* 3. *f.* 125. Minor est, quam etiam *particularem* vocant, quæ comprehendit omnis generis animalia minora: ut lepores, vulpes, taxos, & omnia volatilia, perdices, alaudas, turdos, silvestres anseres, anates, reliquasque omnes volucres, sive magnæ illæ sint, sive minores; nisi alicubi speciali lege Principis aliquæ *expresse* excipiantur, prout excipi solent *falcones*, *ardeæ* &c. propter Principum recreationem. Demum alia est venatio *simplex*, cum quis solus jus venandi habet, alia *simultanea*, quando duo pluresve habent prædictum jus: Alia item est *Precaria*, quæ est ad nutum revocabilis: Alia *hereditaria*, quæ transit ad heredes.

Hæc sunt plana; & ut plurimum non tam a jure naturali, Gentium, vel Civili communi dependent, quam potius æstimanda sunt, & colligenda ex *particularibus* Provinciarum & Territoriorum *consuetudinibus*, ac *Statutis* vel *Edictis* Principum. Nos ea potissimum hic examinabimus, quæ ex *naturali* vel *Gentium* jure proveniunt, aut saltem provenire a plerisque dicuntur. Et quidem

Du-

*Dubitatur* I.) An facultas, seu jus venandi sit juris Gentium vel naturalis?

830. Quamvis dubio huic satisfecisse videatur Justinianus Imp. *cit.* §. *Feræ* 12. *Inst. de R. D.* dicens, omnia fera *animalia -- simul atque ab alio capta fuerint*, JURE GENTIUM *statim illius esse incipiunt*; nihilominus non desunt, qui cum Andr. Tiraquell. *in tr. de nobilit. c.* 37. *n.* 138. Philip. Dec. *in cons.* 197. *n.* 2. Ant. de Butr. & aliis, contendunt venationem, pariter ac piscationem & aucupium in locis perviis & non clausis, haud *juri Gentium*, sed *naturali* esse attribuendum, eo quod feræ, pisces, & aves in locis hujusmodi priusquam capiantur, sub nullius dominio sint, ac proin cedant primo occupanti: Porro *occupationem* talem a jure naturali procedere constat ex *n.* 672.) & liquet ex *l.* 3. *ff. de acquir. rer. dom.* ibi: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur*.

Verum inutilis disceptatio hæc facile dirimetur, si respondeamus *primo*, occupationem *improprie* attribui juri nat. cùm sit juris Gentium per *cit.* §. *Feræ*. Deinde parum refert, ad quodnam ex prædictis juribus reducenda sit venatio, cùm *per se* neque a naturali, neque a Gentium jure sit ulli hominum prohibita vel præcepta, *permissa* vero ab utroque, patet autem ex *n.* 41. & 682.) permissiones hujusmodi justâ accedente causa, facile posse a Magistratibus legitimis immutari, & quod alias permissum fuerat; simpliciter inhiberi, ut etiam sentit Grotius de *J. B. & P. c.* 8. §. 5. *in fin.* Fatemur igitur *venationem* esse naturali & Gentium jure unicuique hominum *permissam*, salva tamen jurisdictione legitimarum Potestatum, etiam humanarum; quæ ob justam causam, ac in certis circumstantiis a naturali & Gentium jure permissam venandi, piscandive libertatem limitare aut prohibere possunt. Hinc

*Dubitatur* II.) An igitur Principes possint venationem suis subditis juste prohibere, jus venandi sibi ipsis arrogando?

831. Quæstio hæc potest procedere vel de prohibitione in locis *publici juris*, vel in locis *privatorum*, v.g. prædio, vel saltu subditi. Quod in nullo ex his sive publici sive privati juris fundo possint Principes *generaliter* prohibere *omnibus* venationem, etiam in silvis & campis ad eos non per-

rere dominum, si hic sit Judæus, aut Paganus, jurisdictioni Principis Christiani subjectus: vel si sit hæreticus in Regno vel Imperio non toleratus: tunc enim mancipia Christiana, & respectu hæretici Catholica sunt hoc ipso libera, per *L. DEO nobis 56. C. de Episc. & Cler.* ubi Justinianus ait: *His ita dispositis, repetita lege jubemus, ut nullus Judæus vel Paganus, vel hæreticus servos Christianos habeat, quod si inventi in tali reatu fuerint, sancimus, servos omnibus modis liberos esse, secundum antiquiorem nostrarum legum tenorem.* Idem colligitur ex *C. ult. de hæret. & c. 2. ac ult. de Jud. & Sarac.* Imo servi Infideles Judæorum, Paganorum & Hæreticorum non toleratorum possunt fugere ad Ecclesiam, ut fiant Christiani, & baptismo suscepto statim fiunt liberi, per cit. *l. 56. C. de Episc. & Cler.*

818. A contrario autem dubio vacat IV.) Eos non posse citra injuriam fugere, qui a se ipsis, vel a suis parentibus legitime venditi sunt. Quia cum sint facti servi per legitimum contractum, in quem ipsi vel parentes eorum loco juste consenserunt, tenentur contractui stare, ea ratione ac alios contractus emptionis-venditionis &c. servare obligati sunt.

819. Non est quoque tantopere anceps V.) Eum qui in pœnam criminum *juste* ad servitutem condemnatus est, non posse fugere, ut communis fere DD. tradit opinio. Quia reus tenetur exequi justam sententiam, si pœna talis sit, ut non possit *nisi per reum* executioni mandari: atqui servitus est talis pœna, & quidem *qualificata*, qua vi ejus acquirit dominium in reum hujusmodi is, cui ille addicitur. *Excipe* tamen, nisi servitus hæc foret *valde calamitosa*, hoc enim casu non videtur naturali rationi absonum, si asseramus eum, oblata occasione, posse fugere. Nimis enim durum & superans humanam conditionem esse videtur, si quis pro suis criminibus quantumvis maximis, lento martyrio in hac vita cruciari jubeatur, prohibeaturque fugere, cum facile possit: porro tale lentum martyrium est servitus prædicta, quam quis sustinere cogeretur, in fame, nuditate, labore immoderato, ac inter verbera &c.

820. Omnium quoque sententia est VI.) prolem eandem conditionem subire quam mater, juxta *n. 808.*) Hinc si mater se vendidit, vel a parentibus juste vendita est; aut ob crimen servituti addicta, proles in servitute nata

non potest fugere. Unde sequitur, eum qui hujusmodi servis consilium vel auxilium ad fugam præbet, peccare & ad restitutionem teneri totius damni inde secuti, utpote qui est causa moralis illius.

821. Demum VII.) totus controversiæ cardo vertitur circa servos *bello justo* captos: *An hi licite fugere possint, & etiam persequentibus vi resistere?* Utramque quæsiti partem negant multi cum *Navarr.* c.17. n.103. his nixi momentis. I.) Quia Victor bello justo capiens hostem v. g. Turcam, jure Gentium assistente, quæsivit jus in illum, non aliter ac in ejus bona, quæ penes illum reperit: jure autem quæsito privare alterum evidens est injustitia: porro servus hic fugiens privat hoc jure Victorem ac dominum suum. II.) Servis a dominis suis solent graviter puniri, si contingat eos fugere, & ab ea fuga retrahi: igitur signum est, quod non liceat eis fugere, alioqui injuste punirentur. III.) Qui damnatus est exilio ad certum locum non potest ex eo loco fugere: itaque si servus jure Gentium damnatus est servitute, non potest fugere. IV.) Cap. *Si quis servum* 17. q. 4. Concilium Gangrense sub anathemate prohibet, *ne quis alieno servo suadeat ministerium domini sui destituere. Et l. 1. C. de serv. fugitiv.* dicitur *fugitivus servus furtum sui facere domino*, juncta *l.3. eod.* His tamen & similibus aliis non obstantibus,

822. Dicendum est, servum bello justo captum *licite posse fugere ad suos*: quamvis *non possit domino suo persequenti vi resistere*, uti tradunt *Soto* l.4. de Just.q.2.a.2. *Bannes* 2. 2. q.40. a.1. dub.13. *Covarr.* ad Regul. *peccatum* 2. p. §. 11. nu. 6. & l. 1. var. c. 2. n. 10. & ex his alii. *Ratio* primæ partis est. Quia cum hæc servitus communi consensu Gentium sit introducta, non debet ejus conditio magis onerari, quam consuetudine totius orbis sit receptum: Atqui consuetudo habet, ut tales servi sine conscientiæ scrupulo possint *ad suos* fugere. Neque hoc censetur illicitum: nisi forte dedissent fidem de non fugiendo, & ea lege vita illis esset condonata: tunc enim tenentur stare promissis.

*Huc facit*, quod hæc servitus ceteris sit nobilior, minusque probrosa: unde etiam in viros nobiles cadere potest: non est igitur cogenda in eas angustias, in quas coguntur aliæ servitutes. *Demum* si non posset fugere, beneficium legum, quo fugienti ex captivitate conceditur libertas in

rum bello captorum consensit: illa tamen non videtur ullo modo extendenda ad alias Gentes; quæ nec Jus Cæsareum Romanum receperunt, neque prædictam requirunt clausulam, suos tamen subditos e potestate Victorum fugientes; sine ullo scrupulo evadere servitutis hujus jugum; tolerant; sive hi *ad suos*; sive ad alienigenas fugiant, dummodo captivitate liberentur. Si igitur extra Roman. Imperium degens homo, justæ servituti *bello* partæ se subducat; neque *ad suos*; sed ad aliam Nationem sese conferat, adhuc videtur excusari a peccato, tum ex generali consensu Gentium supra explicato, tum præcipue quia hoc casu competit *jus retorsionis* uni Genti contra alteram; si itaque unius Nationis captivi fugiant ita; quin ulla satisfactio præstetur ab ea, ad quam se illi contulerunt; etiam vicissim alterius Gentis servi poterunt simili licentia elabi adversæ partis captivitate: hac vero ratione injuria; si quæ dominis particularibus per fugam servorum illata est, compensatur ab invicem: tacito Gentium consensu approbante.

825. *Partis alterius* ratio, cur servi prædicti dominis persequentibus *vi resistere non possint*; est hæc: quia domini habent jus illos intercipiendi & detinendi quamdiu *ad suos* vel *extra territorium illius Gentis* a qua capti & abducti erant; non pervenerunt: alioqui inutilis esset servitus, hic cum non possit esse bellum utrinque *in se* & objective justum; non possunt se vi tueri. Simile est in reo; qui etsi fugere possit; non tamen ministris justitiæ persequentibus resistere.

Dixi *vel extra territorium illius Gentis* &c. Quia, juxta immediate dicta; aliæ Gentes non receperunt jus Cæsareum Rom. neque requirunt, ut earum captivi transfugæ omnino *ad suos* redeant: id tamen observant & praxi attestante volunt; ut territorio ejus Gentis apud quam detinebantur, excedant, quo subsecuto dominus eorum in aliena ditione persequi illos & apprehendere nequit; perinde ac si illi *ad suos* jam redirent.

*Excipe*: nisi forte etiam hoc alterum territorium esset Gentis confœderatæ cum priore; & bellum adhuc duraret actu; tunc enim *civiliter* manere intelliguntur in eadem Natione a qua capti fuere; & perseverare adhuc servi.

826. *CONTRARIA momenta* hoc modo expediuntur. *Ad I.*) Jus Victori in servum *bello captum* competens quæ-

 situm

situm fuit *limitate* & revocabiliter: *nisi fortuna suffragante captivus elabatur*, nunquam enim mens Gentium fuerat homines ejusmodi obligare in conscientia, ut etiam non custoditi, & facilitatem elabendi habentes maneant in servitute. Si quoque aliqua injuria irrogatur per hujusmodi fugam, illa compensatur simili fuga captivorum Gentis adversæ, atque adeo *Jure retorsionis* per Gentes tacite approbato, tollitur obligatio restitutionis, aut reditus in servitutem, ad quam contraria sententia tales servos reducere contendit.

*Ad II.)* Non facit ad rem, quod domini soleant graviter punire hujusmodi transfugas deprehensos: quia Jure gentium servi bello justo capti habent quidem privilegium fugiendi; sed sub clausula: *si commode possint*, atque adeo dominus quoque habet jus eum castigandi tunc, dum ille, cum commode fugere non posset, fugam attentavit. Patet id in alia instantia: ita quippe custodia publica inclusi licite fugiunt, & tamen deprehensi puniuntur, *l.1.ff.de Effractor.* quod magis locum habere potest in servis; quia cum caperentur in bello, poterant juste occidi: sed mors illis ita commutatur in servitutem, ut si fugiant, nolentes in ea persistere, prior pœna ex parte possit revocari, irrogata alia castigatione. Responderi etiam posset, quod domini eos castigantes forte sequantur aliam sententiam, quæ censet fugam hanc esse illicitam: contra vero, captivi hujusmodi quoties fugiunt, adhærent nostræ opinioni.

*Ad III.)* Nulla est recta consecutio a casu illo quo quis damnatus exilio ad certum locum, non potest ex eo loco fugere; ad casum nostrum. Quia hi servi, de quibus sermo est, non damnantur ut malefactores in Judicio: sed nobiliori quodam modo, & minus ignominiosa servitute, cui *ex more Gentium* hoc privilegium est concessum, & longæva consuetudine firmatum.

*Ad IV.)* Citato & aliis Canonibus solum prohibetur, ne quis prætextu religionis, seu libertatis Christianæ doceat servum contemnere dominum suum, & deserere ejus ministerium, unde nihil ad casum præsentem sequitur. Lex *prima* Cod. citata loquitur de eo, qui fugit ad alium dominum. Lex autem *tertia* ejusdem tituli procedit indistincte de servis, qui fugiunt ad barbaros, hostes Rom. Imperii, illique graviter puniri jubentur. Hinc excipiendi sunt isti, qui fugiunt ad *suum* populum, ut colligitur ex aliis

aliis juribus allatis, imo & illi qui ita fugiunt, ut non se conferant quidem *ad suos*, neque etiam ad hostes suæ Nationis: migrant tamen ad alios populos extra territorium Gentis in cujus captivitate degebant.

## §. VII.

### *Quomodo acquirantur dominia in feras, volucres, & pisces?*

## SUMMARIUM.

827. *Dominia in feras, volucres & pisces venatione acquiruntur.*
828. *Exponitur & corrigitur definitio venationis.*
829. *Divisio venationis in suas species affertur.*
830. *Facultas venandi a J. N. & G. est mere permissa.*
831. *An venatio possit prohiberi? refertur* negativa *opinio.*
832. *Defenditur* affirmativa *sub certis conditionibus.*
833. *Illa recte prohibetur a Principe ob solam recreationem.*
834. &c. *Competitque Germaniæ Principibus etiam independenter a* Regalibus.
837. *Non in omnibus locis neganda est populo.*
838. *Actus* meræ facultatis *an cadat sub præscriptionem?* ac vide *n.* 859.

827. I.) VEnatione, prout hæc est genus *ad piscationem, aucupium & venationem in specie*, acquiri supradictorum dominia communis est opinio fundata in §. *Feræ* 12. *Inst. de Rer. divis.* ubi dicitur: *Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces, & omnia animalia, quæ mari, cælo, & terra nascuntur: simul atque ab alio CAPTA FUERINT, jure GENTIUM statim illius esse incipiunt: quod enim ante nullius est, id naturali ratione OCCUPANTI conceditur, nec interest, feras bestias & volucres utrum suo in fundo quis capiat, an in ALIENO.* Ex quo textu infertur; animalia natura sua mansueta, vel cicurata, & nostra custodia detenta occupanti haud acquiri, usque adeo, ut si quis ovem e faucibus lupi ereptam animo suam faciendi apprehenderit, furti reus censeatur, *d.* §. 12. 15. & 16. *Inst. de rer. divis.* juncta *l.* 4. *l.* 5. §. 6. *ff. de Acquir. rer. dom.*

828. II.) Porro *Venatio* in sua specie considerata a multis definitur esse *occupatio ferorum animalium in naturali*

*libertate existentium*: sed non recte; nam qui venatur, potius sectatur, quam occupat, & plurimi persequuntur fera animalia quin capiant. Ne igitur ex defectu rectæ definitionis hujus objecti impingamus in nonnullorum Legistarum errores circa venationem, juvat hanc accuratius definire. Ac proin *Venatio* vel sumitur pro *actu venandi*; & sub hac ratione spectata, est *Exercitium ordinatum ad captionem animalium terrestrium*: sicut *aucupium* ordinatur ad captionem avium, & *piscatio* piscium: Vel demum accipitur pro *jure venandi & occupandi* feras; atque hoc altero sensu est *jus persequendi animalia, quæ terra, mari, cælo comprehenduntur, & nullius sunt, jure naturali permissum, vel legitimo titulo acquisitum*. Sebast. Medices, *de jure venand. p.* 1. *q.* 1. *n.* 1; Georg. Morus *eod. tract. p.* 1. *c.* 1. *n.* 10.

§29. III.) Ita definita *Venatio* dividitur in tres species; scilicet in *Venationem* specifice dictam, *Piscationem* & *Aucupium*; arg. *l.* 1. *l.* 2. & *l.* 3. *ff. de acquir. rer. dom.* ac *d.* §. *Feræ* 12. *Inst. de Rer. divis.* Hæc ipsa *Venatio specifice* sumpta subdividitur in majorem & minorem, seu *altam* & *bassam*: *Major est*, quæ se extendit ad majora animalia silvestria, utpote Cervos, Capreas montanas, apros &c. Vid. Meichs. *decis.* 2. *t.* 3. *f.* 125. Minor est, quam etiam *particularem* vocant, quæ comprehendit omnis generis animalia minora: ut lepores, vulpes, taxos, & omnia volatilia, perdices, alaudas, turdos, silvestres anseres, anates, reliquasque omnes volucres, sive magnæ illæ sint, sive minores; nisi alicubi speciali lege Principis aliquæ expresse excipiantur, prout excipi solent *falcones*, *ardeæ* &c. propter Principum recreationem. Demum alia est venatio *simplex*, cum quis solus jus venandi habet, alia *simultanea*, quando duo pluresve habent prædictum jus: Alia item est *Precaria*, quæ est ad nutum revocabilis: Alia *hereditaria*, quæ transit ad heredes.

Hæc sunt plana; & ut plurimum non tam a jure naturali, Gentium, vel Civili communi dependent, quam potius æstimanda sunt, & colligenda ex *particularibus* Provinciarum & Territoriorum *consuetudinibus*, ac *Statutis* vel *Edictis* Principum. Nos ea potissimum hic examinabimus, quæ ex *naturali* vel *Gentium* jure proveniunt, aut saltem provenire a plerisque dicuntur. Et quidem

Du-

*Dubitatur* I. ) An facultas, seu jus venandi sit juris Gentium vel naturalis?

830. Quamvis dubio huic satisfecisse videatur Justinianus Imp. *cit.* §. *Feræ* 12. *Inst. de R. D.* dicens, omnia fera *animalia - - simul atque ab alio capta fuerint*; *JURE GENTIUM statim illius esse incipiunt*; nihilominus non desunt, qui cum Andr. Tiraquell. *in tr. de nobilit. c.* 37. *n.* 138. Philip. Dec. *in cons.* 197. *n.* 2. Ant. de Butr. & aliis, contendunt venationem, pariter ac piscationem & aucupium in locis perviis & non clausis, haud *juri Gentium*, sed *naturali* esse attribuendum, eo quod feræ, pisces, & aves in locis hujusmodi priusquam capiantur, sub nullius dominio sint, ac proin cedant primo occupanti: Porro *occupationem* talem a jure naturali procedere constat ex *n.* 672. ) & liquet ex *l.* 3. *ff. de acquir. rer. dom.* ibi: *Quod enim nullius est, id ratione naturali occupanti conceditur.*

Verum inutilis disceptatio hæc facile dirimetur, si respondeamus *primo*, occupationem *improprie* attribui juri nat. cum sit juris Gentium per *cit.* §. *Feræ*. Deinde parum refert, ad quodnam ex prædictis juribus reducenda sit venatio, cum *per se* neque a naturali, neque a Gentium jure sit ulli hominum prohibita vel præcepta, *permissa* vero ab utroque, patet autem ex *n.* 41. & 682.) permissiones hujusmodi justa accedente causa, facile posse a Magistratibus legitimis immutari, & quod alias permissum fuerat; simpliciter inhiberi, ut etiam sentit Grotius de *J. B. & P. c.* 8. §. 5. *in fin.* Fatemur igitur *venationem* esse naturali & Gentium jure unicuique hominum *permissam*, salva tamen jurisdictione legitimarum Potestatum, etiam humanarum; quæ ob justam causam, ac in certis circumstantiis a naturali & Gentium jure permissam venandi, piscandive libertatem limitare aut prohibere possunt. Hinc

*Dubitatur* II. ) An igitur Principes possint venationem suis subditis juste prohibere, jus venandi sibi ipsis arrogando?

831. Quæstio hæc potest procedere vel de prohibitione in locis *publici juris*, vel in locis *privatorum*, v.g. prædio, vel saltu subditi. Quod in nullo ex his sive publici sive privati juris fundo possint Principes *generaliter* prohibere *omnibus* venationem, etiam in silvis & campis ad eos non

per-

pertinentibus, & etiam in nemoribus & fundis propriis venantium, plurimi tradunt DD. Qui dicunt repugnare id juri gentium & naturæ, omnique ratione destitui, injustiorem quoque adhuc reddi prohibitionem hanc; si subditis *sub pœna* capitis, aut amputationis alicujus membri, venatione interdicatur, prout sentiunt Canonistæ *in Cap. Non est, de decim.* Et hujusmodi prohibitionem *tyrannicam* vocat Bartholomæus Fumus Ord. Præd. Theologus *in summula*, sive *aurea armilla* sua, verb. *Venatio* vers. 5. ubi citat etiam *Cajetanum* ejusdem Ord. Præd. Doctorem, & subjungit, ita prohibentes venationem peccare mortaliter, sicut peccat etiam is, qui venationem prohibet, cum non possit. Quod tradit quoque Martin. Nav. *in Manual. Confess. c.* 17. §. 11. *n.* 120. hos sequuntur alii, cum Menoch. *Cons.* 298. *n.* 18. *l.* 3. Cravet. *Cons.* 643. *l.* 4. *& Cons.* 945. *l.* 5. Schurpff *cons.* 1. *cent.* 3. *n.* 12. Imo quod etiam hodie venandi facultas omnibus libera esse debeat, & Principes eam prohibere non possint, præsertim *in nemoribus & agris* ad ipsos jure proprietatis *non spectantibus*, Jason *in Cons.* 119. *in* 4. *vol.* hanc esse communem sententiam testatur, prout etiam refert Cov. *in Cap. peccatum, de Reg. jur. in* 2. *p. n.* 1. qui tamen opinioni huic non adhæret. Ea proin non obstante,

832. *Dicendum est* I.) Principes sive sub *sola pœna* rationabili, sive etiam sub *culpa* theologica, si velint, possunt suis subditis *juste* prohibere venationes in locis tam publicis, seu communibus, quam & ad privatum spectantibus, easque sibi ipsis reservare. Prout hodie communior & verior docet sententia, cum Cov. *d. l. n.* 8. Molin. *de J. & J. tr.* 2. *disp.* 43. Soto *de Just. l.* 4. *q.* 6. *a.* 4. Joan. Medin. *de Rest. q.* 12. Lugo *d.* 6. *a n.* 60. Haun. *de J. & J. tr.* 5. *c.* 1. *contr.* 3. *a n.* 73. Less. Laym. Et ex Jctis Hugo Grot. *de J. B. & P. c.* 2. §. 5. *& c.* 8. §. 5. Carpz. *p.* 2. *prax. crimin. q.* 84. *a n.* 6. Fachin. 1. *contr. c.* 1. D. Bassus *semicent.* 2. *qu. forens. controv.* 1. *n.* 4. Et ante hunc Ferdinand. Weiznegger. *Dissert. de venat. c.* 3. *n.* 13. *& seqq.* Nicol. Everhard. junior *Cons.* 10. *vol.* 1. *a n.* 1. *& seqq.* ac recentius Franz *ad Inst. de rer. divis. l.* 2. *tit.* 1. *part.* 3. *n.* 14. *fol.* 48. pluresque alii.

*Ratio* hujus asserti patet ex *nu.* 830.) quod scilicet Jus naturale & Gentium unicuique libertatem venandi permittens possit ob *justam causam* a lege Civili, & Edicto legitimi Principis circumscribi, restringi, aut prorsus impedi-

pediri, cum eam non aliter permittat, quam sub tacita conditione: nisi justæ & rationabiles causæ suadeant aut exigant contrarium: *Atqui* tales causæ possunt dari. Quia *primo*) Potest id exigere communis Provinciæ aut Territorii utilitas, salus, vel securitas. Nempe ne subditi alias necessarias functiones negligant, ne eadem occasione ad latrocinia, vel rebellionem armentur: neve certis temporibus, v.g. quando feræ sunt gravidæ, vel ne certis locis, aut instrumentis, venatio, vel piscatio fiat, v. g. quibus parvi pisces magno numero caperentur, &c. quia *secundo*.) possunt Principes in ordine ad prædictam prohibitionem intimandam habere consensum populi, sive gratis per aliquem contractum: populus enim potest cedere jure suo, si quod jam acquisivit, atque adeo prohibitio hæc, sive se extendat ad silvas, campos & fluvios communes, & publicos, sive ad loca & possessiones privatorum, non fiet injusta, cum subditos *jure quæsito* non privet *sine justa causa*. Quod etiam fiet *tertio*) si prohibitio hæc facta sit sub conditione onerosa, verbi gratia habendi mitius in tributis; vel jure belli justi, aut ex præscriptione *immemoriali* (qua in Imperio putat Laym. *c.5.n.16.* gaudere Cæsarem, & alios Magnates). Hoc casu, privatis hominibus poterit Princeps citra injustitiam prohibere venationem, & aliis nobilioribus personis in certis locis concedere. Tenetur tamen ex justitia, qui tale jus sibi reservat, ad avertenda damna, aut compensanda, ex multiplicatione ferarum vicinis illata. Nisi Princeps *jure belli* in terra hostili, vel consensu populi (qui tamen in notabilia damna non præsumitur consensisse) etiam cum hoc onere subditorum, sibi reservaverit.

833. *Dicendum est* II.) Principes, præter motiva supra adducta, etiam *ob solam recreationem*, possunt absque consensu populi, jus venandi in quibusdam locis sibi reservare. Ita DD. pro prima assertione citati. Cum enim Princeps curam gerat Reipublicæ & laborem ejus causa sustineat, nihil obstat, cur etiam *aliqua loca communia suæ recreationi* reservare non possit, præsertim cum id etiam pertineat ad Principis dignitatem, imo & inter ejus *Regalia*, vel *quasi regalia* juxta multos computetur, ut contra VVeizenegg. *l.c.diss.5.c.3.* & alios; tenet Modest. Pist. *cons.* 14. *n.23.f.* 2. Fachin. *l.* 1. *contr.* 1. vers. *sunt autem* Roland. *de commissar. & commiss. p.4.l.2.c.8.n.3.* Gilman. *Rer. jud. decis.*

*cis.* 20. *n.* 3. Heyg. *Quæst. jurid. p.* 1. *c.* 15. *n.* 45. ubi ait: *Nihil verius, & nihil manifestius esse*; quibus accedit D. Bassus *l. c. contr.* 1. *n.* 8. asserens venationem saltem majorum animalium per totam utriusque Bavariæ Provinciam ad Principem terræ spectare *jure quodam Regalium*; ex antiquissima consuetudine obtento. Unde etiam iidem DD. censent, quod præscriptio in *jure venandi* contra Principem non procedat, nisi cursu temporis immemorialis, eo quod illa, quæ *de Regalibus* sunt, nonnisi immemoriali tempore præscribantur. Vide D. Bass. *l. c. contr.* 3. *n.* 2. & in utramque partem differentem Nicol. Everhard. juniorem *l. c. cons.* 10. *n.* 9.

834. Quidquid autem sit de hac disputatione; asserta Principum potestas aliunde patet, sive enim admittamus venationes esse de *Regalibus*, sive non, constat hoc tamen, quod Imperator plerumque in Investituris Ducatuum, Comitatuum, aliorumque magnorum dominiorum, specialiter etiam ipsis Ducibus, Principibus, Comitibus, Baronibus, & quibusdam Nobilibus concedat jura venandi, forestæ, piscationum, & aliorum; uti tradit Jacobus de S. Georg. *in tr. feud. verb. & cum venationibus*. Hinc sive Imperator jus venandi concedat tanquam Regale, sive tanquam jus ab ipso applicatum & cohærens Ducatui, Comitatui, & dominio, quod in feudum ab ipso recognoscitur, sufficit hoc ad quærendum jus ipsis Principibus ac Dominis ita investitis, ut ipsi soli venationibus deinceps etiam *solius recreationis* causa uti; imo & alios prohibere possint, quoniam concessio Imperatoris his suffragatur. Lege enim Regia per Senatum populumque Romanum in ipsum Imperatorem translatum est omne imperium, omnisque potestas *L.* 1. *ff. de Const. Princ. L.* 2. *§. Novissime, ff. de Orig. jur.* Et sic etiam in ipsum transivit potestas, *ob publicam causam*, transferendi in aliquem jus alicujus subditi, & multo magis jus ejusmodi, quod adhuc *in nullius bonis est*, prout fit in venatione, *l.* 1. 2. & 3. *ff. de acquir. rer. dom.* & facit ad argumentum *L. quod Principis pr. ff. de aqu. pluv. arcend. L. quominus* cum ibi not. per Gloss. Bart. & Jas. *ff. de flumin. & L. servitutes §. publico, ff. de servit.* juncta *L.* 2. *§. Si quis a Principe, ff. ne quid in loco publ.*

835. Ex hac Imperatoris investitura & concessione omnes Principes ac Domini ab antiquissimis temporibus prætenderunt, & prætendunt jus venandi *sibi solis* competere, cum *jure prohibendi* vel *concedendi* aliis; suntque in hujus juris qua-

*quasi-possessione*, nemine eis nomine populi, vel subditorum legitime in hoc contradicente. Quare procul dubio sibi hujus juris *quasi utile* dominium, & Imperatori, vel Superiori suo (si id alias nunquam habuissent) *directum* acquisiverunt, uti tradit Jacobus de S. Georg. *l. c. n.9.*

Cumque *antiquissima Germaniæ consuetudo* hujusmodi investituras sic interpretetur, ipsique subditi suo consensu & taciturnitate hanc interpretationem approbent, nullo modo ab ea est recedendum, per *l. si interpretatione, ff. de LL.* & *l. more Majorum, ff. Jurisd. omn. Jud.* Nam & imperium, potestatem, & jurisdictionem consuetudo tribuere potest illi, qui prius eam non habuit, *Cap. cum contingat*, in fin. *de foro comp. l. Vivos, C. de diversf. offic.* & *l. fin. C. de emancip. lib.*

836. Permissio quoque, quod aliqui Duces, Principes, Comites, Barones aut insigniores Domini, & Nobiles hanc concessionem ab Imperatore in suis investituris, aut privilegiis specialiter non essent consecuti, tamen hoc jus, ut soli, etiam *solius recreationis* causa venari & alios prohibere possint in *certis* privatorum quoque subditorum suorum *nemoribus, certove districtu vel loco*, etiam ex *consuetudine præscriptæ* sibi acquirere potuerunt, maxime vero ex usu & præscriptione tanti temporis, cujus non existit memoria in contrarium. Hæc enim præscriptio temporis immemorialis habet vim tituli & concessionis, seu privilegii, impetrati a summo Principe, *l. Hoc jure §. ductus aquæ, ff. de aqu. quotid. & æstiv.*

837. Dixi in *certis nemoribus, certove districtu vel loco*, quia ut advertunt Medina, Lugo, & alii *l. c.* contra Grotium *l. 2. c. 2. n. 5.* non potest Princeps populum ab *omnibus locis publicis*, tanto minus *privatis* excludere, & sibi *totam* venationem reservare, nisi forte ob eam causam remittat aliquid de tributis sibi debitis, vel aliter compenset, aut validior boni publici, quam *solius recreationis* propriæ, causa adsit. *Ratio* hujus affertur, quod nimis inhumanum sit, ob suam propriam recreationem, populum omni honesta hac in parte oblectatione & utilitate venationis, jure nat. & gent. concessa privare. Hinc etiam experimur eam Principum gratiam, ut subditis suis *minorem* venationem, licet plerumque circumscribant etiam & limitent, non tamen penitus æque generaliter prohibeant, uti sentit etiam D. Bassus *l. c. controv. a n. 12. & n. 8.*

838. His ita decisis non obstat, si opponatur: Jus venan-

nandi esse *meræ facultatis*, & ideo nullo tempore præscribi posse, unde etiamsi subditi alicujus Principis per 100. & plures annos non fuissent venati, tamen contra eos non esset præscriptio inducta; ita ut Princeps solus in Territorio suo majorem venationem exercere possit, exclusis ab ea subditis. In his enim quæ sunt meræ facultatis non procedit aliqua consuetudo, vel præscriptio, ut tradit Cyn. & omnes DD. in *l.1. C. de servit. & aqu.* ac in *l. 2. C. quæ sit long. consuet.* juncto *c. cum Ecclesia Sutrina*. Et ibi DD. *de caus. poss. & propr.* Cujus ratio quoque est; quia ex actibus mere voluntariis; seu meræ facultatis; nulla quæritur possessio; per *l. Proculus, ff. de damn. infect. l. 1. §. denique Marcellus*, ac *l. Si in meo fundo ff. de aqua pluv. arcend.* Sine possessione autem nulla impletur præscriptio; *Cap. sine possession. de R. J. in 6.*

Nam *contra est* 1.) quod falsum sit Assumptum, licet enim *exercitium* venationis sit actus *meræ facultatis*: Jus tamen *venandi* non est talis actus; sed potius competit Principibus vi Privilegiorum; aut universalis consuetudinis Germaniæ; sicut & alia jura. 2.) Quia etiam ea, quæ meræ facultatis sunt; præscribi possunt tunc; quando intervenit *prohibitio* præscribentis, & *patientia* ejus, qui prohibitus est, per tantum tempus, quod ad præscribendum sufficit. Ex hac enim prohibitione, & subsecuta patientia prohibiti, statim acquiritur prohibenti possessio, vel quasi possessio juris prohibendi, juxta tradita per Gloss. & DD. in *l. qui luminibus, ff. de servit. urb. præd.* & facit *l. hæc autem eod. tit.* ac *l. si quis diuturno, ff. si servit. vind.* Vid. Panorm. *in C. Abbate* in 2. col. *de V. S.* Jason *in l. quo minus in 5. col. fin. vers. secundo confirmatur ista pars, ff. de fluminib.* Joan. Franc. Ripa *n.132. & seq.* Cov. *p.2. Relect. c. possess. §.4. n.6.* Laym. *l.3. tr.1. c.8. a n. 8.* Rath. *de præscrip. c.4.* ass.5. Reiffenst. *eod. tit. n.38.* Consequenter accedente legitimi temporis cursu, prohibenti & quasi possidenti jus illud, ut solus venari, & alios prohibere possit, præscriptio ejusmodi juris completur, uti sentiunt DD. allegati & liquet hic ex *n.*770.) Porro Principes & Domini terrarum ab antiquo prohibuerunt venationem, imo proclamari jusserunt pœnas in contravenientes, ac subditi sufficiente tempore acquieverunt, &c. Plura de his vide *n. seqq.* & *n.* 859. ubi de *mera facultate*.

§. VIII.

## §. VIII.

*Utrum subditi præscriptione acquirant plenum & liberum jus venandi, ita, quin Princeps illud sibi reservare possit?*

## SUMMARIUM.

839. &c. *An Princeps recte prohibeat venationem subditis, qui tempore immemoriali erant in ejus quasi possessione?*
842. &c. *Facti species & rationes dubitandi proponuntur.*
846. &c. *Decisio quæstionis* affirmativa: *cum limitatione tamen statuitur.*
857. *Respondetur contrariis: ubi inducitur exceptio contra probationem tituli & b. f. in præscriptione immemoriali.*
858. *In ea probandus est titulus, si fuerit contra consuetudinem generalem asserta præscriptio.*
859. &c. *Ostenditur Principem posse adhuc prohibere ob justam causam, non obstante præscriptione.* Vid. *n.* 862.

839. **D***Ubitatum est:* An Princeps, Comes, Baro, vel alius e Dominis possit *subditis* suis prohibere, & sibi soli arrogare venationem, si hi jure *simultaneo*, vel etiam plene *excluso Principe*, a tempore immemoriali fuerint in libero ejus exercitio, & pacifica quasi possessione?

Jam quidem decisum est *a n.*832. *& seqq.*) quod Principes, & Domini territoriales possint suis subditis *juste* prohibere venationes in locis tam publicis, quam privatis, easque sibi ipsis reservare. Verum decisiones hæ procedunt pure *ex hypothesi*, quod scilicet possint dari *justæ* causæ restringendi venandi libertatem jure nat. & Gentium concessam. Inter quas causas recensuimus 1.) Communem territorii utilitatem. 2.) Securitatem Domini territorialis. 3.) Supposuimus, quod Princeps habeat aliquem consensum populi. Vel 4.) quod prohibitio hæc fiat sub aliqua conditione onerosa prohibenti, favente autem subditis, quo ad tributorum diminutionem &c.

Demum 5.) Inter justas hujusmodi causas retulimus etiam *recreationem* Principis. Cum enim ille continuis curis & laboribus pro Republ. fatigetur, rationi convenit, ut pro sua dignitate venationem animi recreandi ac virium restaurandarum causa paratam & præcipuam habeat, ne ali-

aliquod tempus ei pereat: sed præliorum simulacra adversus bestias interim meditetur: consequenter ad hunc finem obtinendum loca quæd. magis commoda proprio usui destinare, ac privatis venationem ibid. prohibere potest.

840. Et quamvis rationem hanc Gilken. ad *cit.* §. *Feræ* n.35. tunc solum sufficere existimet, dum Princeps Reipublicæ causa iter facit, *arg. l. Neminem, C. de SS. Eccles. l. Maximarum, C. de excus. mun. l.1. & 2. C. de Metat. & epidim.* Nihilominus *Theologi* rectiusstatuunt, prohibitionem talem tum demum inhumanam & subditis non consentientibus noxiam fore, si ad *omnia loca communia*, tanto magis etiam *omnia privata* extenderetur. Itaque Princeps sibi loca, & nemora proprio usui destinare *recreationis causa* potest, non aliter, nisi quatenus Reipublicæ splendor; dignitas status, & naturalis æquitas postulat. Soto *d. art.* 4. Mol. *d. tr.* 2. *disp.* 46. *n.* 3. Rebell. *p.* 1. *L.* 1. *q.* 14. Less. *de J. & J. c.* 5. *n.* 35. cum aliis.

Tandem allegavimus quoque adhuc 6.) quod possit intercedere longæva consuetudo, vel præscriptio; Aut 7.) quod ab Imperatore attributum fuerit soli Principi jus venandi competens &c. Si igitur aliqua ex his causis adfuerit: justitia venationis prohibitæ in dubium vocari nequit.

841. Sed jam invertitur *facti species*, & proponitur casus; quod subditi a tempore *immemoriali* fuerint in pacifica *quasi possessione* venandi, tam in locis publicis, quam privatis sui territorii, ita ut tam illis, quam & Principi eorum libera semper fuerit venandi facultas: nunc vero Princeps *sibi soli* jus hoc reservavit, inhibendo venationem subditis, qui neque de ulla in eum rebellione suspecti sunt, neque publicæ securitati, aut utilitati, ut asseritur, ex continuatione venationis hujus imminet prudens periculum &c. *Quæritur* jam, quid juris circa prohibitionem & reservationem hanc?

## RATIONES DUBITANDI.

842. *Ratio* dubitandi, & prohibitionem reservationemque uti injustam, ita *absolute* invalidam dicendi est 1.) Ex generali juris principio; quod nec summus Princeps, tanto minus eo inferior territorii Dominus possit subditis jus actu quæsitum sine justa causa adimere, quem in finem impetrata etiam Rescripta & aliæ dispositiones pro nullis decla-

declarantur §. *ult. Inst. de his, qui sui vel alien. jur.* *L.* 4. *C. de emancip. lib.* *L.* 7. *C. de precib. Imp. offer.* Mev. *Conf.* 49. *n.* 18. Gail. 2. *Obs.* 142. *n.* 15. Petr. Anton. de Petra *tr. de jure quæsit. per Princip. non tollend.* Brunnem. *ad* L. 4. *n.* 5. *C. de emancip. liber.* Sam. Stryk. *disp. ad L. Æmilius* 38. *ff. de minor. c.* 6. *n.* 15.

II.) Præscriptione acquiritur jus nedum Principibus: sed etiam subditis contra Principem & dominum territorialem, cum per eam acquiratur cuilibet etiam privato præscribenti, *L.* 11. *C. de usucap. transfer. & Cap. præterea* 26. *de V. S.* Porro subditi præscripserunt jus illud a tempore immemoriali, ad similitudinem ejus præscriptionis, de qua innuimus hic *a n.* 836. *&* 838.) Quæ cum hominum memoriam superet, præscribentes subditi non jam tenentur bonam fidem probare, hæc enim præsumitur, ut tenet communis DD. de immemoriali præscriptione tractantium.

843. Demum III.) Supponitur ex facti specie, quod Dominus territorialis minor sit supremo Principe, imo & Electorali dignitate longe inferior, ac proin quod ei jura Majestatis seu *regalia* nulla competant: Dato autem non concesso quod competerent, adhuc venationis jus subditis præscriptione immemoriali acquiri potuit, & acquisitum est; Tum ideo quod venatio majorum animalium ab Auctoribus *n.* 833. ) citatis, non aliter, quam *improprie* & per quandam similitudinem nomine regalium seu *quasi regalium* vocetur: Tum quia etiamsi proprie computaretur inter *Regalia*, adhuc non ad alia spectaret *regalia* quam *minora*, seu *extrinseca* potestati Principis, qualia sunt: institutio *pedagiorum* & *quidagiorum*: jus *monetandi*: jus telonii: jus imponendi collectas: jus creandi Magistros & Baccalaureos: & juxta superius adductos DD. jus *venandi* &c. Atqui hæc *Regalia minora*, seu jura Majestatis *extrinseca* a subdito *qua tali* recte præscribuntur, ut post plures alios tenet Cov. *in Relect. c. Possessor de R. J. in 6. part.* 2. §. 2. *n.* 8. Balbo *de præscr. sec. p.* 5. *princ. q.* 1. *n.* 3. Rosenth. *de jure feud. c.* 5. *concl.* 16. *n.* 3. Pruckmann. *de Regal. c.* 5. *n.* 95. Gabriel. *l.* 5. *comm. concl. de præscr. concl.* 1. Einsidel. *de Regal. c.* 4. *n.* 68. Carpz. *de Regal. c.* 4. *aph.* 5.

Et quidem juxta Cov. *l. c. n.* 5. & DD. jam adductos, jura & bona Principis, *qua* Principis; sed tamen etiam privatis acquisibilia, ut sunt jus *pascendi*, *venandi*, *lignan-*

di &c. non opus habent præscriptione immemoriali : sed quadragenaria tantum, per *l. omnes* 4. *C. de Præscr.* 30. *an*. Schmier *T.* 1. *f.* 281.

844. Tanto magis autem in casu proposito jus subditorum certum est; cum tempore immemoriali in exercitio venationis libero perstiterint, scientibus & nunquam contradicentibus antecedaneis territorii Dominis: Contra modernum autem in nullo deliquerunt, nec in quopiam utilitatem, salutem, aut securitatem publicam territorii offenderunt, propter quod jure hoc quæsito privari possent, per L. *si locus* §. 1. *ff. quemadmod. servit. amit. l.* 9. *C. de oper. publ. l.* 2. §. 17. *ff. Ne quid in loco publ.*

845. Cum igitur subditi jus venandi a tempore immemoriali quasi-possederint, & dominium ejus præscriptione acquisiverint, possunt illud *actione utili Confessoria* vindicare cum Interdicto *uti possidetis*; utpote jus in fundo radicatum habentes, quidquid sit, an venatio sit fructus fundi, aut jurisdictionis, vel fructus prædialis, prout illam nihil horum esse, post alios, erudite probat D. Bassus *d. l. contr.* 2. *a n.* 1. Et liquet ex *L. Venationem* 26. *ff.* de *usur.* ubi *Julianus* aperte negat venationem fructum fundi esse, continetur tamen inter emolumenta & commoda.

## DECIDITUR QUÆSTIO.

846. Utut autem rationes hæ solidæ videantur, propter eas tamen nequit Princeps dominus territorialis ita absolute & sine ulla limitatione injustitiæ damnari, ut prohibitio ac reservatio illa juris venandi *integre* relinquatur penes subditos, pristinoque usui eorum restituatur, ut ipsi volunt. Ac proin mediam hoc in casu ineundo viam, distinguimus inter loca, fundos & nemora territorii, in quo asseritur subditis præscriptione quæsitum esse jus venandi liberum. Sunt enim illa alia forsan *propria* Domini territorialis, speciali eoque *privato* jure acquisita, v.g. emptione, donatione &c. alia dein domanialia *publica Fisci*, *seu* Principis *qua* Principis territorii, & demum alia *communitatum*, *privatorum* Civium, & Incolarum.

847. Quod itaque concernit silvas & fundos *speciali ratione proprios* solius Principis, sive Domini cujusvis territorialis, hic potuit & potest omnibus omnino vel *programmate* proposito, vel *proclamate* intercedente prohibere in illis venationem, eodem jure, quo *privatus* quilibet in suo fundo

do prohibere potest, *l.* 3. §. *plane*, *ff. de acquir. rer domi.* Eaque prohibitio statim ab initio vires & locum habet. Joan. Fab. ad *d.* §. *Feræ n.*3. Cov. *ad c. peccatum p.*2. §. 8. *n.* 6. Gilken *ad cit.* §. *Feræ n.* 16.

Neque obstat *prætensa* immemorialis præscriptio: quod enim Dominus territorialis in suis *propriis* fundis v.g. a 100. annis non fuerit venatus, vel quod *specialiter* non inhibuerit venationem subditis ne eam in illis exercerent, actus omissionis hujusmodi fuit actus *meræ facultatis*: per dicta igitur *a n.*838.) requirebantur actus subditorum præscribentium *contrarii* prohibitioni Principis *expresse* interdicentis; & tandem hujus *scientis* & *tacentis* acquiescentia; porro, siquidem Princeps ille in suis *propriis* fundis venationem subditis nunquam *expresse* prohibuit, non potuit fieri, neque rationabiliter fuisse præsumi potest usus subditorum *prohibitioni contrarius*: & consequenter neque fuit *acquiescentia* ex parte prohibentis *scientis & tacentis*, ad præscriptionem talem necessaria, præsertim cum Gentium & civile jure permittente, semper libera adsit facultas domino *privato* fundi, prohibendi quando voluerit; venationem in eo exercendam, ut constat ex *cit.* §. *Feræ* 12. *inst. de R. D.* ibi: *Plane qui alienum fundum ingreditur VENANDI, aut AUCUPANDI gratia: potest a Domino, si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur*. Quo etiam facit *L. Divus Pius* 16. *ff. de servit. præd. rust.* ubi dicit Impr. *Non est consentaneum, ut per aliena prædia, invitis dominis aucupium faciatis*; juncta *l.* 3. §. 1. *ff. de acqu. rer. dom.* ac *l. ult.* §. 3. *ff. quod vi aut clam*, *l.* 13. *in fin. ff. de injur.* Quibus consentit *l. per agrum* 11. *C. de servit.*

Neque replicationi hic ullus locus est, si dicant subditi se jus servitutis discontinuæ prædialis acquisivisse in fundis Domini sui propriis, ut in illis venari possint. Nam 1.) etiam ad servitutem præscribendam, per cit. *nu.* 838. & 859.) requiritur *usus* prohibitioni *contrarius* ex parte subditorum, & *acquiescentia* ex parte domini *scientis*, impedire valentis, & tamen *tacentis* post *factam expresse* prohibitionem. 2.) Si venatio in fundo alieno esset *servitus realis*, sive *prædialis*, tunc prædio dominante in quascunque manus alienato, competeret Possessori jus venationis, *l.* 1. §. *datur*, *ff. de aqua quotid. l. usus aquæ* 21. *ff. de usu & habit. l. non solum* 8. §. *tale*, 3. *ff. de liberat. leg.* Atqui hoc falsum est, quia prædio nobili in manus personæ ignobilis & plebejæ alienato, nulla prorsus eidem venatio

comperit, ne quidem in propriis, multo minus in alienis fundis. Atque adeo venatio male refertur ad servitutes prædiales seu reales, ut contra Zas. & Gaill. probant Hænon. *disp. jurisd.* 5. *th.* 2. Harprecht *ad cit.* §. *Feræ* 12. *Inst. de R. D. a n.* 136. Besold. *part.* 1. *cons.* 16. *a n.* 49. Ubi *n.* 52. tradit, quod jus venandi sit jus commoditatis cujusdam habens similitudinem cum servitute personali magis, quam reali, adeo ut habens illud jus acquisitum, si impediatur, possit intentare actionem *utilem Confessoriam*, & Interdictum *uti possidetis*. Et ita teste eod. Besoldo in quodam casu respondit inclyta Facultas Juridica *Ingolstadiensis*, quam sequitur D. Bassus *de venat. cit. contr.* 2. *a n.* 2. refutans Zasium & Gaillum 2. *obs.* 66. concludensque: Venationem esse potius jus quoddam certis quibusdam personis ob *dignitatem & Nobilitatis prærogativam* ex speciali privilegio, vel titulo competens. Adeoque quasi medium inter servitutes *Personales* & *Reales*, habens tamen similitudinem magis cum *Personali* quam *Reali*.

848. Ejusdem sententiæ contra plebejos & ignobiles, jus venationis & servitutis in fundis Dominorum sibi arrogantes, videri potest Everhard. Jun. *d. volum.* 1. *cons.* 10. *a n.* 31. adducens exempla prohibitionum quibus personæ hujusmodi arceantur a similibus venationis exercitiis, quo magis in sua functione & artificio retineantur; ut liquet ex *tit. C. Ne rustici ad ullum obs. devocen.* & *tit. C. Negotiatores ne milit.* ac *ex l. pen.* & *l. fin. C. de Cohort.* Quod ipsum, ultra allegatos DD. tenent Feudistæin *c.* 1. *Nemo retia* sub *tit. de Pace ten. & ejus violat.* Et hisconsentit *L. Domini prædiorum* 5. *&* *L.* 1. *C. de Agric. & cens.* ubi decernitur rusticos ea tantum sibi optare debere, quæ statui rusticano conveniunt, non vero venationi dare operam. Bartol. *in cons. de falcon.* VVeizenegg. *de aucup. c.* 5. *n.* 14.

Cum igitur ignobiles personæ jure ipso prohibeantur venationibus vacare: minime possunt in fundis *propriis* dominorum, jus servitutis alicujus longævo venandi exercitio ibidem quæsitum obtendere.

849. Pari autem ratione non est tantopere difficultas circa silvas & fundos *publicos*, Fisci scilicet, seu *Principis*, *qua Principis territorialis*; de his enim eadem resolutio procedit, ac prolata hic immediate est, de fundis *speciali*, eoque *privato* jure Principi quæsitis & ejus propriis. Res enim

fisca-

*fiscales quasi propriæ & privatæ Principis sunt*, per *l.* 2. §. 3. *ff. ne quid in loco publ.* ac proin sicut in illius locis propriis, ita in his fiscalibus invito Principe venari non licet, juxta *d. l. D. Pius & cit. §. Feræ*. Aut si subditi jus præscriptionis opponant, ad hanc certum est ex dictis supra, requiri actus prohibitioni contrarios ex parte subditorum, qui nunquam fuisse præsumuntur, & acquiescentia ex parte Principis. Quæ licet etiam (dato non concesso) intercessisset, adhuc *saltem respectu plebejorum*, tum hic ipse, tum alius prioris succedaneus territorii dominus, acquiescentiam hanc ob rationes jam adductas interrumpere, & venationem subditis his plebeiis tanquam juris hujus præscribendi incapacibus prohibere potest.

850. Imo prohibitionem hanc in *locis publicis*, Fisci patrimonium concernentibus, non obstante ullo præscriptionis colore, fieri posse à Principe quo ad *omnes* suos subditos, post alios DD. absolute defendit VVesenb. *in paratit. de acquir. rer. dom. n.* 7. ubi ait: *Et hæc, nunc precipua ratio principalium venationum jura sustinet, quæ in universum Principes contrario quodam publico Gentium jure ad se transtulerunt, & ademerunt subditis, maxime rusticis & agricolis, c.* 1. *§. si quis rusticus vers. nemo retia ubi Alvar. de pace tenend. in usibus feud. Quia enim saltus & nemora, in quibus feræ libere vagantur, sunt loca publica, ideo recepto quodam jure superioritatis, ut reliqua jura, ita etiam loca publica ad se Principes transtulerunt, L. Littora* 3. *ff. ne quid in loco publ. L. deprecatio ff. ad Leg. Rhod. de jact. ubi Bald. de quadrien. præscr. Unde usurpatum, ut liceat Principi in publicis locis aut concedere jus aliquod servitutis NB. aut ADIMERE, l. servitute* 14. *§. publico ff. de servit. l.* 2. *§. merito & tot. tit. ff. ne quid in loco publ. aut vetare privatis usurpationem loci publici, l.* 3. *in verbis nisi Imperator vetet de flumin. pereque atque privatus usum sui fundi aliis interdicere potest, d. L. Divus. Quare cum hoc dominium locorum publicorum Principes habeant jam quæsitum & sibi attributum, non tantum dispositione legis: sed etiam longâ consuetudine & usurpatione: consentaneum videtur, ut pereque in publicis locis, tanquam in suis, jus venandi subditis suis prohibere potuerint & possint, quemadmodum quisque privatus vetare in suo fundo potest, d. L. Divus, de servit. rust. præd. Neque enim Princeps deteriore loco esse debet, quàm privatus, nec causa est, quo minus jure privatorum recte utatur, ut traditur in L. Item veniunt §. in privatorum*

 *torum*

iis relinquendo) de novo privant. Molin. *d. q.* 46. *n.* 3. Facilius enim rei communis ad totam aliquam Universitatem, Civitatem &c. pertinentis usum, Princeps *jure gubernationis*, accedente rationabili alia causa, sibi vendicant, quam rem unius. Quia singuli Cives quo ad arbitrium *disponendi de rebus suis* minus dependent ab ea gubernatione Principis, quam res Universitatis.

856. Ex dictis jam patet, quid in proposito casu decidendum sit circa prætensam venationem in fundis Principi *propriis*, & *jure privati* domini ab eo possessus; ac quid statuendum de eadem venatione continuanda in *locis publicis Fisci*, vel unius certæ *Communitatis*, aut *privati* civis dominio subjectis fundis & silvis. Si igitur subditi *non probent* in allegata *immemoriali præscriptione* intercessisse usum venandi *expressæ* inhibitioni Principis *scientis* & *tacentis* contrarium, & hujus (tempore ad præscriptionem hanc sufficiente) præstitam *acquiescentiam*: non habebit locum prætensa præscriptio, per *n.* 838.) & Princeps modernus poterit ad normam immemorialis consuetudinis in tota Germania receptæ, & Legibus, Doctorumque judicio *a n.* 832. *& seq.*) firmatæ, reservare sibi venationes in aliquibus locis tam *publicis*, quam *communibus*, imo & *privatis* subditorum, permissa illis nihilominus saltem *minore* venatione, ac usu etiam *majoris*, saltem quo ad fundos *proprios* eorum qui sunt ex Nobilitate, aut bene de Republica meriti. Neque per leges inhabiles facti ad hujuscemodi exercitium, ut pro talibus haberi ignobiles personas ostendimus *a n.* 848.

## SOLVUNTUR CONTRARIA.

857. Posito autem casu, quod iidem subditi excipiant contra hanc resolutionem: dicantque se non debere probare prohibitionem Principum territorialium, neque suum contrarium usum & eorum acquiescentiam *scienter* factam, eo, quod immemorialis præscriptio (qualis hoc casu intercessisse asseritur) liberet præscribentem a probatione conditionis *bonæ fidei*, idque onus devolvat in eum, contra quem præscriptum est, ut hic malam fidem, aut aliud præscriptionis vitium ostendat, *C. fin. de præscr. C. Vigilanti eod.* Cov. *in c. Possess. p.* 2. *c.* 8. *n.* 6. Talis enim præscriptionis casu, præsumitur bona fides, & tempus *immemoriale* habet *vim tituli*, Menoch. *l.* 3. *presumpt.* 21. *n.* 49. *&* præ-

*præsumpt.* 32. *n.* 79. Mynf. 4. *obſ.* 6. *n.* 5. Klock. *vol.* 1. *Conſ.* 21. *n.* 76. Brunnem. *Conſ.* 148. &c.

858. Contra erit I.) quod quando Jus commune, *CONSUETUDO*, aut prohibitio Superioris eſt contra præſcribentem, tunc requiratur oſtenſio *Tituli*, conſequenter & bonæ fidei, per præſcribentem probandam, *Cap. Dudum* 31. *de Decim.* circa *fin.* nil juvante tempore immemoriali, Hartm. Piſtor. *q.* 46. Joh. Otto Tabor. *dec. ac Conſult.* 62. *n.* 34. Leſſ. *de J. & J. c.* 5. *n.* 41. Porro prætenſa immemorialis præſcriptio eſt contra *antiquiſſimam Germaniæ conſuetudinem*, vi cujus Principes venationum jus *ſemper* ſibi reſervarunt, ut patet ex *n.* 835.) & id atteſtantur fere omnes Germaniæ Scriptores cum Everhard. Jacob. a S. Georgio, Gaill. Fachin. VVeizeneg. Baſſo & aliis ſupra cit. Stat igitur longe fortior præſumptio pro Principe, cujus intentio fundata eſt in *Generali* conſuetudine.

II.) Quia præſcriptio *immemorialis* vitiatur, ſi vitium & mala fides probentur, *C. fin. & C. Vigilanti, de Præſcr.* Cov. *in C. Poſſeſſ. p.* 2. *c.* 8. *n.* 6. etiamſi bona fides in dubio præſumatur, Menoch. *L.* 3. *præſump.* 31. *n.* 39. & *præſump.* 32. *n.* 79. Gail. 2. *Obſ.* 18. *n.* 7. Mynſ. 4. *Obſ.* 6. *n.* 5. Gilken. *p.* 2. *de præſcr. membr.* 2. *c.* 1. *n.* 6. Klock. *vol.* 1. *conſ.* 21. *n.* 76. add. *Conſ.* 29. *n.* 363. Brunnem. *Conſ.* 148. Atqui hoc vitium tum ex defectu *tituli*, tum *bonæ fidei*, eo ipſo in aprico eſt, quod manifeſtum ſit, Jus venandi Principibus Germaniæ inter *ſpecialia* eorum jura, conſuetudine generali & vi inveſtituræ competere, & reputari.

III.) Vitium hoc probat *generalis prohibitio*, ubique enim locorum Principes Germaniæ jus venandi arctiſſime ſibi competere proteſtantur, & ſubditos tum per *proclamata*, tum per *Edicta* & *pœnas* arcent. Præſcriptionem igitur ita in requiſitis conditionibus deficientem non potuit inducere longæva juris venandi uſurpatio, *C. contra* 8. *diſt.* 100. *c. cauſam* 7. *de præſcr.* ac proin neque illa cauſari potuit ex ſolo temporis immemorialis lapſu, Gloſs. *in cap. diu ſimul, de Offic. Ordin.* ac in *l. Obligationum fere §. placet, ff. de O. & A.* Bart. *in l. un. C. de uſucap. transformand.*

859. Hinc IV.) cum præſcriptio odioſa ſit, in dubio contra eam potius, quam pro illa interpretatio facienda eſt, & contra illam judicandum erit, Cravet. *conſ.* 29. *n.* 9. *vol.* 1. Cephal. *conſ.* 403. *n.* 23. *lib.* 3. VVeſenbec. 1. *conſ.* 2.

*n.2.* ubi ostendit, quod in qualibet præscriptione, cui jus *speciale* vel *consuetudo* generalis resistit, per cit. *C. dudum* 31. *de Decim.* probandus sit *Titulus*, ad jus transferendum idoneus; quo facit *l.1. in fin. ff. de public. in rem act.* ac *C. Si diligenti* 17. *de præscript.*

Pro confirmatione horum, V.) Videatur Nicolaus Everhard. jun. *l.c. tom.* 1.*f.*512.*n.*28. ubi probat, præter *titulum*, qui etiam in immemoriali præscriptione probandus est, si fuerit contra generalem consuetudinem &c. adhuc in præscriptione *quadragenaria* quoque jurium *incorporalium* (utpote talium quæ *non proprie* possidentur, *l.*4. §. 27. *ff. de usucap.* veluti sunt officia, jura *venandi*, *præsentandi*, *votandi*, *eligendi* &c. quævis item *servitutes* ne dum *urbanæ*: sed etiam *rusticæ*, ac prædiales, *reales*, pariter ac *personales* &c.) debere probari *SCIENTIAM* & *PATIENTIAM* ejus, contra quem præscribitur, *l.* 15. §. 1. verb. *patiatur*, *ff. de servit. l.*10. *ff. de servit. vindic. l. ult. ff. de servit.* ac *L.*2. *C. eod.* Struv. *Ex.*43. *th.*15. Scientia enim & patientia in his Juribus traditionis loco habetur, *l.*20.*ff. de servit. l. quemadmodum* 46. §.1. *ff. de Jure dot. l. pen. ff. de servit. l. servitutes* 20. *ff. de servit. urb. præd.* Quod intelligi debet tunc demum, si cum patientia conjuncta fuerit scientia, *l.*2. *c. de acq. poss. l.* 13. §. *fin. ff. locat.* Fachin. 13. *controv.* 50.

Nisi forte adesset *titulus*, v.g. quia is, qui cum non esset, credebatur tamen dominus, concessit tibi jus transitus per *agrum*, aut tigni immittendi &c. tunc enim elapso 10. inter præsentes, 20. inter absentes annorum curriculo, cum *bona fide* præscribes jus servitutis, *l. fin. c. de præscr. long. temp.* Similiter servitus mere *realis*, si sit *continua*, vel *quasi continua*, absque titulo *cum scientia & patientia* adversarii præscribetur *decennio* inter præsentes, 20. *annis* inter absentes, *l.* 1. & 2. *c. de servit. & aqua.* Discontinua vero absque *titulo* non præscribitur, nisi tempore *immemoriali*, *l.* per *servitutes* 4.*ff. de servit.* Gomez *t.*2.*c.* 15. *n.* 28. Less. de J. & J. *l.* 2. *c.* 6. *a n.* 28. & 29. Brunnem ad *l. fin. ff. de servit. n.* 1. Struv. *l. c. th.* 15. Hann. ad VVesenb. *de servit. n.* 5. Hi DD. explicant quomodo in juribus *affirmativis* incipiat possessio a die b. f. & cum titulo; vel sine eo inchoatæ possessionis: & *in negativis* a die prohibitionis ex una; & acquiescentia ex altera parte.

VI.) De Præscriptione autem actuum *meræ facultatis*, talibus

libus exceptis, qui non sunt in *Judicium deducibiles*, & quorum nomine non est actio aut obligatio (quales v. g. sunt, si ad meam mensam sæpius per annum prandeas mecum gratis &c.) circa reliquos omnes ita loquitur Balbo *de præscript.* 4. *q.* 1. docens: *Quæ sunt meræ facultatis præscribi possunt interveniente* NB. prohibitione *unius* & patientia *alterius*, *puta*: *volebam molere*, *Titius prohibuit*, *acquievi longissimo tempore*, *quæsita est præscriptio* &c. Rosener *disp. de præscr. jur. negativi in præfation. & c.* 4. §. 6. addit: quia superveniente PROHIBITIONE, & prohibiti per tempus legitimum PATIENTIA, præscriptio in talibus actibus, qui in judicium deducibiles sunt, (uti sunt illi, qui aliquam quasi cum servitute quadam vel libertate ab ea, similitudinem habent) locum obtinet, per *l.* 45. *ff. de usucap. l.* 7. *ff. de divers. temp. præscript.* Vide *l.* 1. & ibi Bart. *C. de nundin.* VVesenb. l. 1. *consl.* 2. *n.* 94. Bald. *in l. eum, qui* 2. *C. si omissæ caus. testam.* ubi ait, quæstionem de actibus præscriptionis non procedere in facultate *juris quæsiti*, quia jus potius est, quam facultas.

860. Huc facit VII.) Quod quamvis, abstrahendo a consuetudine & legibus particularibus Germaniæ, doceatur communiter Jus venandi præscriptione *immemoriali* obtineri posse, ut tradit Molin. *d. disp.* 46. *n.* 5. Less. *d. c.* 5. *n.* 41. Laym. *L.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 15. & alii citati *n.* 833.) consequenter subditi libertatem venandi omnimodam, saltem in prædiis *propriis* facilius recuperare posse videantur, si de jure *scripto* communi, & abstrahendo a speciali Germaniæ praxi ac Principum juribus, disputandum esset; favore enim libertatis, & odio negligentiam usum debitæ sibi servitutis (si hæc locum hic haberet, juxta dicta *n.* 847.) constitutum est, ut servitutes, quarum usus, etiam maximo *quinque* annorum fluxu interrumpitur, 20. vel ad summum, ut alii volunt, 40. annorum non usu & desidia amittantur, *l. sicut l. ult. C. de servit. & aqua.* Schneidevv. *Inst. de servit. præd.* §. *ult. n.* 2. Gloss. *in cap. cum Ecclesia Sutrina* §. *ult.* Verb. *Brevitatem temporis*, *de caus. poss. & propr.* Panormit. *in c. de quarta n.* 31. *de præscr.* Et vid. Less. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 30.

861. Nihilominus hæc non ita facile procedunt in puncto Venationis a subditis præscribendæ contra suum Principem, cujus intentio fundata est in Legibus Imperii adductis hic *n.* 847. & 850.) pariter ac in generali consuetudine

dine Magnatum Germaniæ. Hinc Ferdinandus VVeizenegger *loc. cit. c.* 3. *n.* 23. *fin.* super hoc præscriptionis puncto, citatis aliis Doctoribus, ita loquitur „ Hodie in „ Imperio *LIBERTATIS USUCAPIO* exiguum videtur lo„ cum habere. Quamvis enim Principes rarissime venen„ tur in singulis privatorum prædiis, mandata tamen pro„ hibitoria PERPETUA subditos a venando cohibent; „ quibus contradicere amplius non licet: sed ideo parere „ necesse est, quod Principes Jus QUÆSITUM habeant: „ idque sibi proclamatis & edictis prohibitoriis conser„ vent „ Quodsi hic Eruditorum sensus est de præscriptione libertatis venandi in *propriis prædiis*, facile concludi potest, quid dicendum sit de illa prætensa etiam quo ad *loca publica*, *fiscalia*, & communitatum, vel privatorum dominorum eidem Principi subjectorum! Frustra quoque hic *n.* 843.) dubitant subditi, an Principi Imperatoria, & Electorali dignitate inferiori competant jura Regalium, quasi regalium & Majestatica; hæc enim istis quoque competere constabit hic infra ex *n.* 958.

862. Sed jam permittamus interim; quod Jus venandi Germanicum nihil aliud sit, quam *servitus in fundis subditorum popularium*, *jurisdictioni Principum atque Nobilium debita*, ut cum aliis vult celeberrimus olim Ingolstadiensis Universitatis Professor Franc. Zoanetti *l. de dupl. venat. n.* 105. Supponamus quoque casum, quod subditi in Germania contra suum Principem usucapione immemorialis temporis, cum *bona fide*, *&* *justo titulo* præscripserint jus venandi in locis publicis, fiscalibus & communibus, suosque proprios fundos & silvas jure servitutis Principi ad venandum debitæ, via præscriptionis liberarint: adhuc his minime obstantibus Princeps vi suæ superioritatis & jurisdictionis *jus* illud *subditis quæsitum* potest pro *bono & æquo* sua auctoritate restringere, perinde ac si nulla præscriptio intercessisset.

863. *Ratio* hujus est: Præscriptio enim circa illa, quæ sunt contra *publicam utilitatem*, nihil operatur, uti docent Abbas *in C. extirpandæ §. qui vero n.*27. *de præb. & C. cum non de præscr. n.* 1. *&* 13. Mandel. *Cons.* 62. *n.* 35. & *cons.* 64. *n.* 91. Henric. Boich. *C. si diligenti n.* 51. *de præscr.* ac ante eum Castr. *in l. jam pridem C. commun. de usucap.* Petr. de Ubald. in *repet. d. C. si diligenti in* 7. *requisito, col.* 3. Gylmann. *l. c. n.* 30. Rosener *loc. comm. l.* 14. *c.* 97. *n.* 2.

864. At-

864. Atqui afferta venationis contra Principem præscriptio est contra *publicam utilitatem*. Uti enim demonstrat id Cov. *ad C. peccatum p.2. §.8. n.1. & 3.* Tiraq. *de Nobil. c.37. n.140.* Dom. Soto *de J. & J. l.4. q.6. a.4.* Fachin. *l.1. contr.1.* VVesenb. *in paratit. de A. R. D. n.7.* feræ bestiæ deserviunt ornamento, decori & *utilitati* Reipublicæ: si autem subditis jus venandi præscribentibus permittatur, eorumque ac vulgi temeritati relinquatur venatio, facile extirpabuntur fera animalia, & venationis *utilitas* tolletur: Ne igitur id eveniat, suadent laudati Auctores, venationem non esse committendam arbitrio subditorum, sed certo ordine, certisque legibus, ac non ab omnibus personis exercendam esse. Porro leges hujusmodi præscribere jure gubernationis ad Principem ita pertinet, ut iis jus venandi permittat, quibus permittendum judicaverit, remotis aliis, quos *æquo* arbitrio removendos a venatione censet. Ordinatio autem hæc adeo necessaria *publicæ* territorii *utilitati* non posset sortiri effectum, si præscriptionis obtentu plena venandi libertas penes subditos maneret.

865. Imo admissa hac usucapione subditorum contra Principem, cum exclusione ejus a libera dispositione circa eam, superioritas hujus in discrimen vocatur: *Venandi* quippe *jus territorio & juri superioritatis adhæret*, ut tradunt Menoch. *Conf.* 202. *n.* 31. Dec. *conf.* 22. *vol.* 4. Mendos *de inhibit. q. 6. n.* 2. Heig. *p.* 1. *q.* 15. *n.*54. vel saltem *dominium jurisdictionem sequitur*, ut tradit Zoanett. *ad l.2. C. de pact. inter empt. & vend. p.* 204. Rosentheil. *de feud.*115. *concl. ult. n.*8. & alii citati hic *a n.*833. ) Si igitur subditi Principem prohibeant, quo minus pro *utilitate* territorii disponat de venandi jure, quid illi superest, nisi ut ita sensim reliquis etiam juribus, ac demum ipsa quoque superioritate per eos privetur?

## §. II.

### *Examinantur reliquæ quæstiones de acquirendo ferarum, volucrium & piscium dominio.*

### SUMMARIUM.

766. &c. *Princeps potest subditis prohibere venationem ita, ut eos faciat inhabiles ad acquirendum feræ dominium.*

873. &c.

di &c. non opus habent præscriptione immemoriali: sed quadragenaria tantum, per *l. omnes* 4. *C. de Præscr.* 30. *an.* Schmier *T.* 1. *f.* 281.

844. Tanto magis autem in casu proposito jus subditorum certum est; cum tempore immemoriali in exercitio venationis libero perstiterint, scientibus & nunquam contradicentibus antecedaneis territorii Dominis: Contra modernum autem in nullo deliquerunt, nec in quopiam utilitatem, salutem, aut securitatem publicam territorii offenderunt, propter quod jure hoc quæsito privari possent, per L. *si locus* §. 1. *ff. quemadmod. servit. amit. l.* 9. *C. de oper. publ. l.* 2. §. 17. *ff. Ne quid in loco publ.*

845. Cum igitur subditi jus venandi a tempore immemoriali quasi-possederint, & dominium ejus præscriptione acquisiverint, possunt illud *actione utili Confessoria* vindicare cum Interdicto *uti possidetis*; utpote jus in fundo radicatum habentes, quidquid sit, an venatio sit fructus fundi, aut jurisdictionis, vel fructus prædialis, prout illam nihil horum esse, post alios, erudite probat D. Bassus *d. l. contr.* 2. *a n.* 1. Et liquet ex *L. Venationem* 26. ff. de *usur.* ubi *Julianus* aperte negat venationem fructum fundi esse, continetur tamen inter emolumenta & commoda.

## DECIDITUR QUÆSTIO.

846. Utut autem rationes hæ solidæ videantur, propter eas tamen nequit Princeps dominus territorialis ita absolute & sine ulla limitatione injustitiæ damnari, ut prohibitio ac reservatio illa juris venandi *integre* relinquatur penes subditos, pristinoque usui eorum restituatur, ut ipsi volunt. Ac proin mediam hoc in casu ineundo viam, distinguimus inter loca, fundos & nemora territorii, in quo asseritur subditis præscriptione quæsitum esse jus venandi liberum. Sunt enim illa alia forsan *propria* Domini territorialis, speciali eoque *privato* jure acquisita, v.g. emptione, donatione &c. alia dein domanialia *publica Fisci*, *seu* Principis *qua* Principis territorii, & demum alia *communitatum*, *privatorum* Civium, & Incolarum.

847. Quod itaque concernit silvas & fundos *speciali ratione proprios* solius Principis, sive Domini cujusvis territorialis, hic potuit & potest omnibus omnino vel *programmate* proposito, vel *proclamate* intercedente prohibere in illis venationem, eodem jure, quo *privatus* quilibet in suo fundo

do prohibere poteſt, *l.* 3. §. *plane, ff. de acquir. rer dom.* Eaque prohibitio ſtatim ab initio vires & locum habet. Joan. Fab. ad *d.* §. *Feræ n.*3. Cov. *ad c. peccatum p.*2. §. 8. *n.* 6. Gilken *ad cit.* §. *Feræ n.* 16.

Neque obſtat *prætenſa* immemorialis præſcriptio: quod enim Dominus territorialis in ſuis *propriis* fundis v.g. a 100. annis non fuerit venatus, vel quod *ſpecialiter* non inhibuerit venationem ſubditis ne eam in illis exercerent, actus omiſſionis hujuſmodi fuit actus *meræ facultatis*: per dicta igitur *a n.*838.) requirebantur actus ſubditorum præſcribentium *contrarii* prohibitioni Principis *expreſſe* interdicentis, & tandem hujus *ſcientis* & *tacentis* acquieſcentia; porro, ſiquidem Princeps ille in ſuis *propriis* fundis venationem ſubditis nunquam *expreſſe* prohibuit, non potuit fieri, neque rationabiliter fuiſſe præſumi poteſt uſus ſubditorum *prohibitioni contrarius*: & conſequenter neque fuit *acquieſcentia* ex parte prohibentis *ſcientis & tacentis*, ad præſcriptionem talem neceſſaria, præſertim cum Gentium & civile jure permittente, ſemper libera adſit facultas domino *privato* fundi, prohibendi quando voluerit, venationem in eo exercendam, ut conſtat ex *cit.* §. *Feræ* 12. *inſt. de R. D.* ibi: *Plane qui alienum fundum ingreditur VENANDI, aut AUCUPANDI gratia: poteſt a Domino, ſi is præviderit, prohiberi ne ingrediatur.* Quo etiam facit *L. Divus Pius* 16. *ff. de ſervit. præd. ruſt.* ubi dicit Impr. *Non eſt conſentaneum, ut per aliena prædia, invitis dominis aucupium faciatis*; juncta *l.* 3. §. 1. *ff. de acqu. rer. dom.* ac *l. ult.* §. 3. *ff. quod vi aut clam*, *l.* 13. *in fin. ff. de injur.* Quibus conſentit *l. per agrum* 11. *C. de ſervit.*

Neque replicationi hic ullus locus eſt, ſi dicant ſubditi ſe jus ſervitutis diſcontinuæ prædialis acquiſiviſſe in fundis Domini ſui propriis, ut in illis venari poſſint. Nam 1.) etiam ad ſervitutem præſcribendam, per cit. *nu.* 838. & 859.) requiritur *uſus* prohibitioni *contrarius* ex parte ſubditorum, & *acquieſcientia* ex parte domini *ſcientis*, impedire valentis, & tamen *tacentis* poſt *factam expreſſe* prohibitionem. 2.) Si venatio in fundo alieno eſſet *ſervitus realis*, ſive *prædialis*, tunc prædio dominante in quaſcunque manus alienato, competeret Poſſeſſori jus venationis, *l.* 1. §. *datur, ff. de aqua quotid. l. uſus aquæ* 21. *ff. de uſu & habit. l. non ſolum* 8. §. *tale*, 3. *ff. de libera. leg.* Atqui hoc falſum eſt, quia prædio nobili in manus perſonæ ignobilis & plebejæ alienato, nulla prorſus eidem venatio

*fiscales quasi propriæ & privatæ Principis sunt.*, per *l.* 2. *§.* 3. *ff. ne quid in loco publ.* ac proin sicut in illius locis propriis, ita in his fiscalibus invito Principe venari non licet, juxta *d. l. D. Pius & cit. §. Feræ*. Aut si subditi jus præscriptionis opponant, ad hanc certum est ex dictis supra, requiri actus prohibitioni contrarios ex parte subditorum, qui nunquam fuisse præsumuntur, & acquiescentia ex parte Principis. Quæ licet etiam (dato non concesso) intercessisset, adhuc *saltem respectu plebejorum*, tum hic ipse, tum alius prioris succedaneus territorii dominus, acquiescentiam hanc ob rationes jam adductas interrumpere, & venationem subditis his plebeiis tanquam juris hujus præscribendi incapacibus prohibere potest.

850. Imo prohibitionem hanc in *locis publicis*, Fisci patrimonium concernentibus, non obstante ullo præscriptionis colore, fieri posse à Principe quo ad *omnes* suos subditos, post alios DD. absolute defendit VVesenb. *in paratit. de acquir. rer. dom. n.* 7. ubi ait: *Et hæc, nunc præcipua ratio principalium venationum jura sustinet, quæ in universum Principes contrario quodam publico Gentium jure ad se transtulerunt, & ademerunt subditis, maxime rusticis & agricolis, c.* 1. *§. si quis rusticus vers. nemo retia ubi Alvar. de pace tenend. in usibus feud. Quia enim saltus & nemora, in quibus feræ libere vagantur, sunt loca publica, ideo recepto quodam jure superioritatis, ut reliqua jura, ita etiam loca publica ad se Principes transtulerunt, L. Littora* 3. *ff. ne quid in loco publ. L. deprecatio ff. ad Leg. Rhod. de jact. ubi Bald. de quadrien. præscr. Undè usurpatum, ut liceat Principi in publicis locis aut concedere jus aliquod servitutis NB. aut ADIMERE, l. servitute* 14. *§. publico ff. de servit. l.* 2. *§. merito & tot. tit. ff. ne quid in loco publ. aut vetare privatis usurpationem loci publici, l.* 3. *in verbis nisi Imperator vetet de flumin. pereque atque privatus usum sui fundi aliis interdicere potest, d. L. Divus. Quare cum hoc dominium locorum publicorum Principes habeant jam quæsitum & sibi attributum, non tantum dispositione legis: sed etiam longa consuetudine & usurpatione: consentaneum videtur, ut pereque in publicis locis, tanquam in suis, jus venandi subditis suis prohibere potuerint & possint, quemadmodum quisque privatus vetare in suo fundo potest, d. L. Divus, de servit. rust. præd. Neque enim Princeps deteriore loco esse debet, quam privatus, nec causa est, quo minus jure privatorum recte utatur, ut traditur in L. Item veniunt §. in priva-*

 *torum*

De prædiis & fundis *communitatum* ( uti sunt Civitatis alicujus possessiones ) vera est opinio *Theologorum* , hic *n.* 840. ) adducta docens , non posse Principem *omnia unius communitatis loca* , etiam ex *causa recreationis* sibi debitæ vel necessariæ *sustentationis* , aut *sumptum* Provinciæ communium reservare , multo minus posse *omnia* illi prohibere , si immemoriali usu pacifico munita est . Id enim foret *inhumanum* , ut communiter illi tenent cum *Fumo* , *Cajet. Nav.* & aliis citatis *n.* 831. & 840. ) specialem vero affert rationem Sotus *de J. & J. l.* 4. *q.* 6. *a.* 4. dicens : *sunt enim feræ , aves & pisces jure Gentium communes , ut locis Inst. & ff. de rer. divis. citatum est : & ideo non est nimium Populus a venatione cohibendus , quandoquidem libertatem etiam habeat illo modo tum animum recreandi , tum & quæritandi victum* .

854. Hanc Soti sententiam sequitur Molina de *Just. tr.* 2. *d.* 46. *n.* 3. Rebell. *de Just. p.* 1. *l.* 1. *q.* 14. *Sect.* 2. Less. *l.* 2. *c.* 5. *n.* 35. Azor *p.* 3. *Inst. mor. l.* 5. *c.* 16. *q.* 1. *in fin.* Layman *l.* 3. *de J. tr.* 2. *c.* 5. *n.* 15. Et quantum mihi constat , nullus est ex Theologis , qui *omnia* unius communitatis loca Principis solius venationi , *penitus* exclusa communitate , dominium proprietatis habente , liberaliter attribuat , ita , quin saltem *minor venatio* huic relinquatur . Grotius quidem *l. c. l.* 2. *c.* 2. *n.* 5. putat , etiam minori venatione , piscatione , & aucupio posse per Principem privari communitates , independenter ab alia causa , quam quod Princeps *jure superioritatis* polleat : Verum assentatio hæc non cohæret cum opinione ipsiusmet Auctoris hujus , qui in plerisque locis ibidem tenet contrarium , ac sibi ipsi non constat , juste proin a majore & saniore Eruditorum , etiam Legistarum parte communissime refellitur , qui solo Superioritatis titulo non contenti aliam *justiorem* causam ad effectum *universalis* prohibitionis hujusmodi venationis requirunt . Confer *n.* 837. )

855. Cum autem adductorum *Theologorum* aliorumque Doctorum judicio jus venandi Incolis sine causa nunquam ; cum causa vero nonnisi *limitate* prohiberi possit in locis Communitatum Principis *jurisdictioni subjectarum* , facile colligere licebit causas *graviores* requiri ad jus , quod quivis particularis Civis subditis in *privatis suis prædiis* habet , auferendum . Nec ullo modo excusari posse Principes , qui sine causa subditos suos hoc fructu venationis contra jus & usum antiquum ( ne *minorem* quidem venationem

iis relinquendo) de novo privant. Molin. *d. q. 46. n. 5.* Facilius enim rei communis ad totam aliquam Universitatem, Civitatem &c. pertinentis usum, Princeps *jure gubernationis*, accedente rationabili alia causa, sibi vendicant, quam rem unius. Quia singuli Cives quo ad arbitrium *disponendi de rebus suis* minus dependent ab ea gubernatione Principis, quam res Universitatis.

856. Ex dictis jam patet, quid in proposito casu decidendum sit circa prætensam venationem in fundis Principi *propriis*, & *jure privati* domini ab eo possessus; ac quid statuendum de eadem venatione continuanda in *locis publicis Fisci*, vel unius certæ *Communitatis*, aut *privati* civis dominio subjectis fundis & silvis. Si igitur subditi *non probent* in allegata *immemoriali præscriptione* intercessisse usum venandi *expressæ* inhibitioni Principis *scientis* & *tacentis* contrarium, & hujus (tempore ad præscriptionem hanc sufficiente) præstitam *acquiescentiam*: non habebit locum prætensa præscriptio, per *n.* 838.) & Princeps modernus poterit ad normam immemorialis consuetudinis in tota Germania receptæ, & Legibus, Doctorumque judicio *a n.* 832. *& seq.*) firmatæ, reservare sibi venationes in aliquibus locis tam *publicis*, quam *communibus*, imo & *privatis* subditorum, permissa illis nihilominus saltem *minore* venatione, ac usu etiam *majoris*, saltem quo ad fundos *proprios* eorum qui sunt ex Nobilitate, aut bene de Republica meriti. Neque per leges inhabiles facti ad hujuscemodi exercitium, ut pro talibus haberi ignobiles personas ostendimus *a n.* 848.

## SOLVUNTUR CONTRARIA.

857. Posito autem casu, quod iidem subditi excipiant contra hanc resolutionem: dicantque se non debere probare prohibitionem Principum territorialium, neque suum contrarium usum & eorum acquiescentiam *scienter* factam, eo, quod immemorialis præscriptio (qualis hoc casu intercessisse asseritur) liberet præscribentem a probatione conditionis *bonæ fidei*, idque onus devolvat in eum, contra quem præscriptum est, ut hic malam fidem, aut aliud præscriptionis vitium ostendat, *C. fin. de præscr. C. Vigilanti eod.* Cov. *in c. Possess. p. 2. c. 8. n. 6.* Talis enim præscriptionis casu præsumitur bona fides, & tempus *immemoriale* habet *vim tituli*, Menoch. *l. 3. presumpt. 21. n. 49. & præ-*

*præsumpt.* 32. *n.* 79. Mynf. 4. *obs.* 6. *n.* 5. Klock. *vol.* 1. *Conf.* 21. *n.* 76. Brunnem. *Conf.* 148. &c.

858. Contra erit I.) quod quando Jus commune, *CONSUETUDO*, aut prohibitio Superioris est contra præscribentem, tunc requiratur ostensio *Tituli*, consequenter & bonæ fidei, per præscribentem probandam, *Cap. Dudum* 31. *de Decim.* circa *fin.* nil juvante tempore immemoriali, Hartm. Pistor. *q.* 46. Joh. Otto Tabor. *dec. ac Consult.* 62. *n.* 34. Less. *de J. & J. c.* 5. *n.* 41. Porro prætensa immemorialis præscriptio est contra *antiquissimam Germaniæ consuetudinem*, vi cujus Principes venationum jus *semper* sibi reservarunt, ut patet ex *n.* 835.) & id attestantur fere omnes Germaniæ Scriptores cum Everhard. Jacob. a S. Georgio, Gaill. Fachin. VVeizeneg. Basso & aliis supra cit. Stat igitur longe fortior præsumptio pro Principe, cujus intentio fundata est in *Generali* consuetudine.

II.) Quia præscriptio *immemorialis* vitiatur, si vitium & mala fides probentur, *C. fin. & C. Vigilanti, de Præscr.* Cov. *in C. Possess. p.* 2. *c.* 8. *n.* 6. etiamsi bona fides in dubio præsumatur, Menoch. *l.* 3. *præsump.* 31. *n.* 39. & *præsump.* 32. *n.* 79. Gail. 2. *Obs.* 18. *n.* 7. Mynf. 4. *Obs.* 6. *n.* 5. Gilken. *p.* 2. *de præscr. membr.* 2. *c.* 1. *n.* 6. Klock. *vol.* 1. *conf.* 21. *n.* 76. add. *Conf.* 29. *n.* 363. Brunnem. *Conf.* 148. Atqui hoc vitium tum ex defectu *tituli*, tum *bonæ fidei*, eo ipso in aprico est, quod manifestum sit, Jus venandi Principibus Germaniæ inter *specialia* eorum jura, consuetudine generali & vi investituræ competere, & reputari.

III.) Vitium hoc probat *generalis prohibitio*, ubique enim locorum Principes Germaniæ jus venandi arctissime sibi competere protestantur, & subditos tum per *proclamata*, tum per *Edicta* & *pœnas* arcent. Præscriptionem igitur ita in requisitis conditionibus deficientem non potuit inducere longæva juris venandi usurpatio, *C. contra* 8. *dist.* 100. *c. causam* 7. *de præscr.* ac proin neque illa causari potuit ex solo temporis immemorialis lapsu, Gloss. *in cap. diu simul, de Offic. Ordin.* ac in *l. obligationum fere* §. *placet, ff. de O. & A.* Bart. *in l. un. C. de usucap. transformand.*

859. Hinc IV.) cum præscriptio odiosa sit, in dubio contra eam potius, quam pro illa interpretatio facienda est, & contra illam judicandum erit, Cravet. *conf.* 29. *n.* 9. *vol.* 1. Cephal. *conf.* 403. *n.* 23. *lib.* 3. VVesenbec. 1. *conf.* 2. *n.* 2.

*n.*2. ubi ostendit, quod in qualibet præscriptione, cui jus *speciale* vel *consuetudo* generalis resistit, per cit. *C. dudum* 31. *de Decim.* probandus sit *Titulus*, ad jus transferendum idoneus; quo facit *l.*1. *in fin. ff. de public. in rem act.* ac *C. Si diligenti* 17. *de præscript.*

Pro confirmatione horum, V.) Videatur Nicolaus Everhard. jun. *l. c. tom.* 1. *f.*512. *n.*28. ubi probat, præter *titulum*, qui etiam in immemoriali præscriptione probandus est, si fuerit contra generalem consuetudinem &c. adhuc in præscriptione *quadragenaria* quoque jurium *incorporalium* (utpote talium quæ *non proprie* possidentur, *l.*4. §. 27. *ff. de. usucap.* veluti sunt officia, jura *venandi*, *præsentandi*, *votandi*, *eligendi* &c. quævis item *servitutes* ne dum *urbanæ*: sed etiam *rusticæ*, ac prædiales, *reales*, pariter ac *personales* &c.) debere probari SCIENTIAM & PATIENTIAM eius, contra quem præscribitur, *l.* 15. §. 1. verb. *patiatur*, *ff. de servit. l.*10. *ff. de servit. vindic. l. ult. ff. de servit.* ac *L.*2. *C. eod.* Struv. Ex.43. *th.*15. Scientia enim & patientia in his Juribus traditionis loco habetur, *l.*20. *ff. de servit. l. quemadmodum* 46. §.1. *ff. de Jure dot. l. pen. ff. de servit. l. servitutes* 20. *ff. de servit. urb. præd.* Quod intelligi debet tunc demum, si cum patientia conjuncta fuerit scientia, *l.*2. *c. de acq. poss. l.* 13. §. *fin. ff. locat.* Fachin. 13. *controv.* 50.

Nisi forte adesset *titulus*, v.g. quia is, qui cum non esset, credebatur tamen dominus, concessit tibi jus transitus per *agrum*, aut tigni immittendi &c. tunc enim elapso 10. inter præsentes, 20. inter absentes annorum curriculo, cum *bona fide* præscribes jus servitutis, *l. fin. c. de præscr. long. temp.* Similiter servitus mere *realis*, si sit *continua*, vel *quasi continua*, absque titulo *cum scientia & patientia* adversarii præscribetur *decennio* inter præsentes, 20. *annis* inter absentes, *l.* 1. & 2. *c. de servit. & aqua.* Discontinua vero absque *titulo* non præscribitur, nisi tempore *immemoriali*, *l.* per *servitutes* 4. *ff. de servit.* Gomez *t.* 2. *c.* 15. *n.* 28. Less. de J. & J. *l.* 2. *c.* 6. *a n.* 28. & 29. Brunnem ad *l. fin. ff. de servit. n.* 1. Struv. *l. c. th.* 15. Hann. ad VVesenb. *de servit. n.* 5. Hi DD. explicant quomodo in juribus *affirmativis* incipiat possessio a die b. f. & cum titulo; vel sine eo inchoatæ possessionis: & *in negativis* a die prohibitionis ex una, & acquiescentia ex altera parte.

VI.) De Præscriptione autem actuum *meræ facultatis*, talibus

libus exceptis, qui non sunt in *Judicium deducibiles*, & quorum nomine non est actio aut obligatio (quales v. g. sunt, si ad meam mensam sæpius per annum prandeas mecum gratis &c.) circa reliquos omnes ita loquitur Balbo *de præscript.* 4. *q.* 1. docens: *Quæ sunt meræ facultatis præscribi possunt interveniente* NB. prohibitione *unius* & patientia *alterius*, *puta*: *volebam molere*, *Titius prohibuit*, *acquievi longissimo tempore*, *quæsita est præscriptio* &c. Rosener *disp. de præscr. jur. negativi in præfation. & c.* 4. §. 6. addit: quia superveniente *PROHIBITIONE*, & prohibiti per tempus legitimum *PATIENTIA*, præscriptio in talibus actibus, qui in judicium deducibiles sunt, (uti sunt illi, qui aliquam quasi cum servitute quadam vel libertate ab ea, similitudinem habent) locum obtinet, per *l.* 45. *ff. de usucap. l.* 7. *ff. de divers. temp. præscript.* Vide *l.* 1. & ibi Bart. *C. de nundin.* VVesenb. l. 1. *consf.* 2. *n.* 94. Bald. *in l. eum, qui* 2. *C. si omissæ caus. testam.* ubi ait, quæstionem de actibus præscriptionis non procedere in facultate *juris quæsiti*, quia jus potius est, quam facultas.

860. Huc facit VII.) Quod quamvis, abstrahendo a consuetudine & legibus particularibus Germaniæ, doceatur communiter Jus venandi præscriptione *immemoriali* obtineri posse, ut tradit Molin. *d. disp.* 46. *n.* 5. Less. *d. c.* 5. *n.* 41. Laym. *L.* 3. *tr.* 1. *c.* 5. *n.* 15. & alii citati *n.* 833.) consequenter subditi libertatem venandi omnimodam, saltem in prædiis *propriis* facilius recuperare posse videantur, si de jure *scripto* communi, & abstrahendo a speciali Germaniæ praxi ac Principum juribus, disputandum esset; favore enim libertatis, & odio negligentiam usum debitæ sibi servitutis (si hæc locum hic haberet, juxta dicta *n.* 847.) constitutum est, ut servitutes, quarum usus, etiam maximo *quinque* annorum fluxu interrumpitur, 20. vel ad summum, ut alii volunt, 40. annorum non usu & desidia amittantur, *l. sicut l. ult. C. de servit. & aqua*. Schneidevv. *Inst. de servit. præd.* §. *ult. n.* 2. Gloss. *in cap. cum Ecclesia Sutrina* §. *ult.* Verb. *Brevitatem temporis*, *de caus. poss. & propr.* Panormit. *in c. de quarta n.* 31. *de præscr.* Et vid. Less. *l.* 2. *c.* 6. *n.* 30.

861. Nihilominus hæc non ita facile procedunt in puncto Venationis a subditis præscribendæ contra suum Principem, cujus intentio fundata est in Legibus Imperii adductis hic *n.* 847. & 850.) pariter ac in generali consuetu-
dine

dine Magnatum Germaniæ. Hinc Ferdinandus VVeizenegger *loc. cit. c. 3. n. 23. fin.* super hoc præscriptionis puncto, citatis aliis Doctoribus, ita loquitur „ Hodie in „ Imperio *LIBERTATIS USUCAPIO* exiguum videtur locum habere. Quamvis enim Principes rarissime venentur in singulis privatorum prædiis, mandata tamen prohibitoria PERPETUA subditos a venando cohibent; quibus contradicere amplius non licet: sed ideo parere necesse est, quod Principes Jus QUÆSITUM habeant, idque sibi proclamatis & edictis prohibitoriis conservent „ Quodsi hic Eruditorum sensus est de præscriptione libertatis venandi in *propriis prædiis*, facile concludi potest, quid dicendum sit de illa prætensa etiam quo ad *loca publica, fiscalia*, & communitatum, vel privatorum dominorum eidem Principi subjectorum! Frustra quoque hic *n.* 843.) dubitant subditi, an Principi Imperatoria, & Electorali dignitate inferiori competant jura Regalium, quasi regalium & Majestatica; hæc enim istis quoque competere constabit hic infra ex *n.* 958.

862. Sed jam permittamus interim; quod Jus venandi Germanicum nihil aliud sit, quam *servitus in fundis subditorum popularium, jurisdictioni Principum atque Nobilium debita*, ut cum aliis vult celeberrimus olim Ingolstadiensis Universitatis Professor Franc. Zoanetti *l. de dupl. venat. n.* 105. Supponamus quoque casum, quod subditi in Germania contra suum Principem usucapione immemorialis temporis, cum *bona fide, & justo titulo* præscripserint jus venandi in locis publicis, fiscalibus & communibus, suosque proprios fundos & silvas jure servitutis Principi ad venandum debitæ, via præscriptionis liberarint: adhuc his minime obstantibus Princeps vi suæ superioritatis & jurisdictionis *jus* illud *subditis quæsitum* potest pro *bono & æquo* sua auctoritate restringere, perinde ac si nulla præscriptio intercessisset.

863. *Ratio* hujus est: Præscriptio enim circa illa, quæ sunt contra *publicam utilitatem*, nihil operatur, uti docent Abbas *in C. extirpandæ §. qui vero n.27. de præb. & C. cum non de præscr. n.* 1. & 13. Mandel. *Consf.* 62. *n.* 35. & *consf.* 64. *n.* 91. Henric. Boich. *C. si diligenti n.* 51. *de præscr.* ac ante eum Castr. *in l. jam pridem C. commun. de usucap.* Petr. de Ubald. in *repet. d. C. si diligenti in 7. requisito, col.* 3. Gylmann. *l. c. n.* 30. Rosener *loc. comm. l.* 14. *c.* 97. *n.* 2.

864. At-

864. Atqui afferta venationis contra Principem præfcriptio eft contra *publicam utilitatem*. Uti enim demonftrat id Cov. *ad C. peccatum p.2. §.8. n.1. & 3.* Tiraq. *de Nobil. c.37. n.140.* Dom. Soto *de J. & J. l.4. q.6. a.4.* Fachin. *l.1. contr.1.* VVefenb. *in paratit. de A. R. D. n.7.* feræ beftiæ deferviunt ornamento, decori & *utilitati* Reipublicæ : fi autem fubditis jus venandi præfcribentibus permittatur, eorumque ac vulgi temeritati relinquatur venatio, facile extirpabuntur fera animalia, & venationis *utilitas* tolletur: Ne igitur id eveniat, fuadent laudati Auctores, venationem non effe committendam arbitrio fubditorum, fed certo ordine, certifque legibus, ac non ab omnibus perfonis exercendam effe. Porro leges hujufmodi præfcribere jure gubernationis ad Principem ita pertinet, ut iis jus venandi permittat, quibus permittendum judicaverit, remotis aliis, quos *æquo* arbitrio removendos a venatione cenfet. Ordinatio autem hæc adeo neceffaria *publicæ* territorii *utilitati* non poffet fortiri effectum, fi præfcriptionis obtentu plena venandi libertas penes fubditos maneret.

865. Imo admiffa hac ufucapione fubditorum contra Principem, cum exclufione ejus a libera difpofitione circa eam, fuperioritas hujus in difcrimen vocatur : *Venandi* quippe *jus territorio & iuri fuperioritatis adhæret*, ut tradunt Menoch. *Conf.* 202. *n.* 31. Dec. *conf.* 22. *vol.* 4. Mendos *de inhibit. q. 6. n.* 2. Heig. *p.* 1. *q.* 15. *n.*54. vel faltem *dominium jurifdictionem fequitur*, ut tradit Zoanett. *ad l.2. C. de pact. inter empt. & vend. p.* 204. Rofentheil. *de feud.*115. *concl. ult. n.8.* & alii citati hic *a n.*833. ) Si igitur fubditi Principem prohibeant, quo minus pro *utilitate* territorii difponat de venandi jure, quid illi fupereft, nifi ut ita fenfim reliquis etiam juribus, ac demum ipfa quoque fuperioritate per eos privetur?

## §. II.

*Examinantur reliquæ quæftiones de acquirendo ferarum, volucrium & pifcium dominio.*

### SUMMARIUM.

766. &c. *Princeps poteft fubditis prohibere venationem ita, ut eos faciat inhabiles ad acquirendum feræ dominium.* 873. &c.

Quæritur I.) *An possit Princeps lege sua subditis ita prohibere venationem in suo territorio, ut etiam Venatores faciant incapacem dominii in feram captam?*

866. NEgant plerique cum *Jasone*, *Schurpfio* Zieglero *ad Grot. l.* 2. *c.* 2. §5. & aliis relatis hic *n.*831.) sed rectius affirmant, Lugo *de J. & J. d.*6. *Sect.*7. *n.*65. Lesf. *de J. & J. l.*2. *c.*5. *n.*46. Bonacina apud Bockler. *in commentar. ad Grot.* §.5. mox citandum, Zoes. *ad ff. de A. R. D. n.* 14. Hugo Grot. *de J. B. & P. l.*2. *c.*2. §. 5. Lauterbach. *de Thesaur. th.* 2. Gleзle *in Jurisprud. terrib. t.* 1. *p.* 2. *c.* 1. §. 2. *n.* 7. Franz. & alii. Quorum *Ratio* est. Quia lex ob justam causam potest subditos reddere inhabiles ad certæ rei dominium comparandum. Sicut enim actiones humanæ subsunt legum dispositioni, adeo ut per leges possit tibi concedi jus, vel imponi obligatio, aut etiam statui impedimentum ad aliquos contractus ineundos, vel actiones attentandas: ita etiam res externa, earumque dominium & possessio legum dispositioni subjacet, adeo ut jus acquirendi vel incapacitas per eas irrogari possit. Prout docet experientia, inde enim fit, ut plerique sint incapaces quorundam officiorum, successionis hereditariæ, possessionis immobilium; idque non ex alia ratione, quam quod lex ipsis resistat, independenter a *proprio voto*, ut fit in Religiosis Professis, aliove suo *facto*, ut contingit iis, qui sponte renunciant alicui juri, aut bonis cedunt; &c.

867. Huc facit, quod *Jus acquirendum* subdito facilius adimatur, quam jus *acquisitum*, ut colligitur ex *L. 6. pr. ff. quæ in fraud. cred.* Gail. 2. *obs.* 142. *n.* 15. Moller. 2. *Semest.* 6. *n.*3. Musculus *de Success. convent. class.* 1. *membr.* 2. *concl.* 5. *lit. C. n.* 203. Et liquet etiam ex *L. patre furioso* 8. *ff. de his, qui sunt sui vel alieni jur.* ac *L.* 1. §. *casum ff. de postuland.* cujus luculenta ratio affertur in *l. ult.*

*ult. §. Si quis* 1. *C. de Codicill.* ibi: *Non enim par eademque ratio videtur, admittere debita & lucra non capere*, juncta *l.* 7. *§.* 2. *&* 3. *C. de Curat. furiof.*

868. Atqui jus quæsitum subdito potest Princeps ex *justa causa* adimere, *l. utilitas publica* 3. *C. de primipil.* Ac patet in usucapionibus a lege humana vim & formam desumentibus, per quas dominium *jam quæsitum* adimitur priori domino: nihil igitur obstat, cur impediri nequeat jus feræ mere *acquirendum*, ita ut eam capiens in fundo v. g. publico vel privato non acquirat illius dominium. Commode id exemplo ejus, qui thesaurum in loco publico invenit, declarari potest. Hic enim per inventionem, concedente lege, jus quæsitum in dimidia thesauri parte, si in publico invenit, habet, secundum §. 39. *Inst. de R. D. l.* 3. *§.* 10. *ff. de jure Fisc.* & constat ex supra dictis hic *n.* 769.) Quodsi Princeps totum thesaurum Fisco inferre vellet, injuriam certe faceret inventori, qui jam *actu* jus quæsivit inveniendo eum & apprehendendo, priusquam nova lex Principis aliud statuens publicaretur. In *futurum* tamen quin Princeps statuere possit, ut is, qui thesaurum in loco publico invenerit, integro Fisco Principis tradat; non est dubium. Ita enim fieri in *Austria* ostendimus supra *cit. n.* 769. Et videri potest Petr. Anton. de Petra *in tr. de jure quæsito per Princip. non tollend.* Brunemm. *ad l.* 4. *n.* 5. *C. de emanc. lib.* Stryk *disp. ad L. Æmilius* 38. *ff. de Minor. c.* 6. *n.* 15.

869. Nec obstat, quod de jur. nat. seu potius Gentium, dominium feræ captæ, utpote quæ nullius domini est, *occupatione* acquiratur capienti: id enim jus mere negativum, seu *permissivum* posse circumscribi ostendimus *n.* 832. Et quamvis in statu naturali *primigenio* vi illius acquireretur plenum dominium: nunc tamen in statu naturæ *hypothetico*, non aliter capienti assistit, quam si lex humana eum ad acquirendum inhabilem non fecit, aut aliæ circumstantiæ non impediant; ut patet in Minoribus, filiofam. sub patria potestate constituto, aliisque personis, quarum aliquos actus jus nat. permissivum non reddit validos, inhabiles eos reddente humana lege ad valide agendum. Confer superius dicta de lege irritante, a *n.* 43. *&* 162.

870. Neque etiam stringit, quod *in* §. 12. *Inst. de R. D.* dicat Impr. *Feræ igitur bestiæ, & volucres, & pisces -- simul atque ab alio capta fuerint, Jure Gentium statim illius esse incipiunt:* Ibidem enim subjungit idem Impr. *Qui alienum*

*num fundum ingreditur venandi aut aucupandi gratia, potest a domino, si is præviderit, prohiberi ne ingrediatur.*

871. Non sunt proin audiendi illi Auctores, qui tradunt „ Venatio de juræ naturæ permissivo cuilibet con-„ cessa est, neque potest privatus eam prohibere in loco „ ad se spectante non clauso speciali sepe, vel muro, „ quia feræ passim vagantes nullius sunt„ Permisso enim quod feræ vagantes nullius sint, adhuc fundi dominus non ideo jus amisit prohibendi, ne alter se invito *venationis causa* fundum suum ingrediatur, ut continua praxis ubique Gentium usitata docet. Imo si alius fuerit ingressus, potest fundi dominus etiam privatus movere Actionem injuriarum, *l. injuriarum* 13. *§. ult. ff. de injur.*

Aliud fiet, si in *via publica* feram glande trajecero; eum id viatori prohiberi vix possit. Non enim prohibitio hæc *ratione feræ* tenet; quia hæc in istis circumstantiis antequam capiatur, nullius est: non quoque *ratione fundi* alieni: nam via cum sit *publica*, uniuscujusque ingressui patet, *l.*14. *§. fin. quemadmod. servit. amitt.* jura autem ingressum hunc ubi prohibendum permittunt, loquuntur solum de *fundo* qui nostro subest dominio, declarante id etiam *l. Divus Pius* 16. *ff. de servit. præd. rust.*

Hac de causa in proposita quæstione dixi: an possit Princeps lege sua subditis ita prohibere venationem *in suo territorio* &c. Nam *extra territorium jus dicenti non paretur impune*, C. 2. de const. in 6.

872. An autem lege hac territoriali inhabiles reddente subditos ad acquirendum feræ dominium, teneatur etiam extraneus Viator pergens per ditiones hujus Principis? Affirmat Hugo Grotius *l. c.* & Puffend. *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 6. *n.* 7. eo quod sit lex omnium civitatum, ad servandam pacem internam summe necessaria; ut qui ejus territorium ingreditur, etiam ad tempus, conformem se tantisper gerat illius legibus, a quibus peregrinos non exemit Legislator. Quæ assertio vero similior esse videtur, saltem si Viatori huic *constet de promulgatione* legis hujus, tunc enim se illi conformare debet, ea ratione, ac obligatur servare leges loci illius circa contractus & similia, quæ spectant *ad rectam ordinationem civilem* ac externam territorii, in quo peregrinus subsistit.

Q. II. ) *An igitur qui contra leges venantur, feram captam suam faciant?*

873. Uberior quæsiti hujus sensus iste est: quomodo delinquant, & an teneantur ad restitutionem illi, qui contra justam prohibitionem, in locis alioqui patulis, nec sepe aut aggere munitis venantur, piscantur, vel aucupio indulgent? Materia quidem hæc ad Theologos morum Magistros spectaret: sed Naturalistæ ac Gentium juris Interpretes imo & Legistæ eam sibi *jure simultanei*, vel *præventionis* vendicarunt, dispari tamen doctrinæ & resolutionis argumento, ut mox patebit.

Grotius enim *de J. B. & P. l. 2. c. 8. §. 5.* ad propositam quæstionem *negative* respondet, asserens: Venatores contra legem prohibentem venantes in fundo alieno, feram non facere suam: hinc peccare, & teneri ad restitutionem, eo, quod Principes Germaniæ, etiam ante omnem apprehensionem habeant actuale dominium ferarum, & volucrium in eorum territoriis existentium, etiam vivariis, aut sepibus non clausarum. *Rationem* hujus adstruit: Germaniæ enim populi, cum Principibus ac Regibus bona quædam essent assignanda, unde dignitatem suam sustinerent, sapienter existimarunt *ab illis rebus incipiendum, quæ sine damno cujusquam tribui possint*, cujusmodi sunt *res omnes quæ in dominium nullius pervenerunt*. Quo jure usos asserit Ægyptios, qui teste *Strabone*, feras, volucres, & pisces a suis apprehensoribus *reali* actione vindicabant, idque factum fuisse dicit ideo: quia *potuit lex etiam anteoccupationem harum rerum dominium transferre* in Principes, cum ad dominium producendum lex sola sufficiat. Hæc *Grotius* loc. cit. Cujus Commentator *Boclerus* in relata verba scribens, *f. 32.* ait, „ Princeps, si Reipublicæ expe„ dire visum fuerit, etiam invitis plebeiis, citra injuriam „ venandi licentiam adimere potuit. Non enim ipsis res „ suas eripit: sed vetat duntaxat ab ipsis usurpari aliquem „ acquirendi modum, quem alias merum jus naturæ, ci„ tra constitutiones civiles, si esset, indulgebat „

874. In eandem sententiam abiit Puffendorff. *de J. N. & G. l. 4. c. 6. §. 7.* refutans opinionem eorum, qui communius & verosimilius docent; per leges civiles venandi licentiam prohibentes esse detractum *non* quidem *acquisitioni animalis capti*: sed *juri tantum venandi*: negat ille Feri-

fetam fieri dominium illius feræ, quam contra Principis prohibitionem primus occupat, & contradictorium esse putat, ut Principibus solis competat jus venandi, & tamen si privatus feram ceperit, ejus dominium acquirat; cui modus hic acquirendi, uti prohibitus ita illicitus fuit. Quod si jam aliquis quærat ex *Puffendorfio.*: Penes quem ergo erit dominium feræ contra leges captæ? Respondet ille: istum Venatorem Principi ultroneam, licet parum gratam operam præstitisse; adeoque non secus atque alium Venatorem a Principe constitutum, capiendo feras Principis fecisse. Quod declarari potest exemplo, supra hic *n.* 868.) adducto de inventione *thesauri*, qui quidem antequam inveniatur, in nullius bonis existit; *l. Nunquam* 31. *§. Thesaurus* verb: *ut jam dominum non habeat*, *ff. de A. R. D.* adeoque spectato jur. nat. & Gentium primo occupanti cederet; Et tamen jure cautum est, ut si in alieno loco inveniatur, non totus inventoris fiat: sed dimidia pars domino loci sine ullo ejus labore acquiratur, *§. thesaurus* 39. *Inst. de R. D.* Quo facit, quòd in *l.* 3. *§. pen. ff. de jure Fisc.* pars thesauri per tertium aliquem in fiscali vel publico, vel religioso aut Cæsaris loco reperti fisco *vindicari* tradatur: Illud autem *vindicatur*, quod ad aliquem jure dominii pertinet, *l. actionum* 25. *ff. de O. & A.* Bocer. *de Regal. c.* 2. *n.* 105. Sixtin. *de Regal. l.* 2. *c. ult. n.* 68. & alii sequaces Puffendorfii.

875. Contraria autem sententia Theologorum ac JCtorum, quæ Venatori feram in loco prohibito non clauso captam adjudicat, quo luculentius Adversarios convincat, ex *sola prohibitione* venationis non posse rationabiliter inferri incapacitatem Dominii in feram captam, neque inde oriri obligationem restitutionis ante omnem sententiam, tunc in finem præmittit ex Cov. Nav. Silvest. & aliis; venationem ex quadruplici capite posse prohiberi. I.) Ratione *personarum*: Sic Clericis *C.* 1. *&* 2. *de Cleric. venat.* ac multo magis Religiosis, per *C.* 1. *§. porro; de stat. Monach. in Clem.* prohibita est venatio, quæ ab ipsis, cum magno clamore & scandalo exerceretur: secus si hæc absint, vel solius recreationis causa spectetur. II.) Ratione *temporis*, si scilicet fiat cum præjudicio Festi, quo omittatur Sacrum, vel propter venationem violetur jejunium. III.) Ratione *publicæ utilitatis*. Ne scilicet soboles ferina extinguatur, uti fieri potest, si v. g. venatio institui soleat illis mensibus, quibus feræ uterum gestant &c. Quæ etiam cum

cum proportione intelligenda sunt de aucupio, & piscatione. IV.) Ratione *loci*, Principi vel alii privato reservati. His præmissis

876. *Dicendum est* I.) Si Legislator prohibens venationem ratione *certi loci*, aut *publicæ utilitatis*, vel *temporis*, eadem lege sua prohibente simul *expresse* faciat inhabilem Venatorem ad acquirendum dominium captæ feræ: juxta dicta *n.* 866.) non acquiret ejus dominium, propter momenta *cit. nu.* adducta. Hinc ita apprehensam tenebitur restituere.

Sed *quæres*: cuinam restituenda erit, siquidem juxta hanc opinionem fera priusquam caperetur, neque etiam in Principis dominio fuit? ac proin cum Principi non sit illata injuria per apprehensionem rei, quæ sua non fuit: consequens est; ut neque restitutio feræ, *qua feræ* locum habeat.

*Resp.* Eam esse restituendam fisco Principis; vel ejus æstimationem esse eidem solvendam; idque non expectata alia sententia Judicis. Licet enim juxta hanc opinionem, Princeps legislator ante apprehensionem feræ nullum habuerit ejus dominium, sicut neque venator, post quam tamen per prævaricatorem suæ legis dominii incapacem capta est, illico ultronea ejus opera hac transit in dominium Principis, qui jus habuit illam *in pœnam* delicti venatoris, suam faciendi., & tanquam ab indigna & inhabili persona recipiendi. Ita; licet juxta *n.*874.) thesaurus in fundo meo latens non censeatur esse in bonis meis: sed futurus sit dimidia parte occupantis inventoris; nihilominus si ille modis iniquis, *v. g.* artibus magicis, aut *data opera* eum invenerit, ad me loci dominium totus pertinebit; *l. un. C. de thesaur. l.*63. §. *fin. ff. de A. R. D.* Carpz. p. 3. C. 53. def. 6. Rosen. *lib.* 18. *c.* 20. *num.* 1. hoc enim casu *inhabilis* per legem factus est ille ad acquirendum hunc thesaurum.

877. Atque in hoc sensu sustineri potest *Grotii*, *Puffendorfii*, & aliorum opinio *a n.* 873.) relata, scilicet Feripetam non fieri dominum feræ captæ, si hic nedum *prohibitus*: sed etiam *inhabilis* ad acquirendum ejus dominium factus fuit. Quæ tamen inhabilitas prohibendi venationem, nullibi Gentium adiecta uspiam fuisse deprehenditur: sed tanquam *mere theorica* ab Auctoribus supra cit. sustinetur. Imo ipsemet *Grotius l. c.* de sola *possibilitate* talis prohibitionis loquitur his verbis: *potuit lex etiam ante*

*occupationem* &c. porro vix potest aliquem latere hæc pragmatica sanctio Logicorum, etiam ab JCtis & Canonistis recepta: *a potentia ad actum* (in materia contingente) *non procedit argumentatio*. Ipse quoque *Puffendorfius* loc. cit. fin. palam idipsum fatetur, ubi nedum legem hujusmodi *inhabilitantem* unquam extitisse in praxi non ostendit; sed etiam in casum *possibilis* existentiæ ejus, ait: *moderate exercendas hujusmodi leges bene monent cordati &c.* Concordat opinio Bæckleri *ad Grot. d. l. §. 4.*

## SATISFIT OBJECTIONI.

878. Neque dixeris; Legem civilem prohibentem aliquem actum *in se* & directe, esse hoc ipso irritantem & reddentem subditum inhabilem ad valide eum exercendum, per famosam *L. Non dubium 5. C. de L.* ubi dicitur: *Ut ea, quæ fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia: sed NB. pro infectis etiam HABEANTUR: licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est &c.* Igitur si venatio prohibita est: hoc ipso nedum illicite, sed etiam invalide fera a venatore apprehenditur, quia hic per ipsam legem *prohibentem* factus est inhabilis ad acquirendum ejus dominium, uti patet ex textu legis citatæ.

Contra enim est I.) quod si vera foret hæc ratiocinatio; sequeretur eum, qui *simplici prohibitione* prohibitus est venari *ratione temporis*, v. g. die festo; venando & occupando feram, non acquirere ejus dominium; & sic de aliis prohibitionum modis *a n.876.)* recensitis: quod tamen nedum aperte falsum est; sed etiam vere Eruditis risum movet.

II.) Lex citata loquitur de nullitate actus jure *mere humano* prohibiti, per *sententiam Judicis* primum *decidenda*, non vero quod ille ipso jure ante omnem sententiam sit nullus. Patet id ex verbis citati textus: *pro infectis NB. HABEANTUR*. Est enim utriusque Juris principium; Quando lex aliqua prohibens actum, requirit opem, & interventionem Judicis, utendo verbis *imperativi* modi, v. g. *privetur officio: multetur: excommunicetur: quod egit, pro infecto habeatur* &c. Lex hujusmodi usque post sententiam Judicis sortitur effectum, ut post *Bartol. Bald.* & communem aliorum tradunt, Farinac. *part. 2. fragment. ver. Lex n. 63.* Menoch. *conf. 30. n. 8.* dicens: Lex '. voluisset expressisset, *l. un. §. fin autem ad deficientis. C. de Caduc. tollend. l. si servum 71. §.*

non

*non dixit* 5. *ff. de acquir. hered.* Armendar. *in proœm. addit. ad recopil. legum Navarræ n.*150. ubi ait: quia quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum; Surd. *conf.* 219. *n.* 21. Hartm. Pistor. 1. *q.* 15. *n.* 10. addens: non enim sufficit quem sic voluisse, nisi & de hoc fiat dispositio, *l. quidam cum filium* 46. ubi Bartol. & Imol. *ff. de hered. inst.* cum propositum in mente retentum nihil operetur, *L. si repetendi* 7. *C. de Cond. ob caus.* Neque igitur Lex illa *quinta* plus operari debet, quam Legislator disposuit, volens ut actus tales *pro infectis habeantur* ope Judicis & post sententiam, non vero aliter.

879. III.) A contrario autem patet, quod quoties Lex, etiam Civilis, ipso jure irritat actum & inhabilem reddit operantem, tunc non utitur *imperativo modo*, nec remittit ad Judicem, ut hic eum *pro infecto* habeat; sed in *modo indicativo* absolute nullum esse dicit; ut liquet ex §. 7. *Inst. quib. mod. testam. infir.* ibi: *Nam imperfectum testamentum sine dubio NB. nullum est.* Et in *L. hac consultissima* 21. *C. de Test.* dicit Impr. *Ex imperfecto autem testamento voluntatem teneri defuncti NB. non volumus.* Simile quid habemus *pr. Inst. de auctor. tutor.* ubi sine verborum ambagibus obligatio unius, & ab ea libertas alterius manifeste exprimitur: *Si Tutoris auctoritas non interveniat, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur; at invicem Pupilli NB. non obligantur*, juncta *l.* 15. *ff. de solut.* &c. &c.

880. IV.) Quia quod actus *solo jure positivo* humano prohibitus specie differat ab actu etiam irrito, & quod lex humana *in se* actum prohibens non sit irritans, præter innumeras instantias, major & sanior pars Eruditorum consentit teste Pacian. *in* 5. *Enantioph. cent.* 2. *q.* 4. Brunnem. *ad l.* 38. *n.* 7. *ff. de Pact.* cum aliis supra cit. Et ita juxta omnes, nedum Civili & Canonico, sed *naturali* quoque jure prohibita est *venditio altera* rei semel jam valide & licite venditæ, & tamen illa facta si res vendita tradatur alteri emptori, valet contractus *l.* 15. *C. de R. V.* Jure quoque naturali humano prohibetur injusta incussio metus gravis: ut patet ex *tot. tit. ff. Si quis aliq. testari prohib.* & *tot. tit. ff. quod metus caus.* actus tamen hujusmodi juxta communiorem Legistarum opinionem, non eo ipso sunt irriti: sed tantum dicuntur esse *rescindibiles*. Simile quid fit in sententia Judicis, quæ prohibetur ne sub conditione feratur, *l.* 1. §. *biduum, ff. quando appelland.* hæc tamen ita prolata valet

juxta omnes, pariter ac subsistit illa, quæ *ad candelam* de nocte prolata est, nihil obstante prohibitione. Idem est de mercibus contra prohibitionem invectis ac venditis &c.

881. V.) Verum itaque sensum citatæ *l. non dubium* exponit Christoph. Henr. Ferromontanus *in Corp. Jur. civ. academ. novæ edit, Coloniæ-Munatianæ, cum loc. paralel. Anni* 1748. Ubi ad *d. l. 5. C. de LL.* in prædictis locis paralellis ostendit, quod si lex Civilis aliquid prohibeat, quod jam aliunde *naturali & divino jure prohibitum* est: hoc casu lex humana *in se* prohibens simpliciter actum, *ordinarie* reddat eum etiam irritum, & personam inhabilem ad ita operandum, licet nullam irritationis actus & inhabilitatis personæ mentionem fecerit, prout probat id ex *l. 26. ff. de V. O.* dicente: *Generaliter novimus TURPES stipulationes nullius esse momenti*, & ex *l. 27. ff. de V. O.* quæ præcedentem legem his exemplis declarat: *Veluti, si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat*, hæc ipsa declaratio habetur in *l. 7. §. 3. & §. 16. ff. de pact.* Hi igitur & similes actus cum aliunde *turpes* sint & *naturali* jure prohibiti, utpote foventes iniquitatem naturali jure vetitam, si etiam lege humana prohibeantur *simpliciter*, ipso jure fiet irrita eorum *promissio, stipulatio* &c.

882. Secus fit in legibus a *solo placito* humano provenientibus, quibus inhibentur aliqui actus *natura sua* ac *intrinsece* non turpes, qualis est *Venatio* prohibita, & trajectio v. g. *lepusculi* in alieno fundo &c. Nunquam enim mens Justiniani citatam *l. non dubium* 5. *C. de LL.* dictantis hæc fuit, qualem plerique arbitrarie interpretantur, alioqui mercium, contra *prohibitionem simplicem* venditarum venditor non acquireret pretii, & emptor rei emptæ dominium: id tamen prout sæpe in praxi contingere experimur, ita nullus prudens dubium unquam movit circa contractuum hujusmodi *valorem*: quidquid sit, quod contra simplicem prohibitionem *justam* ita contrahens possit delinquere in foro animæ, & etiam contractus ipse, v. g. emptionis-venditionis a Judice rescindi queat.

883. Recte proin Suarez *de LL. c. 28. n. 9.* Herincx. *p. 2. d. 5. de LL. n.* 34. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 16. n.* 3. cum aliis TT. & Legistis censent, legem prædictam: *non dubium* in eo rigore, qui asseritur, nunquam fuisse dictata, aut usu receptam: Imo illam, quatenus esse irritans simul a plerisque dicitur, putant esse tantum *pœnalem*, quod scilicet Judex

dex in pœnam violatæ legis *prohibentis*, possit actum irritum pronunciare, propter verba in *d. l. non dubium* contenta, quæ hæc sunt: *nec pœnas insertas legibus, evitabit*; itaque expectanda est sententia, quæ rescisso actu contra legem *mere civilem* eamque simpliciter prohibentem gesto, condemnet v.g. *ad restituendam feram*, vel æstimationem ejus solvendam. Atque in hoc solo sensu citatam legem *quintam* canonizatam esse per *Cap. Pactiones ult. de pact.* sustineri potest cum Zoes. ad *ff. l. 1. tit. 3. de LL. f. 29. a n. 47.* Laym. *de LL. cit. l. 1. tr. 4. c. 16. a n. 3.* & aliis ab illo citatis.

884. *Dicendum est* II.) Venator feram capiens etiam in loco prohibito, eoque non clauso, aut clauso quidem, sed ita vasto, ut in eo difficillime capiatur (prout contingit *v. g.* in Insulis duarum aut trium leucarum &c.) regulariter fit dominus feræ.

Ita communissime DD. fundati in manifesta *L. 1. ff. de aqu. rer. dom.* ibi: *Omnia igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est FERÆ bestiæ, volucres, pisces capientium fiunt.* Hujus autem ratio datur in mox sequente l. 3. ff. eod. tit. *quod enim nullius est, id naturali occupanti conceditur. Nec interest, quo ad feras bestias & volucres, utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno.* Equidem subjungit textus ibidem, liberam unicuique domino esse facultatem prohibendi ingressum: *Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aucupandique gratia, potest a domino, si is præviderit, jure prohiberi, ne ingrederetur.* Verum hac prohibitione *simplici* non obstante, adhuc dominium feræ captæ penes capientem manere asseritur, *cit.* legis tertiæ in continenti his adjectis verbis: *Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque NB. NOSTRUM esse intelligitur, donec nostra custodia coercetur.* Igitur *simplex* illa *prohibitio* ingressus in fundum venandi aucupandive gratia, non impedivit acquisitionem dominii in feram captam, neque ejus naturalem libertatem immutavit, siquidem etiam post hanc prohibitionem captum prædictum animal *NOSTRUM esse intelligitur* &c. Concordat §. *Feræ* 12. *Instit. de Rer. divis.*

885. *Ratio* etiam est: animal illud ferum non erat domini illius fundi, sed nullius, per *cit. l. 3. ff.* igitur transiit in dominium primo occupantis, qui non fuit inhabilis redditus ad id acquirendum. Animantia enim non sunt fructus ægrorum, silvarum vel fluviorum, sicut arbores, quæ solo adhærent: sed alia ex aliis procreantur, ut liquet

ex *l. Venationem* 26. *ff. de usur.* ubi *Julianus* manifeste negat venationem fructum fundi esse; quamvis contineatur inter emolumenta ejus & commoda, per *l. Item si fundi* 9. §. *Aucupiorum*, *ff. de usufruct.* Unde sequitur, etiamsi fundus, vel possessio talis sit, ut ejus fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, (uti plerumque fit in *Lithuania*) non tamen ideo animalia fiunt conductoris, vel usumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur: sed conductor & usufructuarius solum jus venandi in tali fundo habet, quod jus censetur ad fructus agri vel silvæ pertinere. Cov. *ad reg. peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 9. & 11. Paul. Mezger *Theol. Schol. t.* 3. *tr.* 11. *d.* 27. *art.* 1. §. 2. *n.* 9. D. Bassus *Semicent. controv. Can. Legal. controv.* 4. *de venat. n.* 12. Schambogen &c. Dixi *regulariter* fit dominus feræ: scilicet si non sit *expresse* inhabilis factus ad dominium acquirendum.

886. *Dicendum est* III.) Prædictus Venator quamvis peccet contra jus alterius: 2.) Tamen *per se* non tenetur ante sententiam restituere feram ei, qui habet jus venandi, etiamsi hic simplici prohibitione inhibuerit sui fundi ingressum venationis causa. 3.) Neque per se loquendo obligatur ad æstimationem feræ eidem solvendam, nisi aut Judicis sententia præcesserit: aut saltem a fundi domino *rationabiliter* requisitus fuerit.

*Ratio* primi) est. Quia qui venatur in aliena possessione rationabiliter invito domino, facit illi injuriam. Dominus enim jus habet, ut nemo ibi se nolente venetur: ut liquet ex *cit.* §. *Feræ* 12. *Inst. de R. D. l.* 3. *ff. de A. R. D. l. Divus Pius* 19. *ff. de servit. præd. rust. l. per agrum* 11. *C. de servit.* juncta *l. Item si fundi* 9. §. *Aucupiorum*, *ff. de usufruct.* ibi: *Reditus aucupiorum ad usumfructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino aucupari.* Quo loco, conformiter iis, quæ diximus *n. præced.* 885.) declarat citatus textus venationem & aucupium non esse quidem fructum fundi, neque accessionem ejus: *pertinere* tamen, seu reduci *ad usumfructum* fundi, quia scilicet jus venandi, aucupandi potest fructum afferre, si dominus fundi jure venandi, aucupandi usus fuerit ipse, alteri locaverit &c. Consequens autem est, ut violando hoc jus alterius peccet *aliquomodo*, scilicet pro gravitate injuriæ, & circumstantiarum. Quodsi venator *subditus* fuerit domini fundorum, qui simplici prohibitione inhibuit,

ne

ne quis suorum audeat venari in loco certo, ille cum prævaricetur *justam*, ut supponitur, legem *prohibentem*, non erit immunis a peccato, saltem contra obedientiam debitam legitimo Superiori n.1. *de Const. l. de quibus* 32. *ff. de LL.* Nisi forte ex praxi Judiciorum, & Regionis consuetudine constet legem hujusmodi esse *pœnalem*, qualem putant esse Silvest. v. *venatio* Navarr. n. 17. *n.* 12. &c.

887. *Ratio* secundi). Talis enim venator non contrectavit rem alienam, cum fera in nullius dominio fuerit, sed tanquam primo occupans eam apprehendit & fecit suam, per *cit. §.* 12. *Inst. & l.* 3. *ff. de A. R. D.* Nec refert, quod apprehensio hæc feræ fuerit *injuriosa*, quia non ideo fuit contra jus proprietatis, seu contra justitiam commutativam obligantem ad restitutionem feræ, in eam enim nemo prius habuit jus proprietatis: Sed si forte apprehensio hæc fuit contra justitiam commutativam, eatenus fuit, quatenus *læsit jus venandi*, id est ablata fera fecit illud jus minus æstimabile: igitur non tenetur aliquid reddere pro fera: sed *ad summum* tenetur aliquam compensationem facere pro læso jure venandi, Cov. *supr. n.*4. Medina *q.*12. Gudelin. *de jure noviss. l.*2.*c.*2. & ex eo Arnold. Vinius *ad §.*13. *Inst. de R. D.* ubi dicunt, „ talem Venatorem „ non committere furtum, nec auferre rem alienam, sed „ acquirere eam, cujus acquirendi jus alter valde remotum habebat: ipsumque pœna affici, rei autem ita acquisitæ vitium furtivi non adhærere „

Luculentius adhuc loquitur Ziegler. *ad Grot. l.* 2. *c.* 2. *§.* 5. ubi absolute negat posse Legislatorem subditos suos inhabiles reddere ad acquirendum dominium feræ in fundo venationi prohibito captæ (quod tamen nos hic *n.* 866.) tanquam verisimilius defendimus) ait enim ille contra opinionem Grotii: *Impediri lege posse, ne feræ capiantur, sed ut capiendo non acquirantur, impediri lege non posse. Stare enim posse jus prohibendi cum acquisitione ipsa. Diversas esse quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In prima quæstione nihil posse Majestatem. Quemadmodum facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possideantur, quæ non possidentur l.* 3. *§.* 14. *ff. de acquir. rer. possess. ita nec prohibere posse acquisitionem, nec facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita. Sed in secunda liberum esse Principi imperium*, nempe quod possit prohibere suo præcepto, si tamen contra prohibitionem capiatur

fera,

fera, transgressori legis ejus acquiretur dominum, concordat D. Bassus *loc. n.* 12. Schambogen & alii JCti.

888. Hinc sequitur: eum qui trajecit verbi gratia cervum, non teneri illum reddere, sed ad summum tantum dare, quantum valet *spes*, quam concepit dominus Foresti eum cervum capiendi: vel quanti valet jus eum cervum venandi, quod utique minus valet quam cervus cum incertum fuerit, an capiendus esset. Hæc tamen læsio potest esse major vel minor, prout major spes fuit eam feram capiendi, vel etiam prout plures vel pauciores illius speciei feræ sunt in silva. Si enim sint multæ: læsio fit parva nam propter captum unum aut alterum v. g. leporem, modicum damnum infertur juri venandi, nec enim ideo pauciores capit dominus Foresti, nec jus venandi redditur notabiliter vilius, seu minus æstimabile, Molina *to. 1. de Just. tr. 2. d. 51.* Ininger *de dom. disp. 3. q. 1. a. 4. q. 4.* Tunc autem certo læsio juris hujus magna foret, si quis per venationem nimis frequentem, aut intempestivam, e. g. tempore, quo gravidæ sunt feræ, notabiliter eas minueret, aut fugaret, hoc enim damnum utique est magnum.

889. *Ratio* tertii) est. Quia æstimatio solvenda succedit in locum rei alienæ destructæ, vel consumptæ, *l. 22. ff. de petit. hered.* atqui fera non fuit in dominio venationem prohibentis, consequenter non fuit res aliena, quæ suo domino obligata foret, igitur neque æstimatio locum habet ante Judicis sententiam; post hanc tamen solvenda erit, non quanti fera valuit, quæ in rebus fundi possessoris nunquam fuit; sed (juxta dicta n. 887.) quantum jus *venandi læsum est*, aut certe pretium illud titulo *multæ*, rationabiliter per Judicem impositæ præstandum erit, parendum enim est sententiæ, *l. 3. ff. de Jurisd.*

Quod vero solvere interdum debeat, saltem si *rationabiliter a domino fundi requisitus fuerit*: Ratio est, quia illis casibus, quibus v. g. fundi possessor venationem sibi *contractu locatam* habet, aut *damnum notabile* per furtivam venationem juri venandi illatum fuerit, nimis onerosum foret agri domino expectare Judicis sententiam & novis impensis eam urgere: hinc æquitas suadet, ut ille qui damnum hujusmodi intulit, etiam ad simplicem requisitionem parti læsæ satisfaciat, per ea quæ diximus *n. 612.*)

890. Et hanc ob causam dixi in assertione, venatorem hujusmodi *per se* non teneri restituere *vel* solvere *ante sen-*

ten-

*sententiam*, aut saltem donec *rationabiliter requisitus* a fundi dominio *fuerit*. Quia si Princeps in pœnam spoliare fera eum & alia insuper *pœna* multare ( non tamen mutilatione aut morte, nisi alia circumstantia gravis contemptus legum vel alterius gravis delicti accedat ) voluerit, sustinere hæc debebit, etiam propter solam culpam juridicam. Si quoque læsio *juris venandi* supra explicata, *notabilis* & *certa* fuerit, obligabitur ad damni reparationem ante sententiam, idque quantum illius domini intererat, ne in loco alieno venaretur. Ita communis DD.

891. Ad eandem restitutionem verosimilius tenetur, qui feram laqueo unius ita captam, & irretitam, vel ab alio ita vulneratam, ut amplius manus ejus effugere haud potuerit, sibi usurpavit. Hoc quippe casu feræ hæ erant illaqueantis & vulnerantis, qui eas *longa manu* videtur occupasse. Apprehensio enim fit non solum manibus: sed etiam instrumentis. Et ita definitus est casus de apro, qui in laqueum alterius inciderat, prout videre est in *l.* 55. *ff. de A. R. D.*

Q. III.) *An autem lex venationem prohibens sit tantum pœnalis?*

892. Affirmant esse tantum pœnalem non pauci cum Ininger *de dominio disp.* 3. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 3. eo quod reservatio juris venandi facta per Principes, non adeo stricte accipiatur; & hi ipsi contenti esse soleant pœna furtive venantium: Multi quoque asserunt eam habere *vim præcepti* obligantis *ex justitia*, prout evincere conatus est D. Bassus *l. c. controv.* 4. *n.* 6. hac persuasus ratione: quia lex hujusmodi est defensiva juris acquisiti, obligat proin in conscientia ad omissionem actus prohibiti, & contraveniens peccat contra justitiam, quamquam Legista hic non declarat, contra quam Justitiam peccet, num contra *legalem*: vel *commutativam*, & an semper contra hanc?

893. Solidius respondent alii, qui docent: Violatio præcepti hujus sitne contra *Justitiam rigorosam* vel contra *obedientiam*, aut tantum contra legem *pœnalem*; attendi debet ad finem & intentionem prohibentis. Si enim per illam intendatur acquisitio seu defensio juris proprii, vel alteri conferendi; venatio, quando non ex more, præcise lege pœnali interdicitur, est contra justitiam, & licet animal

juxta omnes, pariter ac subsistit illa, quæ *ad candelam* de nocte prolata est, nihil obstante prohibitione. Idem est de mercibus contra prohibitionem invectis ac venditis &c.

881. V.) Verum itaque sensum citatæ *l. non dubium* exponit Christoph. Henr. Ferromontanus *in Corp. Jur. civ. academ. novæ edit. Coloniæ-Munatianæ, cum loc. paralel. Anni* 1748. Ubi ad *d. l. 5. C. de LL.* in prædictis locis paralellis ostendit, quod si lex Civilis aliquid prohibeat, quod jam aliunde *naturali & divino jure prohibitum* est: hoc casu lex humana *in se* prohibens simpliciter actum, *ordinarie* reddat eum etiam irritum, & personam inhabilem ad ita operandum, licet nullam irritationis actus & inhabilitatis personæ mentionem fecerit, prout probat id ex *l. 26. ff. de V. O.* dicente: *Generaliter novimus TURPES stipulationes nullius esse momenti*, & ex *l. 27. ff. de V. O.* quæ præcedentem legem his exemplis declarat: *Veluti, si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat*, hæc ipsa declaratio habetur in *l. 7. §. 3. & §. 16. ff. de pact.* Hi igitur & similes actus cum aliunde *turpes* sint & *naturali* jure prohibiti, utpote foventes iniquitatem naturali jure vetitam, si etiam lege humana prohibeantur *simpliciter*, ipso jure fiet irrita eorum *promissio*, *stipulatio* &c.

882. Secus fit in legibus a *solo placito* humano provenientibus, quibus inhibentur aliqui actus *natura sua* ac *intrinsece* non turpes, qualis est *Venatio* prohibita, & trajectio v. g. *lepusculi* in alieno fundo &c. Nunquam enim mens Justiniani citatam *l. non dubium* 5. *C. de LL.* dictantis hæc fuit, qualem plerique arbitrarie interpretantur, alioqui mercium, contra *prohibitionem simplicem* venditarum venditor non acquireret pretii, & emptor rei emptæ dominium: id tamen prout sæpe in praxi contingere experimur, ita nullus prudens dubium unquam movit circa contractuum hujusmodi *valorem*: quidquid sit, quod contra simplicem prohibitionem *justam* ita contrahens possit delinquere in foro animæ, & etiam contractus ipse, v. g. emptionis-venditionis a Judice rescindi queat.

883. Recte proin Suarez *de LL. c. 28. n. 9.* Herincx. *p. 2. d. 5. de LL. n.* 34. Laym. *l. 1. tr. 4. c. 16. n.* 3. cum aliis TT. &c. Legistis censent, legem prædictam: *non dubium* in eo rigore, qui asseritur, nunquam fuisse dictata, aut usu receptam: Imo illam, quatenus esse irritans simul a plerisque dicitur, putant esse tantum *pœnalem*, quod scilicet Judex

dex in pœnam violatæ legis *prohibentis*, possit actum irritum pronunciare, propter verba in *d. l. non dubium* contenta, quæ hæc sunt; *nec pœnas insertas legibus, evitabit*; itaque expectanda est sententia, quæ rescisso actu contra legem *mere civilem* eamque simpliciter prohibentem gesto, condemnet v.g. *ad restituendam feram*, vel æstimationem ejus solvendam. Atque in hoc solo sensu citatam legem *quintam* canonizatam esse per *Cap. Pactiones ult. de pact.* sustineri potest cum Zoes. ad *ff. l. 1. tit. 3. de LL. f. 29. a n. 47.* Laym. *de LL. cit. l. 1. tr. 4. c. 16. a n. 3.* & aliis ab illo citatis.

884. *Dicendum est* II.) Venator feram capiens etiam in loco prohibito, eoque non clauso, aut clauso quidem, sed ita vasto, ut in eo difficillime capiatur (prout contingit *v. g.* in Insulis duarum aut trium leucarum &c.) regulariter fit dominus feræ.

Ita communissime DD. fundati in manifesta *L. 1. ff. de aqu. rer. dom.* ibi: *Omnia igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est FERÆ bestiæ, volucres, pisces capientium fiunt*. Hujus autem ratio datur in mox sequente l. 3. ff. eod. tit. *quod enim nullius est, id naturali occupanti conceditur. Nec interest, quo ad feras bestias & volucres, utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno*. Equidem subjungit textus ibidem, liberam unicuique domino esse facultatem prohibendi ingressum: *Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aucupandique gratia, potest a domino, si is præviderit, jure prohiberi, ne ingrederetur*; Verum hac prohibitione *simplici* non obstante, adhuc dominium feræ captæ penes capientem manere asseritur, *cit.* legis tertiæ in continenti his adjectis verbis: *Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque NB. NOSTRUM esse intelligitur, donec nostra custodia coercetur*. Igitur *simplex* illa *prohibitio* ingressus in fundum venandi aucupandive gratia, non impedivit acquisitionem dominii in feram captam, neque ejus naturalem libertatem immutavit, siquidem etiam post hanc prohibitionem captum prædictum animal *NOSTRUM esse intelligitur* &c. Concordat §. *Feræ 12. Instit. de Rer. divis.*

885. *Ratio* etiam est; animal illud ferum non erat domini illius fundi, sed nullius, per *cit. l. 3. ff.* igitur transiit in dominium primo occupantis, qui non fuit inhabilis redditus ad id acquirendum. Animantia enim non sunt fructus ægrorum, silvarum vel fluviorum, sicut arbores, quæ solo adhærent; sed alia ex aliis procreantur, ut liquet

ex *l. Venationem 26. ff. de usur.* ubi *Julianus* manifeste negat venationem fructum fundi esse; quamvis contineatur inter emolumenta ejus & commoda, per *l. Item si fundi 9. §. Aucupiorum, ff. de usufruct.* Unde sequitur, etiamsi fundus, vel possessio talis sit, ut ejus fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, (uti plerumque fit in *Lithuania*) non tamen ideo animalia fiunt conductoris, vel usumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur: sed conductor & usufructuarius solum jus venandi in tali fundo habet, quod jus censetur ad fructus agri vel silvæ pertinere. Cov. *ad reg. peccatum p. 2. §. 8. n. 9. & 11.* Paul. Mezger *Theol. Schol. t. 3. tr. 11. d. 27. art. 1. §. 2. n. 9. D.* Bassus *Semicent. controv. Can. Legal. controv. 4. de venat. n. 12.* Schambogen &c. Dixi *regulariter* fit dominus feræ: scilicet si non sit *expresse* inhabilis factus ad dominium acquirendum.

886. *Dicendum est* III.) Prædictus Venator quamvis peccet contra jus alterius: 2.) Tamen *per se* non tenetur ante sententiam restituere feram ei, qui habet jus venandi, etiamsi hic simplici prohibitione inhibuerit sui fundi ingressum venationis causa. 3.) Neque per se loquendo obligatur ad æstimationem feræ eidem solvendam, nisi aut Judicis sententia præcesserit: aut saltem a fundi domino *rationabiliter* requisitus fuerit.

*Ratio* primi) est. Quia qui venatur in aliena possessione rationabiliter invito domino, facit illi injuriam. Dominus enim jus habet, ut nemo ibi se nolente venetur: ut liquet ex *cit. §. Feræ 12. Inst. de R. D. l. 3. ff. de A. R. D. l. Divus Pius 19. ff. de servit. præd. rust. l. per agrum 11. C. de servit.* juncta *l. Item si fundi 9. §. Aucupiorum, ff. de usufruct.* ibi: *Reditus aucupiorum ad usumfructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino aucupari.* Quo loco, conformiter iis, quæ diximus *n. præced.* 885.) declarat citatus textus venationem & aucupium non esse quidem fructum fundi, neque accessionem ejus: *pertinere* tamen, seu reduci *ad usumfructum* fundi, quia scilicet jus venandi, aucupandi potest fructum afferre, si dominus fundi jure venandi, aucupandi usus fuerit ipse, alteri locaverit &c. Consequens autem est, ut violando hoc jus alterius peccet *aliquomodo*, scilicet pro gravitate injuriæ, & circumstantiarum. Quodsi venator *subditus* fuerit domini fundorum, qui simplici prohibitione inhibuit,
ne

ne quis suorum audeat venari in loco certo, illè cum prævaricetur *justam*, ut supponitur, legem *prohibentem*, non erit immunis a peccato, saltem contra obedientiam debitam legitimo Superiori c. 1. *de Const. l. de quibus* 32. *ff. de LL.* Nisi forte ex praxi Judiciorum, & Regionis consuetudine constet legem hujusmodi esse *pœnalem*, qualem putant esse Silvest. v. *venatio* Navarr. c. 17. *n.* 12. &c.

887. *Ratio* secundi). Talis enim venator non contrectavit rem alienam, cum fera in nullius dominio fuerit, sed tanquam primo occupans eam apprehendit & fecit suam, per *cit.* §. 12. *Inst. & l.* 3. *ff. de A. R. D.* Nec refert, quod apprehensio hæc feræ fuerit *injuriosa*, quia non ideo fuit contra jus proprietatis, seu contra justitiam commutativam obligantem ad restitutionem feræ, in eam enim nemo prius habuit jus proprietatis: Sed si forte apprehensio hæc fuit contra justitiam commutativam, eatenus fuit, quatenus *læsit jus venandi*, id est ablata fera fecit illud jus minus æstimabile: igitur non tenetur aliquid reddere pro fera: sed *ad summum* tenetur aliquam compensationem facere pro læso jure venandi, Cov. *supr. n.* 4. Medina *q.* 12. Gudelin. *de jure noviss. l.* 2. *c.* 2. & ex eo Arnold. Vinius *ad* §. 13. *Inst. de R. D.* ubi dicunt,, talem Venatorem ,, non committere furtum, nec auferre rem alienam, sed ,, acquirere eam, cujus acquirendi jus alter valde remo- ,, tum habebat: ipsumque pœna affici, rei autem ita ac- ,, quisitæ vitium furtivi non adhærere ,,

Luculentius adhuc loquitur Ziegler. *ad Grot. l.* 2. *c.* 2. §. 5. ubi absolute negat posse Legislatorem subditos suos inhabiles reddere ad acquirendum dominium feræ in fundo venationi prohibito captæ (quod tamen nos hic *n.* 866.) tanquam verisimilius defendimus) ait enim ille contra opinionem Grotii: *Impediri lege posse, ne feræ capiantur, sed ut capiendo non acquirantur, impediri lege non posse. Stare enim posse jus prohibendi cum acquisitione ipsa. Diversas esse quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In prima quæstione nihil posse Majestatem. Quemadmodum facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possideantur, quæ non possidentur l.* 3. §. 14. *ff. de acquirer. possess. ita nec prohibere posse acquisitionem, nec facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita. Sed in secunda liberum esse Principi imperium*, nempe quod possit prohibere suo præcepto, si tamen contra prohibitionem capiatur fera,

fera, transgressori legis ejus acquiretur dominum, concordat D. Bassus *loc. n.* 12. Schambogen & alii Jcti.

888. Hinc sequitur: eum qui trajecit verbi gratia cervum, non teneri illum reddere, sed ad summum tantum dare, quantum valet *spes*, quam concepit dominus Foresti eum cervum capiendi: vel quanti valet jus eum cervum venandi, quod utique minus valet quam cervus cum incertum fuerit, an capiendus esset. Hæc tamen læsio potest esse major vel minor, prout major spes fuit eam feram capiendi, vel etiam prout plures vel pauciores illius speciei feræ sunt in silva. Si enim sint multæ: læsio fit parva nam propter captum unum aut alterum v. g. leporem, modicum damnum infertur juri venandi, nec enim ideo pauciores capit dominus Foresti, nec jus venandi redditur notabiliter vilius, seu minus æstimabile, Molina *to. 1. de Just. tr. 2. d.* 51. Ininger *de dom. disp. 3. q. 1. a. 4. q. 4.* Tunc autem certo læsio juris hujus magna foret, si quis per venationem nimis frequentem, aut intempestivam, e. g. tempore, quo gravidæ sunt feræ, notabiliter eas minueret, aut fugaret, hoc enim damnum utique est magnum.

889. *Ratio* tertii) est. Quia æstimatio solvenda succedit in locum rei alienæ destructæ, vel consumptæ, *l.* 22. *ff. de petit. hered.* atqui fera non fuit in dominio venationem prohibentis, consequenter non fuit res aliena, quæ suo domino obligata foret, igitur neque æstimatio locum habet ante Judicis sententiam; post hanc tamen solvenda erit, non quanti fera valuit, quæ in rebus fundi possessoris nunquam fuit; sed (juxta dicta n. 887.) quantum jus *venandi læsum est*, aut certe pretium illud titulo *multæ* rationabiliter per Judicem impositæ præstandum erit, parendum enim est sententiæ, *l. 3. ff. de Jurisd.*

Quod vero solvere interdum debeat, saltem si *rationabiliter a domino fundi requisitus fuerit*: Ratio est, quia illis casibus, quibus v. g. fundi possessor venationem sibi *contractu locatam* habet, aut *damnum notabile* per furtivam venationem juri venandi illatum fuerit, nimis onerosum foret agri domino expectare Judicis sententiam & novis impensis eam urgere: hinc æquitas suadet, ut ille qui damnum hujusmodi intulit, etiam ad simplicem requisitionem parti læsæ satisfaciat, per ea quæ diximus *n.* 612.)

890. Et hanc ob causam dixi in assertione, venatorem hujusmodi *per se* non teneri restituere *vel* solvere *ante sen-*

*ten-*

*tentiam*, aut saltem donec *rationabiliter requisitus* a fundi dominio *fuerit*. Quia si Princeps in pœnam spoliare fera eum & alia insuper *pæna* multare ( non tamen mutilatione aut morte, nisi alia circumstantia gravis contemptus legum vel alterius gravis delicti accedat ) voluerit, sustinere hæc debebit, etiam propter solam culpam juridicam. Si quoque læsio *juris venandi* supra explicata, *notabilis* & *certa* fuerit, obligabitur ad damni reparationem ante sententiam, idque quantum illius domini intererat, ne in loco alieno venaretur. Ita communis DD.

891. Ad eandem restitutionem verosimilius tenetur, qui feram laqueo unius ita captam, & irretitam, vel ab alio ita vulneratam, ut amplius manus ejus effugere haud potuerit, sibi usurpavit. Hoc quippe casu feræ hæ erant illaqueantis & vulnerantis, qui eas *longa manu* videtur occupasse. Apprehensio enim fit non solum manibus: sed etiam instrumentis. Et ita definitus est casus de apro, qui in laqueum alterius inciderat, prout videre est in *l.* 55. *ff. de A. R. D.*

Q. III.) *An autem lex venationem prohibens sit tantum pænalis?*

892. Affirmant esse tantum pœnalem non pauci cum Ininger *de dominio disp.* 3. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 3. eo quod reservatio juris venandi facta per Principes, non adeo stricte accipiatur; & hi ipsi contenti esse soleant pœna furtive venantium: Multi quoque asserunt eam habere *vim præcepti* obligantis *ex justitia*, prout evincere conatus est D. Bassus *l. c. controv.* 4. *n.* 6. hac persuasus ratione: quia lex hujusmodi est defensiva juris acquisiti, obligat proin in conscientia ad omissionem actus prohibiti, & contraveniens peccat contra justitiam, quamquam Legista hic non declarat, contra quam Justitiam peccet, num contra *legalem*: vel *commutativam*, & an semper contra hanc?

893. Solidius respondent alii, qui docent: Violatio præcepti hujus sitne contra *Justitiam rigorosam* vel contra *obedientiam*, aut tantum contra legem *pænalem*; attendi debet ad finem & intentionem prohibentis. Si enim per illam intendatur acquisitio seu defensio juris proprii, vel alteri conferendi; venatio, quando non ex more, præcise lege pœnali interdicitur, est contra justitiam, & licet animal

nimal utpote liberum, & ante apprehensionem sub nullius dominio constitutum spectet ad injustum Venatorem, juxta *cit.* §. *Feræ*, faciendâ tamen esset reparatio damni, in quantum locus vel jus venandi, propter fugationem aut diminutionem ferarum magis evilüit. Nisi eadem reparatio intuitu majoris pœnæ post sententiam Judicis solvendæ; recepta jam consuetudine, si transgressor deprehendatur (teste *Molina*, *Lessio*, *Palao*, *Haun. Mezger*) fuisset remissa. Si autem per prohibitionem illius finis intendatur, prout intenditur v.g. ne die festo venatio fiat, ne clamorosa instituatur a Clericis &c. trangressio hæc opponetur obedientiæ vel alteri virtuti intentæ.

894. Lugo *de Just. d. 6. s. 7. n. 65.* ait communem esse sententiam, injustum Venatorem debere, non quidem restituere feram: sed tamen compensationem facere pro læso jure venandi. Addit *s. 8. n.* 84. nisi ex magnificentia domini colligatur, ipsum non curare restitutionem damni: sed tantum statuere *pœnas*, ut feræ sint tutæ; quod regulariter ait presumendum esse de Principibus & Magnatibus. Verbo: in hac quæstione resolvenda, cujusque regionis consulendam esse consuetudinem & praxin, censent Eruditi viri cum Less. *de J. & J. l. 2. c. 5. nu. 32. fin.* Schambogen. Weizenegger. &c.

## C A P U T III.

### De modis acquirendi dominii derivativis.

### §. I.

*De Prescriptione; prout hanc sibi vendicat Jus naturale, Gentium, & Civile.*

### S U M M A R I U M.

895. &c. *An prescriptio referendâ sit ad modos acquirendi dominii* originarios *vel* derivativos? *Refertur* ibid. *opinio docens esse dictatam a Jure nat.*

897. &c. *Exponitur notio* Usucapionis, Præscriptionis, & Usurpationis.

899. &c. *Præscriptio male attribuitur* Juri nat. *quoad suam originem.*

908. *Afferuntur contraria momenta.*

909. &c. *Eaque solvuntur.*
916. &c. *Titulus* pro derelicto naturalis *unicus est tantum, qui dicitur* verus.
923. *Concluditur, Præscriptionem esse creaturam solius Juris Civilis, licet origine veniat a J. G.*

Q. I.) *An præscriptio sit Juris naturæ, vel Gentium, aut Civilis?*

895. EGimus hucusque de origine dominii & modis ejus acquirendi *originariis*: sequitur jam de modis ejus acquirendi *derivativis* tractandum. Cum autem *n.* 740.) diximus, modos *derivativos* eos esse, per quos dominium, non jam prima *occupatione*, neque rerum *divisione* originaria; sed *speciali* aliquo titulo acquisitum uni, ab hoc transfertur dein in alium; totus nunc propositæ quæstionis cardo in eo vertitur: An præscriptio sit unus acquirendi modus ex *originariis*, seu naturalibus, qui ad primam *occupationem* rei, quæ nullius domini est, referatur, vel an potius sit modus mere *derivativus*, isque jure positivo humano, *Gentium* scilicet & *Civili* introductus, circa quam difficultatem diversi sunt Auctorum sensus. Et quidem

Præscriptionem esse dominii vel libertatis acquirendæ modum originarium *Juris naturalis*, seu esse in re primam occupationem rei, quæ *nullius est & fuit propria, vel pro derelicta haberi præsumitur*: videtur asserere (nullo modo tamen probare) Grotius *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 4. & in fidem hujus Puffendorfius *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 12. §. 8. & 9. Cl. P. Schmier *Jurispr. can. civ. tom.* 1. *f.* 179. *a nu.* 26. contra communissimam & fere certam aliorum opinionem. Grotii sequacibus adhæret VVolfius *Inst. J. N. & G. c.* 8. ubi §. 463. ait *usucapionem & præscriptionem esse juris naturalis*, additque ibidem: *Juris nimirum civilis est, quod præsumptio derelictionis restringatur ad certum tempus.*

896. In aliud extremum impegit Heineccius in *Element. J. N. & G. l.* 1. *c.* 12. §. 323. *in not.* ubi recte quidem usucapionem & præscriptionem negat posse dici *originarium* acquirendi dominii modum naturalem, quem Interpretes ad §. 11. *Institut. de rer. divis.* communiter *occupationem* appellant; Verum contra torrentem argumentorum & Auctorum

*occupationem* &c. porro vix potest aliquem latere hæc pragmatica sanctio Logicorum, etiam ab JCtis & Canonistis recepta: *a potentia ad actum* (in materia contingente) *non procedit argumentatio*. Ipse quoque *Puffendorfius* loc. cit. fin. palam idipsum fatetur, ubi nedum legem hujusmodi *inhabilitantem* unquam extitisse in praxi non ostendit; sed etiam in casum *possibilis* existentiæ ejus, ait: *moderate exercendas hujusmodi leges bene monent cordati &c.* Concordat opinio Bæckleri *ad Grot. d. l. §.* 4.

## SATISFIT OBJECTIONI.

878. Neque dixeris; Legem civilem prohibentem aliquem actum *in se* & directe, esse hoc ipso irritantem & reddentem subditum inhabilem ad valide eum exercendum, per famosam *L. Non dubium* 5. *C. de L.* ubi dicitur: *Ut ea, quæ fieri prohibentur, si fuerint facta, non solum inutilia: sed NB. pro infectis etiam HABEANTUR: licet Legislator fieri prohibuerit tantum, nec specialiter dixerit, inutile esse debere, quod factum est* &c. Igitur si venatio prohibita est: hoc ipso nedum illicite, sed etiam invalide fera a venatore apprehenditur, quia hic per ipsam legem *prohibentem* factus est inhabilis ad acquirendum ejus dominium, uti patet ex textu legis citatæ.

Contra enim est I.) quod si vera foret hæc ratiocinatio; sequeretur eum, qui *simplici prohibitione* prohibitus est venari *ratione temporis*, v. g. die festo; venando & occupando feram, non acquirere ejus dominium; & sic de aliis prohibitionum modis *a n.*876.) recensitis: quod tamen nedum aperte falsum est: sed etiam vere Eruditis risum movet.

II.) Lex citata loquitur de nullitate actus jure *mere humano* prohibiti, per *sententiam Judicis* primum *decidenda*, non vero quod ille ipso jure ante omnem sententiam sit nullus. Patet id ex verbis citati textus: *pro infectis NB. HABEANTUR*. Est enim utriusque Juris principium; Quando lex aliqua prohibens actum, requirit opem, & interventionem Judicis, utendo verbis *imperativi* modi, v. g. *privetur officio: multetur: excommunicetur: quod egit, pro infecto habeatur* &c. Lex hujusmodi usque post sententiam Judicis sortitur effectum, ut post *Bartol. Bald.* & communem aliorum tradunt, Farinac. *part.* 2. *fragment. ver. Lex n.* 63. Menoch. *cons.* 30. *n.* 8. dicens: Lex '. voluisset expressisset, *l. un. §. sin autem ad deficientis. C. d. Caduc. tollend. l. si servum* 71. §.

non

*non dixit* 5. *ff. de acquir. hered.* Armendar. *in proœm. addit. ad recopil. legum Navarræ n.*150. ubi ait: quia quod lex non dicit, non est ab homine præsumendum; Surd. *conf.* 219. *n.* 21. Hartm. Pistor. 1. *q.* 15. *n.* 10. addens: non enim sufficit quem sic voluisse, nisi & de hoc fiat dispositio, *l. quidam cum filium* 46. ubi Bartol. & Imol. *ff. de hered. inst.* cum propositum in mente retentum nihil operetur, *L. si repetendi* 7. *C. de Cond. ob caus.* Neque igitur Lex illa *quinta* plus operari debet, quam Legislator disposuit, volens ut actus tales *pro infectis habeantur* ope Judicis & post sententiam, non vero aliter.

879. III.) A contrario autem patet, quod quoties Lex, etiam Civilis, ipso jure irritat actum & inhabilem reddit operantem, tunc non utitur *imperativo modo*, nec remittit ad Judicem, ut hic eum *pro infecto* habeat; sed in *modo indicativo* absolute nullum esse dicit; ut liquet ex §. 7. *Inst. quib. mod. testam. infir.* ibi: *Nam imperfectum testamentum sine dubio NB. nullum est.* Et in *L. hac consultissima* 21. *C. de Test.* dicit Impr. *Ex imperfecto autem testamento voluntatem teneri defuncti NB. non volumus.* Simile quid habemus *pr. Inst. de auctor. tutor.* ubi sine verborum ambagibus obligatio unius, & ab ea libertas alterius manifeste exprimitur: *Si Tutoris auctoritas non intervenit, ipsi quidem, qui cum his contrahunt, obligantur; at invicem Pupilli NB. non obligantur*, juncta *l.* 15. *ff. de solut.* &c. &c.

880. IV.) Quia quod actus *solo jure positivo* humano prohibitus specie differat ab actu etiam irrito, & quod lex humana *in se* actum prohibens non sit irritans, præter innumeras instantias, major & sanior pars Eruditorum consentit teste Pacian. *in* 5. *Enantioph. cent.* 2. *q.* 4. Brunnem. *ad l.* 38. *n.* 7. *ff. de Pact.* cum aliis supra cit. Et ita juxta omnes, nedum Civili & Canonico, sed *naturali* quoque jure prohibita est *venditio altera* rei semel jam valide & licite venditæ, & tamen illa facta si res vendita tradatur alteri emptori, valet contractus *l.* 15. *C. de R. V.* Jure quoque naturali humano prohibetur injusta incussio metus gravis: ut patet ex *tot. tit. ff. Si quis aliq. testari prohib.* & tot. tit. *ff. quod metus caus.* actus tamen hujusmodi juxta communiorem Legistarum opinionem, non eo ipso sunt irriti: sed tantum dicuntur esse *rescindibiles*. Simile quid fit in sententia Judicis, quæ prohibetur ne sub conditione feratur, *l.* 1. §. *biduum, ff. quando appelland.* hæc tamen ita prolata valet

 juxta

juxta omnes, pariter ac subsistit illa, quæ *ad candelam* de nocte prolata est, nihil obstante prohibitione. Idem est de mercibus contra prohibitionem invectis ac venditis &c.

881. V.) Verum itaque sensum citatæ *l. non dubium* exponit Christoph. Henr. Ferromontanus *in Corp. Jur. civ. academ. novæ edit. Coloniæ-Munatianæ, cum loc. paralel. Anni* 1748. Ubi ad *d. l. 5. C. de LL.* in prædictis locis paralelis ostendit, quod si lex Civilis aliquid prohibeat, quod jam aliunde *naturali & divino jure prohibitum* est: hoc casu lex humana *in se* prohibens simpliciter actum, *ordinarie* reddat eum etiam irritum, & personam inhabilem ad ita operandum, licet nullam irritationis actus & inhabilitatis personæ mentionem fecerit, prout probat id ex *l. 26. ff. de V. O.* dicente: *Generaliter novimus TURPES stipulationes nullius esse momenti*, & ex *l. 27. ff. de V. O.* quæ præcecedentem legem his exemplis declarat: *Veluti, si quis homicidium, vel sacrilegium se facturum promittat*, hæc ipsa declaratio habetur in *l. 7. §. 3. & §. 16. ff. de pact.* Hi igitur & similes actus cum aliunde *turpes* sint & *naturali* jure prohibiti, utpote foventes iniquitatem naturali jure vetitam, si etiam lege humana prohibeantur *simpliciter*, ipso jure fiet irrita eorum *promissio, stipulatio* &c.

882. Secus fit in legibus a *solo placito* humano provenientibus, quibus inhibentur aliqui actus *natura sua* ac *intrinsece* non turpes, qualis est *Venatio* prohibita, & trajectio v. g. *lepusculi* in alieno fundo &c. Nunquam enim mens Justiniani citatam *l. non dubium* 5. *C. de LL.* dictantis hæc fuit, qualem plerique arbitrarie interpretantur, alioqui mercium, contra *prohibitionem simplicem* venditarum venditor non acquireret pretii, & emptor rei emptæ dominium: id tamen prout sæpe in praxi contingere experimur, ita nullus prudens dubium unquam movit circa contractuum hujusmodi *valorem*: quidquid sit, quod contra simplicem prohibitionem *justam* ita contrahens possit delinquere in foro animæ, & etiam contractus ipse, v. g. emptionis-venditionis a Judice rescindi queat.

883. Recte proin Suarez *de LL. c. 28. n. 9.* Herincx. *p. 2. d. 5. de LL. n. 34.* Laym. *l. 1. tr. 4. c. 16. n. 3.* cum aliis TT. & Legistis censent, legem prædictam: *non dubium* in eo rigore, qui asseritur, nunquam fuisse dictata, aut usu receptam: Imo illam, quatenus esse irritans simul a plerisque dicitur, putant esse tantum *pœnalem*, quod scilicet Judex

dex in pœnam violatæ legis *prohibentis*, possit actum irritum pronunciare, propter verba in *d. l. non dubium* contenta, quæ hæc sunt; *nec pœnas insertas legibus, evitabit*; itaque expectanda est sententia, quæ rescisso actu contra legem *mere civilem* eamque simpliciter prohibentem gesto, condemnet v.g. *ad restituendam feram*, vel æstimationem ejus solvendam. Atque in hoc solo sensu citatam legem *quintam* canonizatam esse per *Cap. Pactiones ult. de pact.* sustineri potest cum Zoes. ad *ff. l. 1. tit. 3. de LL. f. 29. a n. 47.* Laym. *de LL. cit. l. 1. tr. 4. c. 16. a n. 3.* & aliis ab illo citatis.

884. *Dicendum est* II.) Venator feram capiens etiam in loco prohibito, eoque non clauso, aut clauso quidem, sed ita vasto, ut in eo difficillime capiatur ( prout contingit v. g. in Insulis duarum aut trium leucarum &c. ) regulariter fit dominus feræ.

Ita communissime DD. fundati in manifesta *L. 1. ff. de aqu. rer. dom.* ibi: *Omnia igitur animalia, quæ terra, mari, cælo capiuntur, id est FERÆ bestiæ, volucres, pisces capientium fiunt*. Hujus autem ratio datur in mox sequente l. 3. ff. eod. tit. *quod enim nullius est, id naturali occupanti conceditur. Nec interest, quo ad feras bestias & volucres, utrum in suo fundo quis capiat, an in alieno*. Equidem subjungit textus ibidem, liberam unicuique domino esse facultatem prohibendi ingressum: *Plane qui in alienum fundum ingreditur venandi aucupandique gratia, potest a domino, si is præviderit, jure prohiberi, ne ingrederetur*: Verum hac prohibitione *simplici* non obstante, adhuc dominium feræ captæ penes capientem manere asseritur, *cit.* legis tertiæ in continenti his adjectis verbis: *Quidquid autem eorum ceperimus, eo usque NB. NOSTRUM esse intelligitur, donec nostra custodia coerceatur*. Igitur *simplex* illa *prohibitio* ingressus in fundum venandi aucupandive gratia, non impedivit acquisitionem dominii in feram captam, neque ejus naturalem libertatem immutavit, siquidem etiam post hanc prohibitionem captum prædictum animal *NOSTRUM esse intelligitur* &c. Concordat §. *Feræ 12. Instit. de Rer. divis.*

885. *Ratio* etiam est: animal illud ferum non erat domini illius fundi, sed nullius, per *cit. l. 3. ff.* igitur transiit in dominium primo occupantis, qui non fuit inhabilis redditus ad id acquirendum. Animantia enim non sunt fructus ægrorum, silvarum vel fluviorum, sicut arbores, quæ solo adhærent: sed alia ex aliis procreantur, ut liquet

ex *l. Venationem* 26. *ff. de usur.* ubi *Julianus* manifeste negat venationem fructum fundi esse ; quamvis contineatur inter emolumenta ejus & commoda, per *l. Item si fundi* 9. §. *Aucupiorum*, *ff. de ususfruct.* Unde sequitur, etiamsi fundus, vel possessio talis sit, ut e us fructus in venatione consistant, ipsaque venatio sit alteri elocata, ( uti plerumque fit in *Lithuania*) non tamen ideo animalia fiunt conductoris, vel usumfructum habentis, quamdiu naturali libertate fruuntur: sed conductor & usufructuarius solum jus venandi in tali fundo habet, quod jus censetur ad fructus agri vel silvæ pertinere. Cov. *ad reg. peccatum p.* 2. §. 8. *n.* 9. & 11. Paul. Mezger *Theol. Schol. t.* 3. *tr.* 11. *d.* 27. *art.* 1. §. 2. *n.* 9. D. Bassus *Semicent. controv. Can. Legal. controv.* 4. *de venat. n.* 12. Schambogen &c. Dixi *regulariter* fit dominus feræ: scilicet si non sit *expresse* inhabilis factus ad dominium acquirendum.

886. *Dicendum est* III.) Prædictus Venator quamvis peccet contra jus alterius: 2.) Tamen *per se* non tenetur ante sententiam restituere feram ei, qui habet jus venandi, etiamsi hic simplici prohibitione inhibuerit sui fundi ingressum venationis causa. 3.) Neque per se loquendo obligatur ad æstimationem feræ eidem solvendam, nisi aut Judicis sententia præcesserit: aut saltem a fundi domino *rationabiliter* requisitus fuerit.

*Ratio* primi) est. Quia qui venatur in aliena possessione rationabiliter invito domino, facit illi injuriam. Dominus enim jus habet, ut nemo ibi se nolente venetur: ut liquet ex *cit.* §. *Feræ* 12. *Inst. de R. D. l.* 3. *ff. de A. R. D. l. Divus Pius* 19. *ff. de servit. præd. rust. l. per agrum* 11. *C. de servit.* juncta *l. Item si fundi* 9. §. *Aucupiorum*, *ff. de ususfruct.* ibi: *Reditus aucupiorum ad usumfructum agri pertinere, nec esse rationabile in agro alieno quemquam, nolente domino aucupari.* Quo loco, conformiter iis, quæ diximus *n. praeced.* 885.) declarat citatus textus venationem & aucupium non esse quidem fructum fundi, neque accessionem ejus: *pertinere* tamen, seu reduci *ad usumfructum* fundi, quia scilicet jus venandi, aucupandi potest fructum afferre, si dominus fundi jure venandi, aucupandi usus fuerit ipse, alteri locaverit &c. Consequens autem est, ut violando hoc jus alterius peccet *aliquomodo*, scilicet pro gravitate injuriæ, & circumstantiarum. Quodsi venator *subditus* fuerit domini fundorum, qui simplici prohibitione inhibuit,

ne

ne quis suorum audeat venari in loco certo, ille cum prævaricetur *justam*, ut supponitur, legem *prohibentem*, non erit immunis a peccato, saltem contra obedientiam debitam legitimo Superiori *c.1. de Const. l. de quibus* 32. *ff. de LL.* Nisi forte ex praxi Judiciorum, & Regionis consuetudine constet legem hujusmodi esse *pœnalem*, qualem putant esse Silvest. *v. venatio* Navarr. *c.* 17. *n.* 12. &c.

887. *Ratio* secundi). Talis enim venator non contrectavit rem alienam, cum fera in nullius dominio fuerit, sed tanquam primo occupans eam apprehendit & fecit suam, per *cit.* §. 12. *Inst.* & *l.* 3. *ff. de A. R. D.* Nec refert, quod apprehensio hæc feræ fuerit *injuriosa*, quia non ideo fuit contra jus proprietatis, seu contra justitiam commutativam obligantem ad restitutionem feræ, in eam enim nemo prius habuit jus proprietatis: Sed si forte apprehensio hæc fuit contra justitiam commutativam, eatenus fuit, quatenus *læsit jus venandi*, id est ablata fera fecit illud jus minus æstimabile: igitur non tenetur aliquid reddere pro fera: sed *ad summum* tenetur aliquam compensationem facere pro læso jure venandi, Cov. *supr. n.*4. Medina *q.*12. Gudelin. *de jure noviss. l.*2.*c.*2. & ex eo Arnold. Vinius *ad* §.13. *Inst.deR.D.* ubi dicunt „ talem Venatorem „ non committere furtum, nec auferre rem alienam, sed „ acquirere eam, cujus acquirendi jus alter valde remo„ tum habebat; ipsumque pœna affici, rei autem ita ac„ quisitæ vitium furtivi non adhærere „

Luculentius adhuc loquitur Ziegler. *ad Grot. l.* 2. *c.* 2. §. 5. ubi absolute negat posse Legislatorem subditos suos inhabiles reddere ad acquirendum dominium feræ in fundo venationi prohibito captæ (quod tamen nos hic *n.* 866.) tanquam verisimilius defendimus) ait enim ille contra opinionem Grotii: *Impediri lege posse, ne feræ capiantur, sed ut capiendo non acquirantur, impediri lege non posse. Stare enim posse jus prohibendi cum acquisitione ipsa. Diversas esse quæstiones, utrum aliquis acquirat capiendo, & utrum liceat hoc acquirendi modo uti. In prima quæstione nihil posse Majestatem. Quemadmodum facere nequit, ut alicujus sint, quæ nullius sunt, aut ut possideantur, quæ non possidentur l.* 3. §. 14. *ff. de acquir. rer. possess. ita nec prohibere posse acquisitionem, nec facere, ut quæ acquisita jam sunt, non sint acquisita. Sed in secunda liberum esse Principi imperium*, nempe quod possit prohibere suo præcepto, si tamen contra prohibitionem capiatur fera,

fera, transgressori legis ejus acquiretur dominum, concordat D. Bassus *loc. n.* 12. Schambogen & alii Jcti.

888. Hinc sequitur: eum qui trajecit verbi gratia cervum, non teneri illum reddere, sed ad summum tantum dare, quantum valet *spes*, quam concepit dominus Foresti eum cervum capiendi: vel quanti valet jus eum cervum venandi, quod utique minus valet quam cervus cum incertum fuerit, an capiendus esset. Hæc tamen læsio potest esse major vel minor, prout major spes fuit eam feram capiendi, vel etiam prout plures vel pauciores illius speciei feræ sunt in silva. Si enim sint multæ: læsio fit parva nam propter captum unum aut alterum v. g. leporem, modicum damnum infertur juri venandi, nec enim ideo pauciores capit dominus Foresti, nec jus venandi redditur notabiliter vilius, seu minus æstimabile, Molina *to. 1. de Just. tr. 2. d.* 51. Ininger *de dom. disp. 3. q. 1. a. 4. q. 4.* Tunc autem certo læsio juris hujus magna foret, si quis per venationem nimis frequentem, aut intempestivam, e. g. tempore, quo gravidæ sunt feræ, notabiliter eas minueret, aut fugaret, hoc enim damnum utique est magnum.

889. *Ratio* tertii) est. Quia æstimatio solvenda succedit in locum rei alienæ destructæ, vel consumptæ, *l.* 22. *ff. de petit. hered.* atqui fera non fuit in dominio venationem prohibentis, consequenter non fuit res aliena, quæ suo domino obligata foret, igitur neque æstimatio locum habet ante Judicis sententiam; post hanc tamen solvenda erit, non quanti fera valuit, quæ in rebus fundi possessoris nunquam fuit; sed (juxta dicta n. 887.) quantum jus *venandi læsum est*, aut certe pretium illud titulo *multæ* rationabiliter per Judicem impositæ præstandum erit, parendum enim est sententiæ, *l. 3. ff. de Jurisd.*

Quod vero solvere interdum debeat, saltem si *rationabiliter a domino fundi requisitus fuerit*: Ratio est, quia illis casibus, quibus v. g. fundi possessor venationem sibi *contractu locatam* habet, aut *damnum notabile* per furtivam venationem juri venandi illatum fuerit, nimis onerosum foret agri domino expectare Judicis sententiam & novis impensis eam urgere: hinc æquitas suadet, ut ille qui damnum hujusmodi intulit, etiam ad simplicem requisitionem parti læsæ satisfaciat, per ea quæ diximus *n. 612.*)

890. Et hanc ob causam dixi in assertione, venatorem hujusmodi *per se* non teneri restituere *vel* solvere *ante sen-*

ten-

*sententiam*, aut saltem donec *rationabiliter requisitus* a fundi dominio *fuerit*. Quia si Princeps in pœnam spoliare fera eum & alia insuper *pœna* multare ( non tamen mutilatione aut morte, nisi alia circumstantia gravis contemptus legum vel alterius gravis delicti accedat ) voluerit, sustinere hæc debebit, etiam propter solam culpam juridicam. Si quoque læsio *juris venandi* supra explicata, *notabilis* & *certa* fuerit, obligabitur ad damni reparationem ante sententiam, idque quantum illius domini intererat, ne in loco alieno venaretur. Ita communis DD.

891. Ad eandem restitutionem verosimilius tenetur, qui feram laqueo unius ita captam, & irretitam, vel ab alio ita vulneratam, ut amplius manus ejus effugere haud potuerit, sibi usurpavit. Hoc quippe casu feræ hæ erant illaqueantis & vulnerantis, qui eas *longa manu* videtur occupasse. Apprehensio enim fit non solum manibus: sed etiam instrumentis. Et ita definitus est casus de apro, qui in laqueum alterius inciderat, prout videre est in *l.* 55. *ff. de A. R. D.*

Q. III.) *An autem lex venationem prohibens sit tantum pœnalis?*

892. Affirmant esse tantum pœnalem non pauci cum Ininger *de dominio disp.* 3. *q.* 1. *a.* 4. *q.* 3. eo quod reservatio juris venandi facta per Principes, non adeo stricte accipiatur; & hi ipsi contenti esse soleant pœna furtive venantium: Multi quoque asserunt eam habere *vim præcepti* obligantis *ex justitia*, prout evincere conatus est D. Bassus *l. c. controv.* 4. *n.* 6. hac persuasus ratione: quia lex hujusmodi est defensiva juris acquisiti, obligat proin in conscientia ad omissionem actus prohibiti, & contraveniens peccat contra justitiam, quamquam Legista hic non declarat, contra quam Justitiam peccet, num contra *legalem*: vel *commutativam*, & an semper contra hanc?

893. Solidius respondent alii, qui docent: Violatio præcepti hujus sitne contra *Justitiam rigorosam* vel contra *obedientiam*, aut tantum contra legem *pœnalem*; attendi debet ad finem & intentionem prohibentis. Si enim per illam intendatur acquisitio seu defensio juris proprii, vel alteri conferendi; venatio, quando non ex more, præcise lege pœnali interdicitur, est contra justitiam, & licet animal

nimal utpote liberum, & ante apprehensionem sub nullius dominio constitutum spectet ad injustum Venatorem, juxta *cit. §. Feræ*, facienda tamen esset reparatio damni, in quantum locus vel jus venandi, propter fugationem aut diminutionem ferarum magis evilüit. Nisi eadem reparatio intuitu majoris pœnæ post sententiam Judicis solvendæ; recepta jam consuetudine, si transgressor deprehendatur (teste *Molina, Lessio, Palao, Haun. Mezger*) fuisset remissa. Si autem per prohibitionem illius finis intendatur, prout intenditur v.g. ne die festo venatio fiat, ne clamorosa instituatur a Clericis &c. trangressio hæc opponetur obedientiæ vel alteri virtuti intentæ.

894. Lugo *de Just. d. 6. s. 7. n. 65.* ait communem esse sententiam, injustum Venatorem debere, non quidem restituere feram: sed tamen compensationem facere pro læso jure venandi. Addit *s. 8. n.* 84. nisi ex magnificentia domini colligatur, ipsum non curare restitutionem damni: sed tantum statuere *pœnas*, ut feræ sint tutæ; quod regulariter ait presumendum esse de Principibus & Magnatibus. Verbo: in hac quæstione resolvenda, cujusque regionis consulendam esse consuetudinem & praxin, censent Eruditi viri cum Less. *de J. & J. l. 2. c. 5. nu. 32. fin.* Schambogen. Weizenegger. &c.

## CAPUT III.

### De modis acquirendi dominii derivativis.

### §. I.

*De Prescriptione; prout hanc sibi vendicat Jus naturale, Gentium, & Civile.*

### SUMMARIUM.

895. &c. *An prescriptio referenda sit ad modos acquirendi dominii* originarios *vel* derivativos? *Refertur* ibid. *opinio docens esse dictatam a Jure nat.*

897. &c. *Exponitur notio* Usucapionis, Præscriptionis, & Usurpationis.

899. &c. *Præscriptio male attribuitur* Juri nat. *quoad suam originem.*

908. *Afferuntur contraria momenta.*

909. &c. *Eaque solvuntur.*

916. &c. *Titulus* pro derelicto naturalis *unicus est tantum, qui dicitur* verus.

923. *Concluditur, Præscriptionem esse creaturam solius Juris Civilis, licet origine veniat a J. G.*

Q. I. ) *An præscriptio sit Juris naturæ, vel Gentium, aut Civilis?*

895. EGimus hucusque de origine dominii & modis ejus acquirendi *originariis*: sequitur jam de modis ejus acquirendi *derivativis* tractandum. Cum autem *n.* 740. ) dixerimus, modos *derivativos* eos esse, per quos dominium, non jam prima *occupatione*, neque rerum *divisione* originaria; sed *speciali* aliquo titulo acquisitum uni, ab hoc transfertur dein in alium; totus nunc propositæ quæstionis cardo in eo vertitur: An præscriptio sit unus acquirendi modus ex *originariis*, seu naturalibus, qui ad primam *occupationem* rei, quæ nullius domini est, referatur, vel an potius sit modus mere *derivativus*, isque jure positivo humano, *Gentium* scilicet & *Civili* introductus, circa quam difficultatem diversi sunt Auctorum sensus. Et quidem

Præscriptionem esse dominii vel libertatis acquirendæ modum originarium *Juris naturalis*, seu esse in re primam occupationem rei, quæ *nullius est & fuit propria, vel pro derelicta haberi præsumitur*: videtur asserere ( nullo modo tamen probare ) Grotius *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 4. & in fidem hujus Puffendorfius *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 12. §. 8. & 9. Cl. P. Schmier *Jurispr. can. civ. tom.* 1. *f.* 179. *a nu.* 26. contra communissimam & fere certam aliorum opinionem. Grotii sequacibus adhæret VVolfius *Inst. J. N. & G. c.* 8. ubi §.463. ait *usucapionem & præscriptionem esse juris naturalis*, additque ibidem: *Juris nimirum civilis est, quod præsumptio derelictionis restringatur ad certum tempus.*

896. In aliud extremum impegit Heineccius in *Element. J. N. & G. l.* 1. *c.* 12. §. 323. *in not.* ubi recte quidem usucapionem & præscriptionem negat posse dici *originarium* acquirendi dominii modum naturalem, quem Interpretes ad §. 11. *Institut. de rer. divis.* communiter *occupationem* appellant; Verum contra torrentem argumentorum & Auctorum

ctorum nititur, ubi eandem usucapionem & præscriptionem ita legi civili adjudicat, ut nequidem *originem* earum *Juri Gentium* (quod nos §. 2. demonstrabimus) ullo modo tribuat: Quo autem facilius extrema hæc vitentur,

897. Supponendum est 1.) USUCAPIO (quam VVolfius *l.c.* §. 451. minus recte acquisitionem dominii ex derelictione præsumpta vocat) recentioribus Jurisperitis nihil aliud est, quam *causa acquisitionis dominii vel juris, consistens in usu, seu ipsa possessione, vel quasi possessione rei alienæ tempore lege definito continuata*, prout liquet ex *l. Usucapio* 3. *ff. de usurp. & usucap.* Hæc usucapio si fuerit *perfecta*, non differet a præscriptione, & præter possessionem ac temporis cursum, debet etiam reliquas ejus conditiones habere, alioqui foret nuda detentio rei alienæ, imo legibus improbata. 2.) Jam vero PRÆSCRIPTIO prout est species exceptionis peremptoriæ, est *Modus acquirendi, quo jus, vel liberationem ab obligatione, per possessionem bona fide, cum titulo, & tempore debito continuatam nanciscimur.* 3.) Et quamvis olim non unum discrimen inter *usucapionem* & *præscriptionem* assignaretur, eo quod plerique existimarent illam habere locum in rebus mobilibus, hanc vero etiam in immobilibus: usucapionem contentam esse *usu captæ* seu possessæ rei alienæ per tempus lege definitum, juxta *cit. l.* 3. *ff.* quin de titulo, & bona fide quæstio locum in ea habeat; secus fieri putabant in præscriptione; &c. Moderno tamen usu, teste Cov. *ad Reg. Possessor, in pr. & §. un. relect.* 1. *ac seqq.* Arnold. Rath. *de præscr. c.* 1. *assert.* 3. & Bacchov. *ad pr. Inst. de usucap. n.* 4. *fin.* post sublatam dominii Quiritarii, & Bonitarii divisionem in *l. un. C. de nud. jur. Quirit. tollend.* ac transformatam a Justiniano Usucapionem in *l. un. C. de usucap. transform.* nulla amplius differentia, sive in rebus, sive in loco, aut tempore, vel aliis conditionibus de jure requisitis superest: Quod etiam patet ex SS. Canonibus, qui sine ullo discrimine de usucapione & præscriptione loquuntur.

Hinc etiam factum est, ut ipsa *usucapio & dominii acquisitio* capta sit vocari *præscriptio*, cum tamen hæc ex usucapione tanquam sua causa *inadæquata* oriatur, ut patet ex *L. Emptor* 7. *C. de præscript. longi temp.*

898. Demum notandum est 4.) quod USURPATIO, de qua mox citandæ leges loquuntur, referatur etiam ad usucapiones & præscriptiones, tanquam Advocata dominiorum,

rum, ne hæc ita facile ab uno proprietario per præscriptionem transeant in jus alterius: illam Paulus Jctus in *l.2. ff. de Usurpat. & usucap.* his verbis definit: *Usurpatio est usucapionis interruptio.* Quot vero modis interrumpatur usucapio; colligi potest ex *d. tot. tit. ff. de usurp. & usucap.* tradique solet alibi ad *tit. de præscr.* His autem, quæ ad nostrum hic & nunc forum spectabant, præmissis, ad propositam quæstionem:

899. DICENDUM: Præscriptio in sensu *Grotii* & suorum sequacium, male attribuitur Juri naturali; ac proin illa non est confundenda cum *occupatione* rei, quæ nullius est tanquam *originario* acquirendi dominii modo. Nihil tamen vetat prædictam usucapionem esse de jure naturali, in sensu *vulgari*: scilicet quod referatur ad jus naturæ *negative* tale. Ita tenent communissime DD. Afferta autem responsio hunc in modum deducitur.

Nam 1.) In hac materia, ubi de modis acquirendi dominii agitur, cum ex sola ratione nostra haud efficaciter demonstrari possit controversiæ quæstionis veritas, debemus fidem adstruere antiquitati simul ac summæ Auctoritati: antiquitas continetur in testimoniis Jctorum, ex quorum codicibus & responsis Jus Romanum compilatum est: summa Auctoritas relucet in Justiniani, aliorumque Imperatorum Majestate, qui leges pro Romano Imperio ex variis Jurisperitorum operibus in unum Corpus collectas sub suo nomine evulgari dignati sunt; plurimasque Constitutiones proprio Marte dictarunt: Atqui in his omnibus nullum apicem reperire est, qui testetur *præscriptionem* esse ipsam primævam rerum *occupationem*; aut occupationem *pro derelicto præsumpto* jure nat. introductam.

900. Imo reperitur contrarium: Præterquam enim quod Justinianus, ubi agit de modis acquirendi dominii, distinguat *occupationem* ab *usucapione*, & omnibus aliis modis, ut liquet ex *§. Feræ 12. Inst. de R. D.* ac ex *§. Quæ ratione* 47. *Inst. eod.* His non contentus, adhuc clarius specificam horum differentiam assignat in principio tituli *Inst. de Usucap.* ubi expresse ait *Usucapionem* non esse *occupationem* jure *naturali* introductam, multo minus, ut plerique fingunt *dictatam & præceptam* ab eo: sed esse potius creaturam iuris *positivi humani*. Ita enim ille loquitur loc. cit. *Jure CIVILI constitutum fuerat, ut qui bona fide ab eo, qui dominus non erat, cum crederet eum dominum esse, rem emerit, vel ex don a-*

*donatione, aliave quavis justa causa acceperit*, &c. Concordat *l.* 1. cum aliis seqq. *ff. de usurp. & usucap.* Ex quibus apparet, quod non *solum tempus* (ut volunt Adversarii) a jure positivo determinatum sit: sed ipsa *usucapio* seu *præscriptio* quo ad suam speciem ab eo introducta fuerit, ut liquet ex verbis cit. *Jure CIVILI constitutum* &c.

901. Dein II.) probat contrarium *RATIO*. Si enim verum est *præscriptionem* esse *originariam occupationem*, vel provenire ex titulo *pro derelicto*, dictatam a jure naturæ, sequitur non esse opus expectare ullum tempus, sed statim ac res a primo occupante bona fide apprehensa est, eam hoc ipso instanti fieri suam, uti patet ex *n.* 735.) ubi originem dominiorum per primam *occupationem* introductam exposuimus, ac ulterior hujus ratio est: Quia juxta dicta *n.* 762.) Occupatio nihil aliud est, quam *earum rerum, quæ nullius propriæ: sed jure naturali omnium hominum communes sunt, apprehensio*, quæ dicitur quidem *naturalis*: sed improprie; *Jure* enim *Gentium* eam esse introductam constat ex n. 741. & 774.) ac patet ex *d. §. Feræ*. Porro ut tales res nostro dominio acquirantur non est opus utique annali, triennali, decennali &c. tempore, ut liquet ex *cit. §. Feræ* 12. & *l.* 1. ac *l.* 3. *ff. de A. R. D.* sed *statim* nostræ fiunt. Hoc autem admisso: ex opinione Adversariorum immensum chaos injuriarum proximi sequitur, ut perpendenti facile constare potest. Ubique enim laxabuntur fræna avaritiæ; sed vel maxime in illis Orbis partibus, in quibus Jus Romanum commune non est receptum, Canonicum etiam incognitum, & privatæ Regionis illius circa præscriptionem leges nullæ sunt, ac sola *lege naturali* homines ut plurimum reguntur. Hi, hisque similes non difficulter sibi persuadebunt rem *pro derelicto haberi: nullius esse propriam: præsumi esse abjectam a suo domino* &c. atque ita *instantanee* transiisse in occupantis dominium, ea ratione, ac Insulæ, terræ incognitæ, gemmæ in mari repertæ, thesauri, quorum repositionis nulla extat memoria &c. transierunt in dominium primo occupantis, quin aliqua temporis intercapedo requireretur.

902. Quo autem Patroni hujus doctrinæ penitius sentiant opinionem suam cum tota argumentorum penu in scopulum impegisse, percipiant, necesse est, 3.) se minus consequenter ratiocinari, ubi suam præscriptionem statuunt *in præsumpta rei derelictione, seu abjectione*, ac *a jure nat.*
*dicta-*

*dictata* ejus occupatione, & tamen requirunt *certum tempus, justum titulum*, cum reliquis conditionibus ad præscriptionem requisitis. Sicut enim jam demonstravimus, quod in *prima* rei, quæ in nullius est, aut unquam dominio fuit, *occupatione*, non fit ullius temporis aut alterius ab ipsa occupatione distincti *justi tituli* habenda ratio, per *d. §. Feræ* 12. *Inst. de rer. divis.* ibi: *simul atque ab aliquo capta fuerint, NB. STATIM ejus esse incipiunt*, ita in acquisitione dominii per *occupationem rei pro derelicto*, temporis certi cursus vel alius titulus non est necessarius, ut liquet ex dictis hic *num.* 773. ) Ubi etiam ostendimus modum hunc acquirendi dominii, quo ad substantiam non differre a *prima occupatione*, & luculenter patet ex *§. Qua ratione* 47. *Inst. de rer. divis.* ubi quoque in hac naturali *pro derelicto occupatione*, sine ulla temporis & alterius tituli habenda ratione, dominia *statim* acquiruntur, dicente textu loc. cit. *si rem PRO DERELICTO a domino habitam occupaverit quis, NB. STATIM eum dominum effici*. Cum autem adversarii necessario requirant certum tempus a jure positivo determinatum (neque enim jus naturale illud determinare potuit) modus acquirendi *per præscriptionem* non est *identice*, imo neque *reductive* modus acquirendi per naturalem *occupationem pro derelicto*: sed juri positivo qua Gentium, qua Civili attribuendus.

903. Tanto minus sustineri potest opinio hæc, 4.) quia repugnat definitioni & naturæ rei *pro derelicto* naturaliter seu Gentium jure introducto, afferri solitæ. Nam juxta cit. §. 47. Inst. *Pro derelicto habetur, quod Dominus ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit: idque* NB. NB. *STATIM dominus ejus ESSE DESINIT*: porro in adversariorum præscriptione non statim desinit dominus, cujus res usucapitur: verum opus est tempore, & aliis conditionibus a jure positivo determinatis: usucapio igitur hæc (nisi perperam affirmetur) non est rei *pro derelicto* naturaliter habitæ occupatio.

904. Quo etiam facit 5. quod citatus textus non contentus vana divinatione de mente domini, seu præsumptione dominii ac abdicatione (super qua contraria opinio fundat suam intentionem) manifeste requirat in nobis certitudinem, *quod ea mente abjecerit, ut id in numero rerum suarum esse nolit*, alioqui si sola præsumptio sufficeret, frustra *furtum committere* diceretur is, qui *lucrandi animo* sciens,

apprehendit res ob periculum naufragii *navi ejectas*; aut eas quæ *de rheda currente cadunt*: §. ult. Instit. de rer. divis. Deberet autem posse eas suas facere, *saltem* si longo, vel longissimo tempore dominus illas non requirat, quia tunc, in sententia Adversariorum stat præsumptio contra dominum, quod eas *pro derelicto* habeat. Porro temeritatem præsumptionis hujus condemnant omnia jura; *C. fin. de præscr.* ac *R. J.* 2. *in 6.* juncta *l.* 2. *§. si sub conditione; ff. pro Emptor.* ubi requiritur ad præscriptionem rei vitiosæ; quatenus hæc ad *tertium* bonæ fidei possessorem perveniat, ita enim purgabitur vitium & res vitiosa 30. vel 40. annis præscribetur, *l. super annali* 1. *§.* 1. *Cod. de annal. except.* Porro res hic in exemplo adductæ sunt vitiosæ, utpote per cit. *§. ult. Inst.* furto æquiparatæ. Vide nostra *Respons. jurid. can. part.* 1. *respons.* 5. *n.* 295. *&* *a n.* 283.)

905. Ac patet adhuc ex §. *Hoc amplius* 46. *Inst. de rer. divis.* ubi non mera divinatio; seu præsumptio cerebrina, sed absoluta certitudo de mente domini requiritur, ut is censeatur rem suam naturaliter *pro derelicto* habendam velle, ibi enim modus hic acquirendi dominii rei *pro derelicto* declaratur exemplo ejus, qui sua sponte projicit pecuniam in vulgus, animo, ut capiat qui vult & potest: en verba textus cit. *Interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert proprietatem: ut ecce; Prætores & Consules, cum missilia jactant in vulgus, ignorant quod eorum quisque sit excepturus! & tamen quia volunt; quod quisque acceperit, ejus esse, STATIM eum dominum efficiunt.* Notentur hæc verba: *jactant in vulgus: volunt:* ac *statim eum dominum efficiunt.* Nunquid igitur ex his divinatoria præsumptio sufficere; an potius absoluta certitudo de voluntate domini ad rem *naturaliter* pro derelicto habendam requiri censenda est?

906. In defectu autem absolutæ certitudinis de voluntate hac domini non negamus posse quidem præscribi rem alienam; at non titulo naturali *pro derelicto*: sed ope usucapionis a jure Gentium (ut infra dicemus) originem, formam vero a Jure Civile habentis. Cum enim Respublica, seu Princeps supremus jure jurisdictionis & superioritatis possit disponere de bonis privatorum, in iis, quæ nedum ad publicum: sed vel maxime ad privatum etiam eorum bonum (qualis est usucapionis effectus) spectant, per *Nov.* 39. *C.* 1. juncta *l.* 1. *ff. de Const. Princ.* ac *pr. Inst. de usucap.* verb. *ne rerum dominia incerta essent*, dubio vacat,

cat, potuisse supremos Principes constituere ; ut si quis ; certis servatis conditionibus, rem alienam usuceperit, domino sive scienter; sive per ignorantiam, eam intra certum tempus non vindicante; suam faciat, *c. Vigilanti, de præscript.*

Demum his accedit 6.) quod non appareat, qua ratione præscriptio sit creatura Juris naturalis; cum neque determinationem *quantitatis* in tempore, neque *qualitatis* in bona fide aut tituli *specifici*, vel *possessionis* circumscriptionem potuerit habere ab illo: sed a solo jure positivo. Neque enim Præscriptio unquam fuit *intrinsece necessaria* ad hominem *in ratione morali* recte formandum, quod solum & unicum est officium legis naturalis. Hæc ipsa vero argumenta pluribus aliis confirmantur in solutione contrariorum fundamentorum.

907. Quod autem prædicta *usucapio* referri possit ad jus naturale *negativum*, seu mere *permissivum*, clare colligi potest ex dictis hic supra *a n.* 39. ac 41.) ad hujusmodi enim jus naturale omnes omnino actus *et se* indifferentes optime referri possunt, utpote qui per hujusmodi relationem non cadunt sub legem naturalem, nisi *improprie* ; ut loco cit. demonstratum est, ubi etiam probavimus esum carnium ; potum vini, cerevisiæ; lusum honestum & id genus alia; ad idem jus naturale mere *permissivum* reduci posse. Hinc si etiam usucapionem sui Patroni ad hujusmodi legem naturalem reduxissent; salva forent omnia. Nam juxta cit. n. 41. & 69.) actus a jure naturali *mere permissi*, quoties suam formam recipiunt a lege *Civili*, vel alia *positiva* ; cadunt absolute & simpliciter sub legem civilem, vel aliam positivam, ac *hujus solius* sunt & dicuntur *creaturæ*, non autem legis naturalis *mere permissivæ* ; ut liquet in actu *testamenti solemnis*, *adoptionis* &c. &c.

## EXAMINANTUR CONTRARIA MOMENTA.

908. Præscriptionem esse *primam occupationem rei*, *quæ nullius est & fuit propria* ; *vel saltem pro derelicta habeti præsumitur*; *dictatam a J. N.* probare sui Patroni nituntur sequentibus momentis: I.) In circumstantiis præscriptionis adest voluntas prioris domini, signis externis, scilicet *verbis*, *factis*; aut *non-factis* sufficienter manifestata, quod ille velit in alterum rei suæ possessorem, dominium transferre : igitur voluntas ejus ita significata habet virtutem

 trans-

transferendi dominium; ac proin stando *in solo jure naturæ* Præscriptio est modus *de se* habilis ad transferendum dominium. II.) Qui *probabiliter scit* rem suam ab alio possideri, & tamen cum possit, eam non repetit, habet voluntatem sufficienter manifestatam abdicandi se jure, quod illam in rem habuit: NB. neque enim aut silentii, aut negligentiæ hoc casu *alia esse causa* noscitur, quam abdicatio iuris. Porro in circumstantiis Præscriptionis antiquus Possessor *probabiliter* scit, rem suam ab alio possideri, & tamen cum possit, non repetit: nam decursu 30. forte vel 40. annorum, aut saltem temporis immemorialis, accuratus rei domesticæ curator utique notitiam & occasionem inveniet pristinam possessionem recuperandi, aut alterius possessionem interrumpendi, maxime in rebus immobilibus, quæ difficulter abscondun tur. Adest itaque voluntas sufficienter manifestata.

III.) In puncto præscriptionis res ad eum statum devolvitur, ut dominus nequeat amplius rationabilem spem habere repetendi quod suum erat, esto quod ex affectu speciali remaneat quædam simplex velleitas: igitur res illa habetur pro derelicta.

IV.) In dubio, velitne dominus rem habere pro derelicta, necne: animum derelinquendi prudenter conjicimus, quando dominus cum facile posset, non curat inquirere in rem suam. V.) Titulus *pro derelicto* si *verus* sit, impedit quidem præscriptionem, eo quod res per eum *statim* & sine præscriptione acquiratur, per *cit.* §.47. *Inst. de R. D.* non autem impedit eam, si fuerit *præsumptus*, quia hic dat causam præscriptioni, *t. t. ff. pro derelicto*.

VI.) Distinctio dominiorum est juris naturalis, id est, ab ipso jure naturæ DICTATA est bonorum divisio: igitur etiam præscriptio, Quia utraque ad pacem humani generis fuit necessaria.

VII.) Præscriptio recte ubique allegatur etiam inter populos illos, qui contempto vel ignorato Gentium jure, solo naturæ lumine reguntur & diriguntur. Concludunt tandem iidem A. A. igitur *Præscriptio a Jure Naturæ* partim ex *rationabiliter præsumpta derelictione* & abdicatione dominii, partim ex motivo pacis & tranquillitatis publicæ exordium accepit, eaque ab illo *dictata* est.

909. Quam solida autem sint momenta hæc, ex sequentibus constabit. Respond. enim ad I.) Si adest voluntas

prio-

prioris domini signis externis *sufficienter* manifestata, quod ille velit in alterum rei suæ possessorem dominium transferre, illudque *actu* transferat, abdicando se ejus juri, ut ratiocinatur Adversarius: non est jam opus præscriptione. Uti patet in Renunciationibus, bonorum Cessionibus, Donatione, &c. Fallitur igitur in supposito, quod casu *sufficienter* manifestatæ voluntatis de abdicatione dominii, requiratur adhuc præscriptio ad id acquirendum. Contrarium enim patet ex *pr. Inst. de usucap.* ubi docemur, præscriptionem introductam esse, *ne rerum dominia in incerto essent*; porro tunc dominium prioris Possessoris non est in incerto, si verum est, quod ex signis externis *sufficienter* constet de ejus abdicatione facta in secundum possessorem, qui rem suam detinet. Inconsequentia hæc adversæ opinionis pugnat cum recta ratione, praxi humana, & jure positivo; nam juxta C. 31. de R. J. in 6. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*

916. Ad II.) Redit data jam responsio, scilicet si verum est constare *sufficienter* de manifestata abdicandi dominii voluntate, minus consequenter requiritur præscriptio. R. 2.) Ex eo, quod prior possessor *probabiliter* sciat rem suam ab alio possideri, & tamen eam, cum possit, non repetat, pessime infertur rei abdicatio, & perniciose contra justitiam; ex hac *probabilitate* adjudicatur dominium alteri. Pateat id in exemplo; Ego *mille aureos* mutuos dedi *Sempronio* meo intimo amico & consanguineo; viro prædiviti & timoratæ conscientiæ: cum etiam idem elocaret filiam suam in matrimonium, dedi eidem commodato gemmas valoris 10000. aureorum; Et siquidem optime persuasus fui de teneritudine conscientiæ *Sempronii*; pariter ac de magno fortunæ ejus nervo, neque etiam mutuo data pecunia ac commodatis gemmis, ad usum meum hic & nunc indigueram: ita me extra omne rerum mearum amissionis periculum esse ratus, statui in *animo meo*, ut ob reverentiam consanguinei, & ex amore intimi amici, nihil ipsi dicerem de restitutione rerum mearum: sed potius expectarem usque dum ille propriæ conscientiæ motu impulsus restitueret, suumque chirographum in quo nullum (ut inter amicos fieri solet) restitutioni tempus definitum fuit, a me repeteret. Tandem elapsi jam sunt 38. anni ex quo ille non restituit *scienter* res meas, neque ego urgeo, cum potuerim antea, & nunc possim:

Quæro jam, an *Sempronius* recta conscientia possit abdicatione juris ex parte mea factam inferre, & mihi cras, aut post annum restitutionem petenti, exceptionem extincti juris mei, sistendo *in solo jure nat.* ut volunt Adversarii, opponere? Attenta opinione *Grotii* & ejus sequacium, ita, omnino *affirmative* respondendum foret. Quia *Sempronius* hæc sibi dictamina de me facere posset: *Titius probabiliter*, (imo certo) *scivit me esse debitorem* 1000. *aureorum*, & *gemmarum magni pretii: non requisivit a me cum posset: tempus longissimum elapsum est: neque silentii aut negligentiæ hoc casu alia esse causa noscitur, quam abdicatio juris; ego bona fide hæc possedi* &c. Ex his igitur adversæ sententiæ conjecturis, deberet ille licite posse inferre absolutam *abdicationem* juris mei, & mihi tuta conscientia pro *externo* & etiam *interno* foro negare 1000. aureos, & gemmas prædicti valoris! An autem resolutio hæc *Sempronii*, & consequenter doctrina *Grotiana*, *Puffendorfiana*, *VVolfiana* &c. sanæ menti conformis sit? naturalis & positivæ Jurisprudentiæ peritissimi viri judicent.

911. Ref. 3.) Adversa opinio totam molem novæ suæ structuræ fundat in eo, quod prior possessor probabiliter *sciat* rem suam ab alio possideri: at fallitur iterum in supposito, quod præscriptio versetur tantum circa res a priore domino *cognitas*, id enim falsum esse patet ex *Cap. vigilanti* 5. *de præscr.* ubi pro ejus objecto res nedum cognitæ, sed etiam incognitæ assignantur, in vers. *nobis autem tam in rebus COGNITIS, quam LATENTIBUS, placuit non habere vigorem*. Contingere enim potest, ut Cajus habeat tria millia ovium; supponamus jam ex tanto numero pecorum aberrasse 70. oves, *quin* dominus ipse, vel pastores ovium *sciant* eas esse deperditas. Cum tamen hæ ad meum prædium devenerint, ego eas, nesciens cujus sint, jam a biennio retineo. Quæro iterum: *sistendo in solo jure naturæ*, an prior possessor 70. ovium censendus sit se abdicasse dominio earum? sane hebescit hic subtilitas adversa, quia non amplius hoc casu locum habet scenicus Achilles ille: *qui probabiliter scit rem suam* &c. Cajus enim nescit oves suas apud me detineri, imo neque scit eas deperditas. Et tamen *per se loquendo*, præscriptio etiam hic locum habebit; sed non per divinationem de abdicatione Caji, verum *per media a jure positivo introducta*, qualia sunt, ut 1.) diligenter inquirat in dominum rei, *Cod. si quid*

*quid* 14. *quæst.* 5. ac tot. tit. *Cod. de bon. vac.* 2. ) impleat conditiones præscriptionis a jure positivo introductas &c.

Alioquin, etiam sistendo in solo jure naturali, *jactare suum nullus præsumitur*, l. cum de indebito 21. vers. *qui non solvit*, ff. de probat. adeo, ut nisi jus *positivum* Gentium aut Civile, juxta dicta hic *nu.* 906. ) decernat rem prioris domini alterius dominio certis casibus competere, naturalis eaque fortissima præsumptio, etiam per myriades annorum stabit semper pro rei domino, quamdiu hic vel ejus heredum heredes existent in rerum natura, *l. maximum vitium*, & ibi DD. 4. *C. de liber. præterit.*

912. Ad III. ) Iterum vacillat recta consecutio argumenti. Quod enim dominus *rationabilem spem* rei suæ repetendæ non habeat, minime sequitur inde rem illam haberi *pro derelicta*. Forte enim spe hac destituitur, vel potius *non sperat*, ideo, quia *ignorat* rem suam periisse, & apud alium reperiri: ut immediate diximus de Cajo, cujus 70. oves errabundæ, illo *ignorante* damnum suum, apud me reperiuntur; nunquid igitur propterea censendus est se abdicasse dominio rei? absit. Vel certe scit quidem ille rem suam sibi deesse, & existere alicubi in rerum natura: sed ignorat apud quem hic & nunc, vel ubi reperiatur, & ideo non inquirit.

913. Claritatis ergo fingamus casum: Sejus Danubium transmittens passus est damnum, quod per suam imprudentiam pretiosissima gemma manibus elapsa ac in flumen decidens aquis obsorpta sit; *Calepodius* Urinator, artis gemmas piscandi peritissimus, paucis post mensibus edoctus de situ loci, ubi gemma *Seji* demersa fuit, eam *data opera* piscatur, & extrahit. Quæritur jam: an recepto industriæ & laboris sui pretio, teneatur gemmam illam *Sejo* restituere? In fundamentis neotericæ opinionis minime obligaretur, quia Sejus *rationabilem spem* recuperandæ gemmæ suæ *forte* non habuit, præsertim cum ignoraret aliquem Urinatorum, artem gemmas piscandi callentem, *Dilingæ* actu reperiri posse; atque adeo extra spem positus præsumitur gemmam *pro derelicta* habuisse: consequens autem fuit, ut illa *statim* facta sit *Calepodii* Urinatoris eam extrahentis, suffragante sibi *vero* titulo: *pro derelicto*, aut saltem a Neotericis excogitato titulo, quem vocant naturalem *præsumptum pro derelicto*, ita ut si *non statim*,

faltem post decursum temporis triennalis, vel decennalis, eam faciat suam, *sistendo in solo jure naturali.*

914. Porro si hæc moralis de restitutione & præscriptione rei alienæ subsistit; vix aliqua dabitur in materia justitiæ commutativæ iniquitas, quæ simili temeritate non justificetur. Et tamen habemus non absimilem casum in §. *Thesauros* 39. *Inst. de R. D.* juxta quem si quis in loco alieno, etiam *non data opera* thesaurum invenit, non ideo totus inventori cedit, quia dominus ignorans quid in visceribus sui fundi lateret, *spem rationabilem* ejus acquirendi non habuit, imo nec prudenter habere potuit, &c. Verbo: subtilitas hæc *de spe probabili*, habet quandoque locum in rebus *acquirendis*, quæ nunquam *actuali* dominio nostro subeiant, nec actu subsunt, uti fit v.g. in contractu emptionis-venditionis, cujus objectum *interdum* in sola spe lucri consistit, *l. nec emptio 8. ff. de contrah. empt.* ubi etiam *fructus* & *partus* in spe sola consistentes considerantur: Item in hereditate futura, de qua tamen disputant DD. Vide Bald. *in l. Spem n. 3. C. de donat.* Bart. *in l. post emancipationem §. 1. ff. de liberat. legat.* Ancharan. *cons.* 188. In illis autem, quorum jus aliquando *actu* jam *quæsivimus* & sine nostra *expressa* renunciatione, aliave alienatione amisimus, speculatio illa scholastica non procedit. Quia etiam de jure naturali, *quæsitum jus difficilius amittitur & remittitur, quam quærendum*, arg. l. 6. in pr. ff. quæ in fraud. cred. Jure igitur nat. hoc casu nihil juvante, ex solo jure positivo humano de præscriptionibus dictato, decidenda res est.

915. Ad IV.) Est falsa persuasio. Dominia enim non transferuntur in alios per subauditos sensus & conjecturas: sed *facto* domini ipsius, vel *legis dispositione* supponente culpam possessoris, vel aliam justam causam, §. *ult. Inst. de his, qui sui vel alieni jur.* Demum in *dubiis circa rem alteri adimendam tutior pars est eligenda*, arg. *l. si fuerit* 10. §. *ult. ff. de reb. dub.* Porro tutius est, ut in proposito casu omissa subtili divinatione de animo domini, quasi hic se jam abdicaverit rei suæ, diligentissima fiat inquisitio, ad quem res spectet, demum, si dominus investigari nequeat, observandæ erunt conditiones ad præscriptionem a jure positivo designatæ.

916. Ad V.) Titulus *pro derelicto* de jure *naturali* nullus datur alius quam *verus*, ac proin titulus ex longa taciturnitate *præsumptus pro derelicta* re, quam detinemus, *sistendo in* solo

*solo jure nat.* ut volunt A.A. nullius momenti est, nec ullo juris textu nititur; imo ipsi contrarii videntur hic *a n.* 902.) Ac proin frustra *Grotiani* sequaces, in suæ opinionis auxilium citant totum titulum *ff. pro derelicto*. In octo enim legibus, quas titulus hic continet, nullibi reperitur *naturalis* tituli *pro derelicto* divisio in *verum* ac *præsumptum*, multo minus etiam ibidem reperire est distinctionem illam, cujus ope respondent: *Titulus* pro derelicto *si verus fit, impedit præscriptionem, nam res vere derelicta statim fit occupantis: non autem impedit præscriptionem, si fuerit* præsumptus, *quia* &c. Affectatæ hujus responsionis falsitas evidenter patet ex *l.* 1. *ff. pro derelict.* ibi: *si res pro derelicto habita sit*, NB. *STATIM nostra esse definit*, & *occupantis Statim fit*; igitur etiam juxta legem ex Digestis per eos adductam, manifeste patet, *sistendo in solo jure naturæ*, titulum *pro derelicto* nullum dari alium quam *verum*, eumque obstare præscriptioni, cum res *statim* fiat *occupantis*, nec opus sit fluxu temporis, ac alio titulo justo &c. Dein *lex* 2. *ff. cit. tit.* ait: *Pro derelicto rem a domino habitam* NB. *si SCIAMUS, possumus adquirere*. Ecce! dicit lex: *si sciamus*: non, ut Adversarii volunt: *si probabiliter conjectemus*. Concordat *l.* 4. & *l.* 6. *ff. eod.* ubi declaratur eum non posse *pro derelicto usucapere*, *qui falso existimaverit rem pro derelicto habitam esse*.

917. Et licet forsan *Grotiani* saltem ex his ultimis, nempe *quartæ* & *sextæ* legis adductis verbis blandiri sibi posse videantur, eo quod in citatis textibus mentio fiat *usucapionis* ex titulo *pro derelicto*, unde contra nostram responsionem non obscure concludi posse videtur: titulum *pro derelicto* non opponi præscriptioni. Nihilominus blandimentum hoc vanum est. Quia titulus *pro derelicto*, de quo citata lex *quarta* ac *sexta* loquitur, cum non *statim* transferat jus proprietatis in occupantem, est titulus acquirendi dominii a *solo jure civili* proveniens, Schneidevv. *ad* §. 47. *J. de R. D.* Harpr. *ibid. n.* 4. pariter ac usucapio, de qua eædem leges mentionem faciunt, est juris civilis: Porro *Grotianorum* opinio *sistendo in solo jure naturali* nititur nobis duo persuadere: *primum*, quod præscriptio pariter ac prima bonorum divisio, *independenter* a jure Gentium & civili *DICTATA* sit a lege naturali. *Secundum*: quod spectato eodem *naturali jure* sine recursu ad jus positivum, duplex detur rerum occupatio *pro derelicto*; una ex derelictione *vera*, altera autem solum

ex pro-

jus juris. Sola enim correctio *perficit* quidem, sed præsupponit jam in se existentem actum; vel jus aliquod; ac proin non dat illi substantiam & esse formale; *arg. l. ejus qui in Provincia* 41. *verf. quoniam*; *ff. si cert. petat.* Atque adeò Præscriptio *esse suum* debet Juri civili: *perfectionem* autem *majorem* profitetur se habere a Jure Canonico; *inventis* enim *facile fuit addere*.

## §. II.

*Utrum detur Præscriptio inter Gentes: Et an hæc proveniat ex Jure Gentium* legali, *ita, ut eidem originem suam debeat Præscriptio etiam* Civilis?

## SUMMARIUM.

924. *Affertur opinio negans Præscriptionem inter Gentes.*
925. &c. *Defenditur Affirmativa. Et probatur I.) Ex Authoritate statuum Rom. Imp. tum Doctorum judicio, demum ex S. Scriptura. II.) Ex ratione. III.) Ex Legibus &c.*
938. *Respondetur contrariis. Exponitur* Lex XII. Tabul. & *ostenditur* legem præscriptionis *longe* antiquiorem *esse Jure Civili nedum* Romano: *sed etiam* Græcorum.
939. *Præscriptionis inter Gentes* necessitas *respicit* externam *earum felicitatem.*
940. *Forma Præscriptionis* inter Gentes *diversa* à Civili.
941. *Consensus Gentium in illam explicatur.*
942. &c. *Exponitur, cur S. R. Imperium & alia Regna possint adhuc avulsa sua repetere.*
946. *Ostenditur rationabilem consensum Gentium fuisse in Præscriptionem.*
947. *Signa hujus consensus inducuntur.*
948. &c. *Quomodò subditi jus Majestatis præscriptione suum faciant?*
950. *Illa quando habet vim juris Gentium? & ubi forum circa illam?*
951. &c. *Reliqui modi derivativi; & Officia ex dominio proponuntur.*

942. NUllum videtur habere locum Præscriptio inter duos v.g. aut plures populos liberos, aut Re-

ges

ges, populumve unum liberum & ejus Regem: Imò nec inter Regem quidem, & privatum ipsi non subditum, nec inter duos diversorum Regum aut populorum subditos: consequens autem est; ut Præscriptio non proveniat a Jure Gentium *legali*, neque eidem originem suam; sed soli Juri Civili debeat, a quo etiam formam derivavit; Prout cum innumeris aliis tradit Balbo *de Præscr. 1. part. princip. q.4. n.4.* Conringius *l.2. c.1. §.2. de finib. Imper.* Vasquius *illust. quæst. l.11. c.51. n.28.* Schneidevv. *ad tit. Inst. de usucap. in princip. n.10.* Franz. *ibid. n.6.* & alii, sequentibus ducti motivis.

I.) Quod pro hac negativa opinione stet auctoritas Imperatoris in *§. ult. Inst. de usu & habit. in fin.* ac etiam *pr. Inst. de usucap.* præscriptionem inter *modos* acquirendi *Civiles* referentis. II.) Quia nulla est necessitas, & nullus possit dari effectus hujus Præscriptionis inter Gentes liberas: vel enim Populus aliquis liber continuat possessionem a prima rerum divisione; vel jure belli justi, aut per pacta conventa cum alio Populo libero possidet aliquam Provinciam: & in his singulis casibus non est opus præscriptione, quia jus proprietatis *statim* fuit quæsitum; vel demum injuste occupavit a longo tempore, & *coacta pace* obtinuit; atque hoc casu præscriptio ob defectum bonæ fidei nunquam ei proderit, ut patet in Turcarum tyrannide, quæ Christianos tot Regnis spoliavit. III.) Jus Gentium nec *tempus*, nec *possessionem*, nec *titulum*, neque *bonam fidem* determinat: jam vero determinatio Civilis a Gentibus liberis non attenditur: igitur præscriptio hæc potius turbaret Populorum tranquillitatem, & daret ansam litibus & bellis, ex quo quælibet natio interpretaretur illam pro suo arbitrio, & una affirmante se jam præscripsisse aliquam Provinciam, negaret altera. IV.) Licet forte pro bono Gentium publico expediens foret modus transferendi dominii per præscriptionem, nondum sequitur, quod detur. Nam nequit probari ejusmodi pactum mutuum inter Gentes. Imo, V.) teste Vasquio *l. c.* moratissimæ Gentes, qualis est *Hispana*, *Gallica*, *Austriaca* &c. præscriptiones contra se nullas agnoscunt, neque credibile est eas admissurum Imperatorem *Sinarum*, *Turcarum*, *Persarum*, etsi jus Legatorum omnes recipiant, & agnoscant. Hinc Carpzovius *de Capitulatione Cæsarea* 9. *Cap. 7.* ait; Imperatorem per promissum Capitulationis de terris ab Imperio avulsis reducendis, obstri-

obitiistum esse ad eas recuperandas *sine restrictione ad tempus ullum*: rationem reddens hanc: *Rem bello repetere meræ facultatis est, cui NULLA PRÆSCRIPTIO opponi potest. Et quæ vanitas, præscriptionem pro Imperii salute inventam, Imperii hostibus in pestem Imperii substernere?* Porro VI.) Capitulatio hujusmodi Cæsarea, & de illa articulus *decimus* Constitutionis *Carolinæ*, redderetur frustraneus: VII.) Præsumi nequit Gentes liberas in diminutionem suæ libertatis, vel Reges in præjudicium Regni proprii in modum acquirendi dominii per *præscriptionem* unquam consensisse; nemo enim præsumitur jus suum jactare: igitur deest Gentium consensus necessarius ad jus Gentium constituendum. VIII.) Dato quod Præscriptio sit *origine* sua *Juris Gentium*; poterit præscribi à Principe contra libertatem Populi; pro summa potestate: igitur pari jure præscribi a Populo poterit contra potestatem Principis summam pro libertate: porro id falsum est; ut probat *Grotius*, quia subditus est subjectum incapax Majestatis, & Majestas est incapax præscriptionis, utpote extra commercium, neque adesse potest *bona fides* in subditis, quales ignorare se nequeunt. Nequit etiam adesse *titulus* Imperii translativus in præscribentes, *utpote conditione subditos* &c. &c. His tamen aliisque non obstantibus,

925. Longe verisimilius est, Præscriptionem *debite completam* olim habuisse, & hodiedum habere locum etiam inter diversos Populos liberos; ita ut fundet Jus Gentium legale, illique merito debeat originem suam *moderna* usucapio, per Jus Civile ad formam *in specie*, seu particularem reducta.

Præter rationum momenta è visceribus causæ hujus mox afferenda, pro existentia Præscriptionis inter diversas Gentes I.) argumentum suppeditat nedum eruditissima Doctorum; sed etiam variorum, ac præcipue S. R. Imper. Statuum publica; eaque summe veneranda Auctoritas. *Primo* enim, uti probat Struvius *in Corpor. Jur. Publ. c. 4. §. 18.* per *Præscriptionem* Jura & exemptiones S. R. Imperii contra finitimos Populos erant confirmata, ac ut pleræque Provinciæ & Status *Livoniæ* qua à Polonis, qua Lithuanis & Moscis tunc non ita pridem quæsiti, redirent ad Imperium Rom. cui olim subjecti erant; medium *Præscriptionis immemorialis* aptissimum visum est ex parte Rom. Imperii, Possessoribus illis opponendum. Quam ob rem

(ait

( ait Struv. *l. c.* ) sæpius deliberatum fuit, ut ad Imperii apicem possent reduci; atque ita Imperium redintegrari. Factum id in Comitiis VVormatiensibus An. 1521. §. XXX. XXXI. sub Maximiliano II. ac in Comitiis Augustanis, A. 1566. §. CXXIV. & Ratisbonensibus, Anno 1576. §. CVII. atque in Capitulationibus Caroli V. *Art.* IX. Ferdinandi I. *Art.* VIII. Maximiliani II. *Art.* IX. Ferdinandi II. *Art.* VIII. Ferdinandi III. & IV. *Art.* IX. Leopoldi & Josephi *Art.* XII. Caroli VI. *Art.* V. XI.

926. *Secundo*. Cum elapso sæculo per famosas cameras reunionum *Gallia* multas ditiones *Alsaticas* sibi jure avito debitas conquireret, non aliam exceptionem opposuere Imperii status, quam titulum *Præscriptionis*, dicentes: *Iniquum fore, Status immemoriali, & plurium sæculorum possessioni innixos, ad editionem titulorum suorum, contra omnia jura cogere; hoc enim modo NB. totius orbis possessiones & rerum dominia incerta reddi*. Ita conclusum fuisse An. 1680. in Comitiis *Ratisbon.* testatur Londorpius *Tom.* 11. *fol.* 81.

927. *Tertio*. Eundem loquendi stylum imitati sunt Eruditi viri, ubi de hac Præscriptione loquuntur. Ita quippe Ferdinandus Vasquius *illust. q. l.* 2. c. 51. §. 16. asserit: *Probatio dominii terræ esset pene impossibilis, si removerimus præscriptionem, nisi quis ostenderet NB. testamentum primi Parentis Adami, quo quodpiam forte prędium, aut prędia sibi relicta fuisse appareat. Aliter enim etsi probet se emisse, parum juvat; cum per hoc non appareat, an venditor dominus fuisset; nec potuerit vendens plus juris in emptorem transferre, quam ipse haberet* &c.

928. Et quamvis hoc loco *Vasquius* protestetur se loqui de præscriptione *sola Civili*, quam *omnes omnino admittunt*, non vero de *Gentium* jure introducta; quam ille rejicit. Nihilominus inconsequentia suæ doctrinæ protestationi est contraria. Ratio enim, propter quam ille admittit Præscriptionem inter personas *privatas* ejusdem Imperii vel Regni debere locum habere, & laudabiliter approbatam, *specialique* forma a jure Civili donatam fuisse, hæc ipsa potiorem locum habet etiam, ut inter Gentes idem acquirendi dominii modus induceretur, ne scilicet dominia manerent incerta, & cum *externæ* felicitatis tranquillitatisque publicæ damno Genus humanum perpetuis fluctuaret litibus, bellis & rapinis.

Quo etiam facit, quod idem *Vasquius*, quoad exclusionem

apprehendit res ob periculum naufragii *navi ejectas*; aut eas quæ *de rheda currente cadunt*: §. ult. Instit. de rer. divis. Deberet autem posse eas suas facere, *saltem* si longo, vel longissimo tempore dominus illas non requirat, quia tunc, in sententia Adversariorum stat præsumptio contra dominum; quod eas *pro derelicto* habeat. Porro temeritatem præsumptionis hujus condemnant omnia jura; *C. fin. de præscr.* ac *R. J. 2. in 6.* juncta *l. 2. §. si sub conditione*; *ff. pro Emptor.* ubi requiritur ad præscriptionem rei vitiosæ, quatenus hæc ad *tertium* bonæ fidei possessorem perveniat, ita enim purgabitur vitium & res vitiosa 30. vel 40. annis præscribetur, *l. super annali* 1. §. 1. *Cod. de annal. except.* Porro res hic in exemplo adductæ sunt vitiosæ, utpote per cit. §. *ult. Inst.* furto æquiparatæ. Vide nostra *Respons. jurid. can. part.* 1. *respons.* 5. *n.* 295. *& a n.* 283.)

905. Ac patet adhuc ex §. *Hoc amplius* 46. *Inst. de rer. divis.* ubi non mera divinatio; seu præsumptio cerebrina, sed absoluta certitudo de mente domini requiritur, ut is censeatur rem suam naturaliter *pro derelicto* habendam velle, ibi enim modus hic acquirendi dominii rei *pro derelicto* declaratur exemplo ejus, qui sua sponte projicit pecuniam in vulgus; animo, ut capiat qui vult & potest: en verba textus cit. *Interdum & in incertam personam collata voluntas domini transfert proprietatem : ut ecce; Prætores & Consules, cum missilia jactant in vulgus, ignorant quod eorum quisque sit excepturus! & tamen quia volunt; quod quisque acceperit, ejus esse, STATIM eum dominum efficiunt.* Notentur hæc verba: *jactant in vulgus : volunt* : ac *statim eum dominum efficiunt*. Nunquid igitur ex his divinatoria præsumptio sufficere; an potius absoluta certitudo de voluntate domini ad rem *naturaliter* pro derelicto habendam requiri censenda est?

906. In defectu autem absolutæ certitudinis de voluntate hac domini non negamus posse quidem præscribi rem alienam; at non titulo naturali *pro derelicto* : sed ope usucapionis a jure Gentium (ut infra dicemus) originem, formam vero a Jure Civile habentis. Cum enim Respublica, seu Princeps supremus jure jurisdictionis & superioritatis possit disponere de bonis privatorum, in iis, quæ nedum ad publicum: sed vel maxime ad privatum etiam eorum bonum (qualis est usucapionis effectus) spectant, per *Nov.* 39. *C.* 1. juncta *l.* 1. *ff. de Const. Princ.* ac *pr. Inst. de usucap.* verb. *ne rerum dominia incerta essent*, dubio va-

cat,

cat, potuisse supremos Principes constituere; ut si quis certis servatis conditionibus, rem alienam usuceperit, domino sive scienter; sive per ignorantiam, eam intra certum tempus non vindicante, suam faciat, *c. Vigilanti, de præscript.*

Demum his accedit 6.) quod non appareat, qua ratione præscriptio sit creatura Juris naturalis; cum neque determinationem *quantitatis* in tempore, neque *qualitatis* in bona fide aut tituli *specifici*, vel *possessionis* circumscriptionem potuerit habere ab illo: sed a solo jure positivo. Neque enim Præscriptio unquam fuit *intrinsece necessaria* ad hominem *in ratione morali* recte formandum, quod solum & unicum est officium legis naturalis. Hæc ipsa vero argumenta pluribus aliis confirmantur in solutione contrariorum fundamentorum.

907. Quod autem prædicta *usucapio* referri possit ad jus naturale *negativum*, seu mere *permissivum*, clare colligi potest ex dictis hic supra *a n.* 39. ac 41.) ad hujusmodi enim jus naturale omnes omnino actus *ex se* indifferentes optime referri possunt, utpote qui per hujusmodi relationem non cadunt sub legem naturalem, nisi *improprie*; ut loco cit. demonstratum est, ubi etiam probavimus esum carnium; potum vini, cerevisiæ; lusum honestum & id genus alia; ad idem jus naturale mere *permissivum* reduci posse. Hinc si etiam usucapionem sui Patroni ad hujusmodi legem naturalem reduxissent; salva forent omnia: Nam juxta cit.n. 41. & 69.) actus a jure naturali *mere permissi*, quoties suam formam recipiunt a lege *Civili*, vel alia *positiva*; cadunt absolute & simpliciter sub legem civilem, vel aliam positivam, ac *hujus solius* sunt & dicuntur *creaturæ*, non autem legis naturalis *mere permissivæ*; ut liquet in actu *testamenti solemnis*, *adoptionis* &c. &c.

## EXAMINANTUR CONTRARIA MOMENTA.

908. Præscriptionem esse *primam occupationem rei, quæ nullius est & fuit propria; vel saltem pro derelicta habetur præsumitur; dictatam a J. N.* probare sui Patroni nituntur sequentibus momentis. I.) In circumstantiis præscriptionis adest voluntas prioris domini, signis externis, scilicet *verbis*, *factis*; aut *non-factis* sufficienter manifestata, quod ille velit in alterum rei suæ possessorem, dominium transferre: igitur voluntas ejus ita significata habet virtutem

prioris domini signis externis *sufficienter* manifestata, quod ille velit in alterum rei suæ possessorem dominium transferre, illudque *actu* transferat, abdicando se ejus juri, ut ratiocinatur Adversarius: non est jam opus præscriptione. Uti patet in Renunciationibus, bonorum Cessionibus, Donatione, &c. Fallitur igitur in supposito, quod casu *sufficienter* manifestatæ voluntatis de abdicatione dominii, requiratur adhuc præscriptio ad id acquirendum: Contrarium enim patet ex *pr. Inst. de usucap.* ubi docemur, præscriptionem introductam esse, *ne rerum dominia in incerto essent*; porro tunc dominium prioris Possessoris non est in incerto, si verum est, quod ex signis externis *sufficienter* constet de ejus abdicatione facta in secundum possessorem, qui rem suam detinet. Inconsequentia hæc adversæ opinionis pugnat cum recta ratione, praxi humana, & jure positivo; nam juxta C. 31. de R. J. in 6. *Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.*

916. Ad II.) Redit data jam responsio, scilicet si verum est constare *sufficienter* de manifestata abdicandi dominii voluntate, minus consequenter requiritur præscriptio. R. 2.) Ex eo, quod prior possessor *probabiliter* sciat rem suam ab alio possideri, & tamen eam, cum possit, non repetat, pessime infertur rei abdicatio, & perniciose contra justitiam; ex hac *probabilitate* adjudicatur dominium alteri. Pateat id in exemplo: Ego *mille aureos* mutuos dedi *Sempronio* meo intimo amico & consanguineo, viro prædiviti & timoratæ conscientiæ: cum etiam idem elocaret filiam suam in matrimonium, dedi eidem commodato gemmas valoris 10000. aureorum; Et siquidem optime persuasus fui de teneritudine conscientiæ *Sempronii*; pariter ac de magno fortunæ ejus nervo, neque etiam mutuo data pecunia ac commodatis gemmis, ad usum meum hic & nunc indigueram: ita me extra omne rerum mearum amissionis periculum esse ratus, statui in *animo meo*, ut ob reverentiam consanguinei, & ex amore intimi amici, nihil ipsi dicerem de restitutione rerum mearum: sed potius expectarem usque dum ille propriæ conscientiæ motu impulsus restitueret, suumque chirographum in quo nullum (ut inter amicos fieri solet) restitutioni tempus definitum fuit, à me repeteret. Tandem elapsi jam sunt 38. anni ex quo ille non restituit *sciente* res meas, neque ego urgeo, cum potuerim antea, & nunc possim:

*quid* 14. *quæst.* 5. ac tot. tit. *Cod. de bon. vac.* 2. ) impleat conditiones præscriptionis a jure positivo introductas &c.

Alioquin, etiam sistendo in solo jure naturali, *jactare suum nullus præsumitur*, l. cum de indebito 21. vers. *qui non solvit*, ff. de probat. adeo, ut nisi jus *positivum* Gentium aut Civile, juxta dicta hic *nu.* 906. ) decernat rem prioris domini alterius dominio certis casibus competere, naturalis eaque fortissima præsumptio, etiam per myriades annorum stabit semper pro rei domino, quamdiu hic vel ejus heredum heredes existent in rerum natura, *l. maximum vitium*, & ibi DD. 4. *C. de liber. præterit.*

912. Ad III. ) Iterum vacillat recta consecutio argumenti. Quod enim dominus *rationabilem spem* rei suæ repetendæ non habeat, minime sequitur inde rem illam haberi *pro derelicta*. Forte enim spe hac destituitur, vel potius *non sperat*, ideo, quia *ignorat* rem suam periisse, & apud alium reperiri: ut immediate diximus de Cajo, cujus 70. oves errabundæ, illo *ignorante* damnum suum, apud me reperiuntur; nunquid igitur propterea censendus est se abdicasse dominio rei? absit. Vel certe scit quidem ille rem suam sibi deesse, & existere alicubi in rerum natura: sed ignorat apud quem hic & nunc, vel ubi reperiatur, & ideo non inquirit.

913. Claritatis ergo fingamus casum: Sejus Danubium transmittens passus est damnum, quod per suam imprudentiam pretiosissima gemma manibus elapsa ac in flumen decidens aquis obsorpta sit: *Calepodius* Urinator, artis gemmas piscandi peritissimus, paucis post mensibus edoctus de situ loci, ubi gemma *Seji* demersa fuit, eam *data opera* piscatur, & extrahit. Quæritur jam: an recepto industriæ & laboris sui pretio, teneatur gemmam illam *Sejo* restituere? In fundamentis neotericæ opinionis minime obligaretur, quia Sejus *rationabilem spem* recuperandæ gemmæ suæ *forte* non habuit, præsertim cum ignoraret aliquem Urinatorum, artem gemmas piscandi callentem, *Dilingæ* actu reperiri posse; atque adeo extra spem positus præsumitur gemmam *pro derelicta* habuisse: consequens autem fuit, ut illa *statim* facta sit *Calepodii* Urinatoris eam extrahentis, suffragante sibi *vero* titulo: *pro derelicto*, aut saltem a Neotericis excogitato titulo, quem vocant naturalem *præsumptum pro derelicto*, ita ut si *non statim*, sal-

saltem post decursum temporis triennalis, vel decennalis, eam faciat suam, *sistendo in solo jure naturali.*

914. Porro si hæc moralis de restitutione & præscriptione rei alienæ subsistit; vix aliqua dabitur in materia justitiæ commutativæ iniquitas, quæ simili temeritate non justificetur. Et tamen habemus non absimilem casum in §. *Thesauros* 39. *Inst. de R. D.* juxta quem si quis in loco alieno, etiam *non data opera* thesaurum invenit, non ideo totus inventori cedit, quia dominus ignorans quid in visceribus sui fundi lateret, *spem rationabilem* ejus acquirendi non habuit, imo nec prudenter habere potuit, &c. Verbo: subtilitas hæc *de spe probabili*, habet quandoque locum in rebus *acquirendis*, quæ nunquam *actuali* dominio nostro suberant, nec actu subsunt, uti fit v.g. in contractu emptionis-venditionis, cujus objectum *interdum* in sola spe lucri consistit, *l. nec emptio 8. ff. de contrah. empt.* ubi etiam *fructus* & *partus* in spe sola consistentes considerantur: Item in hereditate futura, de qua tamen disputant DD. Vide Bald. *in l. Spem n. 3. C. de donat.* Bart. *in l. post emancipationem §. 1. ff. de liberat. legat.* Ancharan. *cons.* 188. In illis autem, quorum jus aliquando *actu* jam *quæsivimus* & sine nostra *expressa* renunciatione, aliave alienatione amisimus, speculatio illa scholastica non procedit. Quia etiam de jure naturali, *quæsitum jus difficilius amittitur & remittitur, quam quærendum*, arg. l. 6. in pr. ff. quæ in fraud. cred. Jure igitur nat. hoc casu nihil juvante, ex solo jure positivo humano de præscriptionibus dictato, decidenda res est.

915. Ad IV.) Est falsa persuasio. Dominia enim non transferuntur in alios per subauditos sensus & conjecturas: sed *facto* domini ipsius, vel *legis dispositione* supponente culpam possessoris, vel aliam justam causam, §. *ult. Inst. de his, qui sui vel alieni jur.* Demum in *dubiis circa rem alteri adimendam tutior pars est eligenda*, arg. *l. si fuerit* 10. *§. ult. ff. de reb. dub.* Porro tutius est, ut in proposito casu omissa subtili divinatione de animo domini, quasi hic se jam abdicaverit rei suæ, diligentissima fiat inquisitio, ad quem res spectet, demum, si dominus investigari nequeat, observandæ erunt conditiones ad præscriptionem a jure positivo designatæ.

916. Ad V.) Titulus *pro derelicto* de jure *naturali* nullus datur alius quam *verus*, ac proin titulus ex longa taciturnitate *præsumptus pro derelicta* re, quam detinemus, *sistendo in*

*solo*

*solo jure nat.* ut volunt A.A. nullius momenti est, nec ullo juris textu nititur; imo ipsi contrarii videntur hic *a n.* 902.) Ac proin frustra *Grotiani* sequaces, in suæ opinionis auxilium citant totum titulum *ff. pro derelicto*. In octo enim legibus, quas titulus hic continet, nullibi reperitur *naturalis* tituli *pro derelicto* divisio in *verum* ac *præsumptum*, multo minus etiam ibidem reperire est distinctionem illam, cujus ope respondent: *Titulus* pro derelicto *si verus sit, impedit præscriptionem, nam res vere derelicta* statim *fit occupantis: non autem impedit præscriptionem, si fuerit* præsumptus, *quia* &c. Affectatæ hujus responsionis falsitas evidenter patet ex *l.* 1. *ff. pro derelict.* ibi: *si res pro derelicto habita sit*, NB. STATIM *nostra esse desinit*, & *occupantis statim fit*; igitur etiam juxta legem ex Digestis per eos adductam, manifeste patet, *sistendo in solo jure naturæ*, titulum *pro derelicto* nullum dari alium quam *verum*, eumque obstare præscriptioni, cum res *statim* fiat *occupantis*, nec opus sit fluxu temporis, ac alio titulo justo &c. Dein *lex* 2. *ff. cit. tit.* ait: *Pro derelicto rem a domino habitam* NB. *si SCIAMUS, possumus adquirere*. Ecce! dicit lex: *si sciamus*: non, ut Adversarii volunt: *si probabiliter conjectemus*. Concordat *l.* 4. & *l.* 6. *ff. eod.* ubi declaratur eum non posse *pro derelicto usucapere, qui falso existimaverit rem pro derelicto habitam esse*.

917. Et licet forsan *Grotiani* saltem ex his ultimis; nempe *quartæ* & *sextæ* legis adductis verbis blandiri sibi posse videantur, eo quod in citatis textibus mentio fiat *usucapionis* ex titulo *pro derelicto*, unde contra nostram responsionem non obscure concludi posse videtur: titulum *pro derelicto* non opponi præscriptioni. Nihilominus blandimentum hoc vanum est. Quia titulus *pro derelicto*, de quo citata lex *quarta* ac *sexta* loquitur, cum non *statim* transferat jus proprietatis in occupantem, est titulus acquirendi dominii a *solo jure civili* proveniens, Schneidevv. *ad* §. 47. *J. de R. D.* Harpr. *ibid. n.* 4. pariter ac usucapio, de qua eædem leges mentionem faciunt, est juris civilis: Porro *Grotianorum* opinio *sistendo in solo jure naturali* nititur nobis duo persuadere: *primum*, quod præscriptio pariter ac prima bonorum divisio, *independenter* a jure Gentium & civili *DICTATA* sit a lege naturali. *Secundum*: quod spectato eodem *naturali jure* sine recursu ad jus positivum, duplex detur rerum occupatio *pro derelicto*; una ex derelictione *vera*, altera autem solum ex *pro-*

ex *probabiliter præsumpta*; atque in confirmationem horum adduxit totum titulum *ff. pro derelict.*

918. In contrarium vero ostendimus, in cit. Digestorum titulo, sicut & §. 47. *Inst. de R. D.* unicum & *solum* esse *naturalem* occupationis *pro derelicto* modum illum, qui est *verus*, alium vero *naturalem præsumptum* quem sibi A. A. imaginati sunt, dari nullum dicimus, qui præscriptionem non impediat. Juste autem *pro derelicto, præsumptum* titulum *jure civili* introductum, qui usucapionem admittit, dari, omnibus in confesso est, verum hic creatura juris positivi, sicut & ipsa præscriptio, quæ sine ullo vix concipi posset, Hænon *ad ff. disp.* 10. *th.* 5. *Lit. C.* Gothofr. huic *ad* §. 47. *J. de R. D.* Neque enim Jus Naturale potuit titulo huic determinare certum *tempus*, & alias conditiones *specificas*.

919. Quodsi vero Adversarii justificantes opinionem suam, adhuc a jure Civili introductum acquirendi modum *pro derelicto præsumptum* recurrunt, evidenter convincuntur frustra se asseruisse præscriptionem esse *a Jure naturali DICTATAM*, idque se probaturos obtulisse *sistendo in solo jure naturali*, siquidem titulum acquirendi prædictum jure *positivo* inventum vocare in suppetias velint; hac quippe ratione necessario confiteri debent, sicut titulum illum *juste præsumptum* præscriptioni non resistentem, ita & ipsam præscriptionem solius positivi juris esse creaturam, qualem Jus nat. nunquam præcepit, dictavit, aut introduxit.

920. Ad VI.) Quod distinctio dominiorum & rerum ac Nationum divisio, non naturali, ut vult contraria opinio, sed mero Gentium jure facta fuerit; plusquam certum videri hic potest *a n.* 774.) huic igitur paritati innixa assertio de præscriptione naturali jure introducta, ruit simul cum suo fundamento. Neque eem juvat, quod sui Patroni affirment illam *DICTATAM* fuisse *a lege. naturali*. Nam quæro, quem in modum dictata fuerit; utrum per modum *præcepti*, vel *consilii* tantum, aut mere *permissive*, seu ut ajunt, pure negative? Non *per modum præcepti*: quia neque primam rerum divisionem præcepit fieri, ut liquet ex *n.* 766.) Et aliunde certum est, jus nat. non *præcipere*, nisi actus humanos *intrinsece* bonos, nec *prohibere* alios quam *intrinsece* malos, *n.* 668.) Porro divisio rerum vel ejus omissio, pariter ac præscriptio, *de se* ac *intrinsece* est quid *indifferens*; Quod autem ex circumstantiis possit aliqua in

illis

illis oriri bonitas vel malitia, v. g. mere *civilis*; si nempe bonorum incertitudo inde sequatur: id minime ad jus naturæ: sed potius ad *Politiam*, & jus *positivum* humanum, ut provideat, refertur. Nec obest, quod Jus nat. præcipiat pacem & tranquillitatem mutuam inter genus humanum conservandam: inde enim non posse inferri ab eo præceptam fuisse rerum divisionem, & præscriptionem constat *a n.* 783.)

921. Quodsi demum *lex*, seu potius *ratio naturalis* mere *consulendo*, aut pure permittendo *dictavit* introducendam præscriptionem: nondum sequitur hanc esse juris naturalis. Omnes quippe leges positivas humanas a naturali ratione dictatas esse minime ambigimus, alioqui non haberent vim obligandi, siquidem non a recta ratione procederent: Et tamen hæ simpliciter positivæ sunt, per ea quæ diximus *n.* 140. *in fin.*) Neque enim *lex naturalis*, & *ratio naturalis* idem sunt, ut falso supponunt AA. vid. *n.* 72. & 118.) Demum, actus ex Juris naturalis *consilio* vel *permissione* pura provenientes fieri juris mere positivi, quoties formam a jure hoc assumpserunt, indubitata veritas est, & demonstrata a nobis, supra hic *a n.* 41. & 69.)

922. Ad VII.) Præscriptio recte quidem allegatur etiam ab illis populis, qui *solo jure naturali* diriguntur, & Jus Gentium ignorant, vel contemnunt: contra illam tamen recte etiam alii populi excipiunt, nisi fuerit consuetudine vim legis positiva habente inter illos firmata. Jus enim nat. neque præscriptionem præcepit unquam, neque tempus eidem aut possessionem determinavit. Hæc enim cum spectent ad felicitatem hominum mere *civilem*, ac extrinsecam, non poterant esse objectum legis nat. sed ad status Politicos, ac Oeconomicos, Civilesque semper reducebantur. Plura de his §. *seqq.*

923. *CONCLUDES*: Præscriptionem, quo ad suam *originem*, esse non Naturalis, sed *Gentium Juris* ut constabit ex *seq. qu.* formam autem suam debere Juri civili: atque hinc eam *simpliciter* dicendam esse *Creaturam solius juris Civilis* arg. *prin. Inst. de Usucap.* ac §. *ult. Inst. de usu & habit. in fin.* Denominatio enim actuum non ab origine: sed a forma provenit, *l. Julianus* 9. §. *sed etsi* 3. *ff. ad exhibend.* ac *l.* 8. §. 17. *ff. de transact.* Et quia illa *solam correctionem*, quo ad bonam fidem *semper* habendam, debet Juri Canonico; inde fit, quod eam non affirmemus *creaturam* etiam hujus

jus juris. Sola enim correctio *perficit* quidem, sed præsupponit jam in se existentem actum; vel jus aliquod; ac proin non dat illi substantiam & esse formale; *arg. l. ejus qui in Provincia* 41. *verf. quoniam, ff. si cert. petat.* Atque adeo Præscriptio *esse suum* debet Juri civili: *perfectionem* autem *majorem* profitetur se habere a Jure Canonico; *inventis* enim *facile fuit addere*.

## §. II.

*Utrum detur Præscriptio inter Gentes: Et an hæc proveniat ex Jure Gentium* legali, *ita, ut eidem originem suam debeat Præscriptio etiam* Civilis?

## SUMMARIUM.

924. *Affertur opinio negans Præscriptionem inter Gentes.*
925. &c. *Defenditur Affirmativa. Et probatur* I.) *Ex Authoritate statuum Rom. Imp. tum Doctorum judicio, demum ex S. Scriptura.* II.) *Ex ratione.* III.) *Ex Legibus &c.*
938. *Respondetur contrariis. Exponitur* Lex XII. Tabul. & *ostenditur* legem præscriptionis *longe* antiquiorem *esse Jure Civili nedum* Romano: *sed etiam* Græcorum.
939. *Præscriptionis inter Gentes* necessitas *respicit* externam *earum felicitatem.*
940. *Forma Præscriptionis* inter Gentes *diversa* à Civili.
941. *Consensus Gentium in illam explicatur.*
942. &c. *Exponitur, cur S. R. Imperium & alia Regna possint adhuc avulsa sua repetere.*
946. *Ostenditur rationabilem consensum Gentium fuisse in Præscriptionem.*
947. *Signa hujus consensus inducuntur.*
948. &c. *Quomodo subditi jus Majestatis præscriptione suum faciant?*
950. *Illa quando habet vim juris Gentium? & ubi forum circa illam?*
951. &c. *Reliqui modi derivativi, & Officia ex dominio proponuntur.*

942. NUllum videtur habere locum Præscriptio inter duos v.g. aut plures populos liberos, aut Reges

ges, populumve unum liberum & ejus Regem: Imo nec inter Regem quidem, & privatum ipsi non subditum, nec inter duos diversorum Regum aut populorum subditos: consequens autem est; ut Præscriptio non proveniat a Jure Gentium *legali*, neque eidem originem suam; sed soli Juri Civili debeat, a quo etiam formam derivavit; Pró- ut cum innumeris aliis tradit Balbo *de Præscr.* 1. *part. princip. q.4. n.4.* Conringius *l.2. c.1. §.2. de finib. Imper.* Vasquius *illust. quæst. l.11. c.51. n.28.* Schneidevv. *ad tit. Inst. de usucap. in princip. n.10.* Franz. *ibid. n.6.* & alii, sequentibus ducti motivis.

I.) Quod pro hac negativa opinione stet auctoritas Imperatoris in *§. ult. Inst. de usu & habit. in fin.* ac etiam *pr. Inst. de usucap.* præscriptionem inter *modos* acquirendi *Civiles* referentis. II.) Quia nulla est necessitas, & nullus posset dari effectus hujus Præscriptionis inter Gentes liberas: vel enim Populus aliquis liber continuat possessionem a prima rerum divisione; vel jure belli justi, aut per pacta conventa cum alio Populo libero possidet aliquam Provinciam: & in his singulis casibus non est opus præscriptione, quia jus proprietatis *statim* fuit quæsitum; vel demum injuste occupavit a longo tempore, & *coacta pace* obtinuit; atque hoc casu præscriptio ob defectum bonæ fidei nunquam ei proderit, ut patet in Turcarum tyrannide, quæ Christianos tot Regnis spoliavit. III.) Jus Gentium nec *tempus*, nec *possessionem*, nec *titulum*, neque *bonam fidem* determinat: jam vero determinatio Civilis a Gentibus liberis non attenditur: igitur præscriptio hæc potius turbaret Populorum tranquillitatem, & daret ansam litibus & bellis, ex quo qualibet natio interpretaretur illam pro suo arbitrio, & una affirmante se jam præscripsisse aliquam Provinciam, negaret altera. IV.) Licet forte pro bono Gentium publico expediens foret modus transferendi dominii per præscriptionem, nondum sequitur, quod detur. Nam nequit probari ejusmodi pactum mutuum inter Gentes, Imo, V.) teste Vasquio *l. c.* moratissimæ Gentes, qualis est *Hispana*, *Gallica*, *Austriaca* &c. præscriptiones contra se nullas agnoscunt, neque credibile est eas admissurum Imperatorem *Sinarum*, *Turcarum*, *Persarum*, etsi jus Legatorum omnes recipiant, & agnoscant. Hinc Carpzovius *de Capitulatione Cæsarea* 9. *Cap. 7.* ait; Imperatorem per promissum Capitulationis de terris ab Imperio avulsis reducendis, obstri-

obstrictum esse ad eas recuperandas *sine restrictione ad tempus ullum:* rationem reddens hanc: *Rem bello repetere meræ facultatis est, cui NULLA PRÆSCRIPTIO opponi potest. Et quæ vanitas, præscriptionem pro Imperii salute inventam, Imperii hostibus in pestem Imperii substernere?* Porrò VI.) Capitulatio hujusmod i Cæsarea, & de illa articulus *decimus* Constitutionis *Carolinæ*, redderetur frustraneus: VII.) Præsumi nequit Gentes liberas in diminutionem suæ libertatis, vel Reges in præjudicium Regni proprii in modum acquirendi dominii per *præscriptionem* unquam consensisse; nemo enim præsumitur jus suum jactare: igitur deest Gentium consensus necessarius ad jus Gentium constituendum. VIII.) Dato quod Præscriptio sit *origine* sua *Juris Gentium*; poterit præscribi à Principe contra libertatem Populi; pro summa potestate: igitur pari jure præscribi a Populo poterit contra potestatem Principis summam pro libertate: porro id falsum est; ut probat *Grotius*, quia subditus est subjectum incapax Majestatis, & Majestas est incapax præscriptionis, utpote extra commercium; neque adesse potest *bona fides* in subditis, quales ignorare se nequeunt. Nequit etiam adesse *titulus* Imperii translativus in præscribentes, *utpote conditione subditos* &c. &c. His tamen aliisque non obstantibus,

925. Longe verisimilius est, Præscriptionem *debite completam* olim habuisse, & hodiedum habere locum etiam inter diversos Populos liberos; ita ut fundet Jus Gentium legale, illique merito debeat originem suam *moderna* usucapio, per Jus Civile ad formam *in specie*, seu particularem reducta.

Præter rationum momenta è visceribus causæ hujus mox afferenda, pro existentia Præscriptionis inter diversas Gentes I.) argumentum suppeditat nedum eruditissima Doctorum; sed etiam variorum, ac præcipue S. R. Imper. Statuum publica; eaque summe veneranda Auctoritas: *Primo* enim, uti probat Struvius *in Corpor. Jur. Publ. c. 4. §. 18.* per *Præscriptionem* Jura & exemptiones S. R. Imperii contra finitimos Populos erant confirmata, ac ut pleræque Provinciæ & Status *Livoniæ* qua á Polonis; qua Lithuanis & Moscis tunc non ita pridem quæsiti; redirent ad Imperium Rom. cui olim subjecti erant; medium *Præscriptionis immemorialis* aptissimum visum est ex parte Rom. Imperii, Possessoribus illis opponendum. Quam ob rem

(ait

( ait Struv. *l. c.* ) sæpius deliberatum fuit, ut ad Imperii apicem posſent reduci, atque ita Imperium redintegrari. Factum id in Comitiis VVormatienſibus An. 1521. §. XXX. XXXI. sub Maximiliano II. ac in Comitiis Auguſtanis, A. 1566. §. CXXIV. & Ratisbonenſibus, Anno 1576. §. CVII. atque in Capitulationibus Caroli V. *Art.* IX. Ferdinandi I. *Art.* VIII. Maximiliani II. *Art.* IX. Ferdinandi II. *Art.* VIII. Ferdinandi III. & IV. *Art.* IX. Leopoldi & Joſephi *Art.* XII. Caroli VI. *Art.* V. XI.

926. *Secundo*. Cum elapſo ſæculo per famoſas cameras reunionum *Gallia* multas ditiones *Alſaticas* ſibi jure avito debitas conquireret, non aliam exceptionem oppoſuere Imperii ſtatus, quam titulum *Præſcriptionis*, dicentes: *Iniquum fore, Status immemoriali, & plurium ſæculorum poſſeſſioni innixos, ad editionem titulorum ſuorum, contra omnia jura cogere; hoc enim modo NB. totius orbis poſſeſſiones & rerum dominia incerta reddi*. Ita concluſum fuiſse An. 1680. in Comitiis *Ratiſbon.* teſtatur Londorpius *Tom.* 11. *fol.* 81.

927. *Tertio*. Eundem loquendi ſtylum imitati ſunt Eruditi viri, ubi de hac Præſcriptione loquuntur. Ita quippe Ferdinandus Vaſquius *illuſt. q. l.* 2. c. 51. §. 16. aſserit: *Probatio dominii terræ eſſet pene impoſſibilis, ſi removerimus præſcriptionem, niſi quis oſtenderet NB. teſtamentum primi Parentis Adami, quo quodpiam forte prędium, aut prędia ſibi relicta fuiſſe appareat. Aliter enim etſi probet ſe emiſse, parum juvat; cum per hoc non appareat, an venditor dominus fuiſſet; nec potuerit vendens plus juris in emptorem transferre, quam ipſe haberet* &c.

928. Et quamvis hoc loco *Vaſquius* proteſtetur ſe loqui de præſcriptione *ſola Civili*, quam *omnes omnino admittunt*, non vero de *Gentium* jure introducta, quam ille rejicit. Nihilominus inconſequentia ſuæ doctrinæ proteſtationi eſt contraria. Ratio enim, propter quam ille admittit Præſcriptionem inter perſonas *privatas* ejuſdem Imperii vel Regni debere locum habere, & laudabiliter approbatam, *ſpecialique* forma a jure Civili donatam fuiſse, hæc ipſa potiorem locum habet etiam, ut inter Gentes idem acquirendi dominii modus induceretur, ne ſcilicet dominia manerent incerta, & cum *externæ* felicitatis tranquillitatiſque publicæ damno Genus humanum perpetuis fluctuaret litibus, bellis & rapinis.

Quo etiam facit, quod idem *Vaſquius*, quoad excluſionem

nem Præscriptionis inter Gentes liberas, pariter ac ejus sectator *Frider. Hornius* felicissime castigati ac refutati sint, post alios, ab Achille Epstein *in Annotationibus suis p.* 521. *& seq.* adeo ut opinioni hic assertæ, a leone superato & mortuo nil jam timendum sit.

929. *Quarto*. Adductis pro hac sententia testimoniis sua sponte accedunt alii Eruditi, qui Præscriptionem suo modo, & nondum ad certam speciem (uti nunc de jure Civili reductam experimur) extitisse inter Populos legum Romanarum etiam adhuc ignaros, attestantur, & quidem ita, ut licet illa non sub *præscriptionis*, aut *usucapionis* expresso; bene tamen sub tacito, & ei *æquivalente* nomine, in usu semper fuerit, modo *consuetudine* modo *longævæ possessionis* vocabulo appellata. Ita quippe Cicero *L.* 2. *de offic.* pro emolumentis temporis immemorialis possessorum perorat: *Quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam sæculis ante POSSESSUM qui habuit, amittat?* Lacones quoque referente *Livio* l. 32. tanquam certissimum, & apud omnes Gentes confessum existimabant; *possessiones publicas non minus quam privatas multo tempore ita firmari, ut rehaberi nequeant*. Hinc Isocrates ad Philippum, teste Livio *l. c.* dixisse pro *Archidamo* fertur, avulsam Provinciam repeti non posse: *cum firmam stabilemque possessionem longa dies reddidisset*. Et perhibente Grotio *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 4. §. 2. Sulpitius contra Antiochenum disputans, ostendebat, iniquum esse, ut: quod populi Græci in Asia aliquando serviissent, id jus post aliquot sæcula eos revocandi in servitutem quidpiam proficiat.

930. *Quinto* Majorem adhuc auctoritatem præbet attestatio S. Scripturæ. Nam Judicum *c.* XI. *v.* 13. 15. *&* 26. Cum Rex Ammonitarum terram *a finibus Arnon usque Jaboc & Jordanem* versus protensam, jamque tempore longævo ab Israelitis possessam vindicare præsumeret, dicens ad Jephte Israelitarum Ducem: *nunc ergo cum pace redde mihi* eam; Jephte non alio exceptionis usus est auxilio, quam immemorialis ac pacificæ possessionis. Hoc quidem argumentum sugillat Osiander *in annotat. ad Grot. c.* 2. §. *cit.* asserens, *Jephte* non exceptionem ex usucapione, sed donationem Divinam opposuisse Regi Ammonitarum: Constat enim, ait ille, quod DEUS terram Ammon simul cum aliis, jure supremi sui & absolutissimi dominii populo Israelitico attribuerit; unde etiam *Jephte* in cit. Judic. *c.* XI. *v.* 15.

*v.* 15. *& seq.* respondisse legitur: *Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon: sed -- tradidit Dominus in manus Israel universos fines ejus de Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem.*

931. Verum fallitur Osiander, licet enim *Jephte* initio controversiæ hujus primam exceptionem Regi Ammonitarum opposuerit ab auctoritate Divina ejusque donatione Israeli facta, ubi tamen percepit, Regem Ethnicum non intelligere, vel contemnere exceptionem ex jure Divino ejusque dispositionibus petitam, illico ad captum hominis Gentilis pro Israelitico populo peroraturus, ad Gentium consuetudinem seu (ut hodie loquimur) præscriptionem se convertit, immemorialem possessionem opponens, Judic. *cit. c. v.* 26. his verbis expressam: *quando habitavit* (Israel) *in Hesebon, & vinculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis Civitatibus juxta Jordanem NB. PER TRECENTOS ANNOS, QUARE TANTO TEMPORE NIHIL SUPER HAC REPETITIONE TENTASTIS?*

932. Ecce! demonstrata veritas propositæ Assertionis nostræ, quod scilicet longe ante Juris Civilis introductionem fuerit inter diversas Gentes usucapio sub schemate *immemorialis possessionis*, seu *consuetudinis* præscriptivæ. Quod etiam liquet ex *cit. c. v.* 27. Postquam enim *Jephte* immemorialis possessionis exceptionem opposuit, nec tamen Rex Ammonitarum a denunciato sibi bello recessit, ille e vestigio contra injustam aggressionem hanc protestatus est dicens: *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, INDICENS MIHI BELLA NON JUSTA.* Protestatio hæc docet, iniquum esse bellum, si instituatur pro recuperanda Provincia, quam Gens altera a 300. vel 400. annis possidet, NB. neque tanto tempore ullus intercessit *actus diligentiæ*, qui vim *protestationis publicæ*, aut *attentati* alicujus haberet; alioqui in *pacifica* possessione censetur completa esse præscriptio immemorialis inter Gentes. Vide Alphons. Tostatum *ad Cap. XI. Judicum* supra *cit.*

933. *Sexto.* Nec mirum sit quod *Didacus Saavedra* apud *Ackelium* de præscript. immemor. c. 1. th. 15. ait: *Pro omnibus quotquot sunt, Regnis, hodie communi Populi consensu immemorialis possessio militat.* Rationem hujus afferens: *Toto enim Orbe penitus exulare deberet pax, si coram tribunali temporis regna atque dominia legitimum, quo nituntur,*

*titulum non reddidisset. Vix enim Gens, quæ a se ipsa acceperit supremam potestatem, illamque ab alia potentiore mutuata non sit, poterit reperiri.*

934. Demum II.) Momentum præbet ratio intrinseca satis jam ex adductis testimoniis perspecta, quam ipsa Gentium juris definitio solidius adhuc declarat. Nam juxta *n.* hic 676.) Juris gentium (dicente Justiniano) est; *quod exigentibus necessitatibus humanis; & utilitatibus suadentibus, usu & moribus omnium, aut pene omnium Gentium introductum est*, & introduci debuit: Atqui talis est Præscriptio; partim quia eam *introductam* fuisse probant adducta jam testimonia, partim quia *introduci debuit*. Prout enim ostendimus *an.*729.) quidnam sit, vel non sit Juris Gentium, desumi id debet, inter alia, ex communi *utilitate*, vel *necessitate* inter omnes, aut saltem *fere* omnes Gentes: porro vix aliquid *utilius*, & magis *necessarium* fuit ad *externam* felicitatem publicamque pacem & tranquillitatem Gentium, quam fuerit & sit præscriptio. Illa enim inter Populos exclusa, nulla amplius dominiorum unquam mansisset certitudo: Et cum olim Romano v.g. Imperio Africa majorque pars Europæ, ac finitimarum regionum servierit, Gentes illæ juris civilis Romani expertes, quæ a mille & infra annis avulsa Regna ac Provincias hodiedum *pacifice* possident, remoto præscriptionis immemorialis auxilio; nulla ratione de juris sui competentia certæ forent, minusque proin tranquillæ viverent, vel ditiones possessas cultivarent; utpote continuo metu agitatæ ne forte aliquando titulum possessionis suæ probare cogantur &c.

935. Huc facit III.) quod juxta *n.*774.& 780. occupatio & divisio Gentium jure fuerit introducta, manifestum præbente argumentum *Can.*9. *dist.*1. ubi dicitur: *Jus Gentium est sedium OCCUPATIO*, concordat *L. Ex hoc jure* 5. *ff. de J. & J.* ac *L. Quorundam* 1. *ff. de A. R. D.* Porro per verba *Sedium occupatio*; juxta Gloss. & ibid. DD. nedum prima rerum *divisio* & *occupatio* terrarum intelligitur: sed etiam *omnis possessio* sive statim *ab initio justa*; sive temporis immemorialis decursu per *pacificam* sui continuationem *justificata*; ita ut licet illa temporum successu per Jus Civile vel Canonicum ad meliorem formam reducta & circumscripta sit, nihilominus originem suam saltem *in confuso* & generice consideratam a Gentium jure derivet.

Recte igitur Card. Bellarm. *l.*5. *de Pontif. Rom. c.*9. probatu-

baturus valorem donationis Constantinianæ, ait: *Etiamsi nihil præterea extaret, abunde sufficeret 800. annorum Præscriptio. Nam etiam Regna & Imperia per latrocinium parta & acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioqui quo Jure Julius Cæsar occupavit Romanum Imperium? Et tamen tempore Tiberii ait Christus Math.22. Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quo jure Franci Galliam, Saxones Brittaniam, Gothi Hispaniam invaserunt? Et tamen quis hoc tempore Regna ab illis constituta illegitima diceret?* Hæc Bellarminus.

936. Atque præter citatos, huic sententiæ adhærent Suar. *in defens. fidei Cath. l.3. c.2. a n.20.* ac *de LL. l.8. c.34. n.10.* Ludov. Gonzaga, qui in *præfat. ad coronam Gothicam*, Henrico Regi Galliæ opposuit: *Principes, si rogentur, quo titulo tot Provincias possideant, aliud, quod respondeant non habere, quam eas antea a Parentibus accepisse, & si lex sit, ut Principes, quæ a Majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerosque, qui nunc late regnant, reductum iri.* His subscribunt Puffendorf. *de J. N. & G. l.4. c.12. §.11.* Joan. VVolffgang. Textor. in *Synops. Jur. Gent. c.9. n.24.* Schvveder. *Introd. ad Jus publ. par. special. Sect.2. c.20.* Ockel *de Præscr. immemor. c. 1. th.13.* Brunnem. *Comment. ad ff. de usucap. L.1.* Frid. Ininger. *disp. de Domin. d.3. q.2. a.2.* Amadeus Eckoldt *de Præscript. §.7.* Braun *pr. Jur. Can. ad eund. tit. f. m 100.* Illustr. L. B. de ICKSTATT *Elem. J. G. Lib.3. c.3. §.18.* Quorum aliorumque omnium eadem motiva ratio est; quia scil. admisso quod Præscriptio sit legitimus acquirendi modus de jure Civili: eadem publici boni ratio a fortiori suadet, inter Gentes qua tales, post longam possessionem certum denique dominium acquiri &c.

937. Juste proin Purpurati S. R. E. Patres, cum litiones quædam Romanæ Ecclesiæ velut Imperio male ereptæ impeterentur, in literis publico datis *Anno 1708. d.12. Augusti* responderunt, *in præcipuum titulum longævam possessionem, diuturnitatem temporis*, atque hinc titulum præscriptionis *jure Gentium* stabilitæ opponentes.

## *SATISFIT CONTRARIIS.*

938. Ad I.) Auctoritati Imperatoris & legibus adductis salva constat sua ratio. Ibi enim docemur potius Præscriptionem Jure Gentium introductam esse, solam autem de-

 ter-

terminationem formæ ( de qua sermo cit. loc. procedere intelligendus est ) ex jure civili derivatam haberi. Confer *n.* 923. & 935. ) Quibus adde; quod *Lex XII. Tabularum* a Romanis Decemviris ex Græcia legum cultura tunc præ primis florente petita, & in duodecim postea Tabulis ante Rostra publice proposita, perpetuitatisque causa æri demum incisa, omnis Romani Juris caput & primus fons extiterit; Atqui inter alias leges duodecim Tabulis insertas erat lex *præscriptionis*, quæ extabat in tertia parte legum XII. Tabularum sub titulo: *de jure privato*, eatque in numero 38. his verbis concepta: *Usus & auctoritas fundi biennis, ceterarum rerum annuus esto*. Videri potest hæc lex apud Ciceronem in Oratione *pro Cæcina*; *& in Topicis ad Trebatium*. Sensus autem citatæ legis hic erat: Adeptio dominii per continuationem possessionis, temporis annui est in rebus mobilibus, biennii vero in rebus immobilibus. Hanc legem Justinianus *Inst. de Usucap.* §. *Jure civili & seqq.* correxit, voluitque tempora usucapionibus esse longiora, scilicet, ut res quidem mobilis per *triennium* usucaperetur: immobilis vero inter præsentes *decennio*, inter absentes 20. *annis*.

Ex his autem patet, legem *præscriptionis*, priusquam locis citatis a Justiniano inter leges Romani Imperii cooptaretur, jam in Græcia viguisse: est itaque *antiquior* Lege XII. Tabularum Romanarum, & Jure Civili. Illam enim *Draco*, *Lycurgus* & *Solon* in Græciam non aliunde introduxerunt, quam quod probe norint eam vigere *inter Gentes*, verum quia *confuse* solummodo ac in genere tantum dabatur inter diversos illos populos, hinc illi primi Legislatores pro sua Græcia, etiam quoad *privatorum* utilitatem eam inducentes, temporis determinatione limitarunt, quam limitationem Justinianus in Jure Romano, tum demum alii Legislatores perfectiorem reddiderunt. Vid. Cic. *l.* 1. *de Orator.* & *l.* 2. *de LL.* tum Ant. Agg. *Tarracon. Archiepiscop. ad leges XII. Tabular.* Azor. *Inst. l.* 6. *c.* 63. *ad leges cit.* Adversariis igitur defectus notitiæ historicæ ansam contradicendi assertæ a nobis sententiæ dedit.

919. Ad II. ) Necessitas & utilitas præscriptionis inter Gentes, quas objiciens a nobis requirit, relucet jam in probationibus *a n.* 934.) Præscriptionem itaque assertam dicimus esse necessariam & utilem Gentibus ad *externam* vitæ hujus felicitatem, pacem & quietem publicam. Nisi enim ex

ex longæva possessione Regnorum, Provinciarum, Urbium etiam *iniquo* sæpe titulo, *injusto* frequenter Marte, *violenta* interdum occupatione acquisitarum admittamus possessoribus stabilem proprietatem; vix Gens aliqua; populus aut natio ab impugnatione & infestatione bellica immunis erit. Imo usucapione prædicta è medio Gentium sublata; neque *justissime* sive jure belli; sive emptione-venditione; sive aliter quæsita dominia longam quietem polliceri possessoribus deberent; nam hi etiam *ad probandum* possessionis *titulum* compelli alioquin possent, qui tamen post exusta archivia, deperditas tabulas, sæculorum fluxu ac temporum inclementia in cineres redacta instrumenta; difficillime probare eum scirent. Instantiam de Turcis allatam nullius esse roboris momentum constabit ex dicendis ad V. & VI. objectionem.

940. Ad III.) Jus Gentium non determinat quidem tempus nec alias conditiones *juxta præsentem formam & usum* à Jure Civili & Canonico requisitas: determinat tamen tempus & *alia ad formam & usum Gentium communem* necessaria. Neque enim hic procedit quæstio de præscriptione; prout hæc in *sua specie infima* determinatur à Jure Civili & Canonico; sed potius prout deberet dari aliquis saltem *in genere* &, *latius* sumptus modus, ita acquirendi dominii, juris, vel libertatis, ut *alicujus* temporis privilegio tollatur omne impetitionis periculum, quod creare alias posset v.g. Gens illa, quæ ante 1000. circiter annos in possessione fuit. Et hoc sensu Jus Gentium determinat *tempus immemoriale*, cuivis notum; pro titulo autem *possessionem bonæ fidei*, utpote in rei derelictione tacitâ vel præsumpta, & juxta dicta *præced.* §. jure Gentium introducta, fundatam: quod requisitum *bonæ fidei* eodem quoque Gentium jure introductum esse ambigi nequit; cum manifestum sit, per se nullam rem *mala fide* possideri. Nec refert; quod forte primus possessor v.g. ante 800. annos *mala fide* inchoaverit possessionem; nam *per tot sæcula* in ejus succedaneis præsumitur purgatus ille defectus per possessionem immemorialem eamque *pacificam*; nihil obmovente Gente alia per bella, vel protestationes idcirco in contrarium factas. Et ita experimur etiam consuetudines *contra legem prohibentem* humanam inductas justificari *temporis privilegio* in aliis hominibus eam perficientibus; licet ab initio (seu ut Scholæ loquuntur) *in fieri*; omnino

 mala

obstrictum esse ad eas recuperandas *sine restrictione ad tempus ullum*: rationem reddens hanc: *Rem bello repetere meræ facultatis est; cui NULLA PRÆSCRIPTIO opponi potest. Et quæ vanitas, præscriptionem prò Imperii salute inventam, Imperii hostibus in pestem Imperii substernere?* Porrò VI.) Capitulatio hujusmodi Cæsarea, & de illa articulus *decimus* Constitutionis *Carolinæ*, redderetur frustraneus: VII.) Præsumi nequit Gentes liberas in diminutionem suæ libertatis, vel Reges in præjudicium Regni proprii in modum acquirendi dominii per *præscriptionem* unquam consensisse; nemo enim præsumitur jus suum jactare: igitur deest Gentium consensus necessarius ad jus Gentium constituendum. VIII.) Dato quod Præscriptio sit *origine* sua *Juris Gentium*; poterit præscribi à Principe contra libertatem Populi; pro summa potestate: igitur pari jure præscribi a Populo poterit contra potestatem Principis summam pro libertate: porro id falsum est; ut probat *Grotius*, quia subditus est subjectum incapax Majestatis, & Majestas est incapax præscriptionis, utpote extra commercium, neque adesse potest *bona fides* in subditis, quales ignorare se nequeunt. Nequit etiam adesse *titulus* Imperii translativus in præscribentes, *utpote conditione subditos* &c. &c. His tamen aliisque non obstantibus,

925. Longe verisimilius est, Præscriptionem *debite completam* olim habuisse, & hodiedum habere locum etiam inter diversos Populos liberos, ita ut fundet Jus Gentium legale, illique merito debeat originem suam *moderna* usucapio, per Jus Civile ad formam *in specie*, seu particularem reducta.

Præter rationum momenta e visceribus causæ hujus mox afferenda, pro existentia Præscriptionis inter diversas Gentes I.) argumentum suppeditat nedum eruditissima Doctorum; sed etiam variorum, ac præcipue S. R. Imper. Statuum publica; eaque summe veneranda Auctoritas. *Primo* enim, uti probat Struvius *in Corpor. Jur. Publ. c. 4. §. 18.* per *Præscriptionem* Jura & exemptiones S. R. Imperii contra finitimos Populos erant confirmata, ac ut pleræque Provinciæ & Status *Livoniæ* qua à Polonis, qua Lithuanis & Moscis tunc non ita pridem quæsiti, redirent ad Imperium Rom. cui olim subjecti erant; medium *Præscriptionis immemorialis* aptissimum visum est ex parte Rom. Imperii, Possessoribus illis opponendum. Quam ob rem (ait

( ait Struv. *l. c.* ) sæpius deliberatum fuit, ut ad Imperii apicem posſent reduci, atque ita Imperium redintegrari. Factum id in Comitiis VVormatienſibus An. 1521. §. XXX. XXXI. ſub Maximiliano II. ac in Comitiis Auguſtanis, A. 1566. §. CXXIV. & Ratisbonenſibus, Anno 1576. §. CVII. atque in Capitulationibus Caroli V. *Art.* IX. Ferdinandi I. *Art.* VIII. Maximiliani II. *Art.* IX. Ferdinandi II. *Art.* VIII. Ferdinandi III. & IV. *Art.* IX. Leopoldi & Joſephi *Art.* XII. Caroli VI. *Art.* V. XI.

926. *Secundo*. Cum elapſo ſæculo per famoſas cameras reunionum *Gallia* multas ditiones *Alſaticas* ſibi jure avito debitas conquireret, non aliam exceptionem oppoſuere Imperii ſtatus, quam titulum *Præſcriptionis*, dicentes: *Iniquum fore, Status immemoriali, & plurium ſæculorum poſſeſſioni innixos, ad editionem titulorum ſuorum, contra omnia jura cogere; hoc enim modo NB. totius orbis poſſeſſiones & rerum dominia incerta reddi*. Ita concluſum fuiſse An. 1680. in Comitiis *Ratiſbon.* teſtatur Londorpius *Tom.* 11. *fol.* 81.

927. *Tertio*. Eundem loquendi ſtylum imitati ſunt Eruditi viri, ubi de hac Præſcriptione loquuntur. Ita quippe Ferdinandus Vaſquius *illuſt. q. l.* 2. c. 51. §. 16. aſserit: *Probatio dominii terræ eſſet pene impoſſibilis, ſi removerimus præſcriptionem, niſi quis oſtenderet NB. teſtamentum primi Parentis Adami, quo quodpiam forte prędium, aut prędia ſibi relicta fuiſſe appareat. Aliter enim etſi probet ſe emiſse, parum juvat; cum per hoc non appareat, an venditor dominus fuiſſet; nec potuerit vendens plus juris in emptorem transferre, quam ipſe haberet* &c.

928. Et quamvis hoc loco *Vaſquius* proteſtetur ſe loqui de præſcriptione *ſola Civili*, quam *omnes omnino admittunt*, non vero de *Gentium* jure introducta, quam ille rejicit. Nihilominus inconſequentia ſuæ doctrinæ proteſtationi eſt contraria. Ratio enim, propter quam ille admittit Præſcriptionem inter perſonas *privatas* ejuſdem Imperii vel Regni debere locum habere, & laudabiliter approbatam, *ſpecialique* forma a jure Civili donatam fuiſse, hæc ipſa potiorem locum habet etiam, ut inter Gentes idem acquirendi dominii modus induceretur, ne ſcilicet dominia manerent incerta, & cum *externæ* felicitatis tranquillitatiſque publicæ damno Genus humanum perpetuis fluctuaret litibus, bellis & rapinis.

Quo etiam facit, quod idem *Vaſquius*, quoad excluſionem

*v.* 15. *& seq.* respondisse legitur: *Non tulit Israel terram Moab, nec terram filiorum Ammon: sed--tradidit Dominus in manus Israel universos fines ejus de Arnon usque Jaboc, & de solitudine usque ad Jordanem.*

931. Verum fallitur Osiander, licet enim *Jephte* initio controversiæ hujus primam exceptionem Regi Ammonitarum opposuerit ab auctoritate Divina ejusque donatione Israeli facta, ubi tamen percepit, Regem Ethnicum non intelligere, vel contemnere exceptionem ex jure Divino ejusque dispositionibus petitam, illico ad captum hominis Gentilis pro Israelitico populo peroraturus, ad Gentium consuetudinem seu (ut hodie loquimur) præscriptionem se convertit, immemorialem possessionem opponens, Judic. *cit. c. v.* 26. his verbis expressam: *quando habitavit* (Israel) *in Hesebon, & viculis ejus, & in Aroer, & villis illius, vel in cunctis Civitatibus juxta Jordanem NB. PER TRECENTOS ANNOS, QUARE TANTO TEMPORE NIHIL SUPER HAC REPETITIONE TENTASTIS?*

932. Ecce! demonstrata veritas propositæ Assertionis nostræ, quod scilicet longe ante Juris Civilis introductionem fuerit inter diversas Gentes usucapio sub schemate *immemorialis possessionis*, seu *consuetudinis* præscriptivæ. Quod etiam liquet ex *cit. c. v.* 27. Postquam enim *Jephte* immemorialis possessionis exceptionem opposuit, nec tamen Rex Ammonitarum a denunciato sibi bello recessit, ille e vestigio contra injustam aggressionem hanc protestatus est dicens: *Igitur non ego pecco in te, sed tu contra me male agis, INDICENS MIHI BELLA NON JUSTA.* Protestatio hæc docet, iniquum esse bellum, si instituatur pro recuperanda Provincia, quam Gens altera a 300. vel 400. annis possidet, NB. neque tanto tempore ullus intercessit *actus diligentiæ*, qui vim *protestationis publicæ*, aut *attentati* alicujus haberet; alioqui in *pacifica* possessione censetur completa esse præscriptio immemorialis inter Gentes. Vide Alphons. Tostatum *ad Cap. XI. Judicum* supra *cit.*

933. *Sexto.* Nec mirum sit quod *Didacus Saavedra* apud *Ackelium* de præscript. immemor. c. 1. th. 15. ait: *Pro omnibus quotquot sunt, Regnis, hodie communi Populi consensu immemorialis possessio militat.* Rationem hujus afferens: *Toto enim Orbe penitus exulare deberet pax, si coram tribunali temporis regna atque dominia legitimum, quo nituntur,*

*titulum non reddidissent. Vix enim Gens, quæ a se ipsa acceperit supremam potestatem, illamque ab alia potentiore mutuata non sit, poterit reperiri.*

934. Demum II.) Momentum præbet ratio intrinseca satis jam ex adductis testimoniis perspecta, quam ipsa Gentium juris definitio solidius adhuc declarat. Nam juxta *n.* hic 676.) Juris gentium (dicente Justiniano) est, *quod exigentibus necessitatibus humanis; & utilitatibus suadentibus, usu & moribus omnium, aut pene omnium Gentium introductum est*, & introduci debuit: Atqui talis est Præscriptio; partim quia eam *introductam* fuisse probant adducta jam testimonia, partim quia *introduci debuit*. Prout enim ostendimus *a n.*729.) quidnam sit, vel non sit Juris Gentium, desumi id debet, inter alia, ex communi *utilitate*, vel *necessitate* inter omnes, aut saltem *fere* omnes Gentes: porro vix aliquid *utilius*, & magis *necessarium* fuit ad *externam* felicitatem publicamque pacem & tranquillitatem Gentium, quam fuerit & sit præscriptio. Illa enim inter Populos exclusa, nulla amplius dominiorum unquam manisfiet certitudo. Et cum olim Romano v.g. Imperio Africa majorque pars Europæ, ac finitimarum regionum servierit, Gentes illæ juris civilis Romani expertes, quæ a mille & infra annis avulsa Regna ac Provincias hodiedum *pacifice* possident; remoto præscriptionis immemorialis auxilio; nulla ratione de juris sui competentia certæ forent, minusque proin tranquillæ viverent, vel ditiones possessas cultivarent; utpote continuo metu agitatæ ne forte aliquando titulum possessionis suæ probare cogantur &c.

935. Huc facit III.) quod juxta *n.* 774. & 780. occupatio & divisio Gentium jure fuerit introducta, manifestum præbente argumentum *Can.* 9. *dist.* 1. ubi dicitur: *Jus Gentium est sedium OCCUPATIO*, concordat *L. Ex hoc jure* 5. *ff. de J. & J.* ac *L. Quorundam* 1. *ff. de A. R. D.* Porro per verba *Sedium occupatio*; juxta Gloss. & ibid. DD. nedum prima rerum *divisio* & *occupatio* terrarum intelligitur: sed etiam *omnis possessio* sive statim *ab initio justa*, sive temporis immemorialis decursu per *pacificam* sui continuationem *justificata*; ita ut licet illa temporum successu per Jus Civile vel Canonicum ad meliorem formam reducta & circumscripta sit, nihilominus originem suam saltem *in confuso* & generice consideratam a Gentium jure derivet.

Recte igitur Card. Bellarm. *l.* 5. *de Pontif. Rom. c.* 9. probatu-

baturus valorem donationis Constantinianæ, ait: *Etiamsi nihil præterea extaret, abunde sufficeret 800. annorum Præscriptio. Nam etiam Regna & Imperia per latrocinium parta & acquisita, tandem longo tempore fiunt legitima. Alioqui quo Jure Julius Cæsar occupavit Romanum Imperium? Et tamen tempore Tiberii ait Christus Math.22. Reddite, quæ sunt Cæsaris Cæsari. Quo jure Franci Galliam, Saxones Brittaniam, Gothi Hispaniam invaserunt? Et tamen quis hoc tempore Regna ab illis constituta illegitima diceret?* Hæc Bellarminus.

936. Atque præter citatos, huic sententiæ adhærent Suar. *in defens. fidei Cath. l.3. c.2. a n.20.* ac *de LL. l.8. c.34. n.* 10. Ludov. Gonzaga, qui in *præfat. ad coronam Gothicam*, Henrico Regi Galliæ opposuit: *Principes, si rogentur, quo titulo tot Provincias possideant, aliud, quod respondeant non habere, quam eas antea a Parentibus accepisse, & si lex sit, ut Principes, quæ a Majoribus usurpata possident, restituere teneantur, ad summas angustias plerosque, qui nunc late regnant, reductum iri.* His subscribunt Puffendorf. *de J. N. & G. l.4. c.12. §.11.* Joan. VVolffgang. Textor. in *Synops. Jur. Gent. c.9. n.24.* Schvveder. *Introd. ad Jus publ. par. special. Sect.2. c.20.* Ockel *de Præscr. immemor. c. 1. th.13.* Brunnem. *Comment. ad ff. de usucap. L.1.* Frid. Ininger. *disp. de Domin. d.3. q.2. a.2.* Amadeus Eckoldt *de Præscript. §.7.* Braun *pr. Jur. Can. ad eund. tit. f. m* 100. Illustr. L. B. de ICKSTATT *Elem. J. G. Lib.3. c.3. §.* 18. Quorum aliorumque omnium eadem motiva ratio est; quia scil. admisso quod Præscriptio sit legitimus acquirendi modus de jure Civili: eadem publici boni ratio a fortiori suadet, inter Gentes qua tales, post longam possessionem certum denique dominium acquiri &c.

973. Juste proin Purpurati S. R. E. Patres, cum ditiones quædam Romanæ Ecclesiæ velut Imperio male ereptæ impeterentur, in literis publico datis *Anno* 1708. *d.*12. *Augusti* responderunt, *in præcipuum titulum longævam possessionem, diuturnitatem temporis*, atque hinc titulum præscriptionis *jure Gentium* stabilitæ opponentes.

## *SATISFIT CONTRARIIS.*

938. Ad I.) Auctoritati Imperatoris & legibus adductis salva constat sua ratio. Ibi enim docemur potius Præscriptionem Jure Gentium introductam esse, solam autem de-

terminationem formæ ( de qua sermo cit. loc. procedere intelligendus est ) ex jure civili derivatam haberi. Confer *n.* 923. & 935. ) Quibus adde; quod *Lex XII. Tabularum* a Romanis Decemviris ex Græcia legum cultura tunc præ primis florente petita, & in duodecim postea Tabulis ante Rostra publice proposita, perpetuitatisque causa æri demum incisa, omnis Romani Juris caput & primus fons extiterit; Atqui inter alias leges duodecim Tabulis insertas erat lex *præscriptionis*, quæ extabat in tertia parte legum XII. Tabularum sub titulo: *de jure privato*, eatque in numero 38. his verbis concepta: *Usus & auctoritas fundi biennis, ceterarum rerum annuus esto*. Videri potest hæc lex apud Ciceronem in Oratione *pro Cæcina; & in Topicis ad Trebatium*. Sensus autem citatæ legis hic erat: Adeptio dominii per continuationem possessionis, temporis annui est in rebus mobilibus, biennii vero in rebus immobilibus. Hanc legem Justinianus *Inst. de Usucap.* §. *Jure civili & seqq.* correxit, voluitque tempora usucapionibus esse longiora, scilicet, ut res quidem mobilis per *triennium* usucaperetur: immobilis vero inter præsentes *decennio*, inter absentes 20. *annis*.

Ex his autem patet, legem *præscriptionis*, priusquam locis citatis a Justiniano inter leges Romani Imperii cooptaretur, jam in Græcia viguisse: est itaque *antiquior* Lege XII. Tabularum Romanarum, & Jure Civili. Illam enim *Draco, Lycurgus* & *Solon* in Græciam non aliunde introduxerunt, quam quod probe norint eam vigere *inter Gentes*, verum quia *confuse* solummodo ac in genere tantum dabatur inter diversos illos populos, hinc illi primi Legislatores pro sua Græcia, etiam quoad *privatorum* utilitatem eam inducentes, temporis determinatione limitarunt, quam limitationem Justinianus in Jure Romano, tum demum alii Legislatores perfectiorem reddiderunt. Vid. Cic. *l.* 1. *de Orator.* & *l.* 2. *de LL.* tum Ant. Aug. *Tarracon. Archiepiscop. ad leges XII. Tabular.* Azor. *Inst. l.* 6. *c.* 63. *ad leges cit.* Adversariis igitur defectus notitiæ historicæ ansam contradicendi assertæ a nobis sententiæ dedit.

939. Ad II. ) Necessitas & utilitas præscriptionis inter Gentes, quas objiciens a nobis requirit, relucet jam in probationibus *a n.* 934.) Præscriptionem itaque assertam dicimus esse necessariam & utilem Gentibus ad *externam* vitæ hujus felicitatem, pacem & quietem publicam. Nisi enim ex

ex longæva possessione Regnorum, Provinciarum, Urbium etiam *iniquo* sæpe titulo, *injusto* frequenter Marte, *violenta* interdum occupatione acquisitarum admittamus possessoribus stabilem proprietatem, vix Gens aliqua, populus aut natio ab impugnatione & infestatione bellica immunis erit. Imo usucapione prædicta e medio Gentium sublata; neque *justissime* sive jure belli, sive emptione-venditione, sive aliter quæsita dominia longam quietem polliceere possessoribus deberent, nam hi etiam *ad probandum* possessionis *titulum* compelli alioquin possent, qui tamen post exusta archivia, deperditas tabulas, sæculorum fluxu ac temporum inclementia in cineres redacta instrumenta, difficillime probare eum scirent. Instantiam de Turcis allatam nullius esse roboris momentum constabit ex dicendis ad V. & VI. objectionem.

940. Ad III. ) Jus Gentium non determinat quidem tempus nec alias conditiones *juxta præsentem formam & usum* a Jure Civili & Canonico requisitas: determinat tamen tempus & *alia ad formam & usum Gentium communem* necessaria. Neque enim hic procedit quæstio de præscriptione; prout hæc in *sua specie infima* determinatur a Jure Civili & Canonico; sed potius prout deberet dari aliquis saltem *in genere* & *latius* sumptus modus, ita acquirendi dominii, juris, vel libertatis, ut *alicujus* temporis privilegio tollatur omne impetitionis periculum, quod creare alias posset v.g. Gens illa, quæ ante 1000. circiter annos in possessione fuit. Et hoc sensu Jus Gentium determinat *tempus immemoriale*, cuivis notum; pro titulo autem *possessionem bonę fidei*, utpote in rei derelictione tacitâ vel præsumpta, & juxta dicta *præced.* §. jure Gentium introducta, fundatam: quod requisitum *bonæ fidei* eodem quoque Gentium jure introductum esse ambigi nequit, cum manifestum sit per se nullam rem *mala fide* possideri. Nec refert, quod forte primus possessor v.g. ante 800. annos *mala fide* inchoaverit possessionem; nam *per tot sęcula* in ejus succedaneis præsumitur purgatus ille defectus per possessionem immemorialem eamque *pacificam*, nihil obmovente Gente alia per bella, vel protestationes idcirco in contrarium factas. Et ita experimur etiam consuetudines *contra legem prohibentem* humanam inductas justificari *temporis privilegio* in aliis hominibus eam perficientibus; licet ab initio (seu ut Scholæ loquuntur) *in fieri*, omnino

mala fide & *peccaminose* inchoata fuerit a primis eorum Antecessoribus, qui contra legem operabantur.

941. Ad IV.) Frustra asseritur non posse a nobis probari consensum & *pactum mutuum* inter Gentes, quo illæ conspirarint in modum transferendi dominii per præscriptionem *legitime completam*. Videri potest decisio hujus scrupuli, superius hic declarata *n.671.& 673.*) Imo etiamsi consensus Gentium mutuus *tacite* præstitus deesset, *longævus usus pacificæ possessionis* conjunctus morali impossibilitati probationum, & simul generali periculo inquietudinum *externarum*, quibus alioqui totum genus humanum omnesque Nationes involverentur, si hæ non haberent certitudinem suorum dominiorum; sufficeret ad prædictum jus acquirendi introducendum inter Gentes per usucapionem, spatio tanti temporis, cujus non extat memoria, continuata, neque datur vestigium *protestationis* alteriusve diligentiæ, quæ vim interruptæ possessionis pacificæ habeat.

942. Ad V. & VI.) Quæ a Vasquio de *Hispania, Gallia, Austria*, tum a Carpzovio, & aliis de Capitulatione Cæsarea afferuntur, aera verberant: sed nos non premunt. Dicimus enim *primo*.) Hispaniam, Galliam, Austriam, S. R. Imp. & alias Nationes, Regna & Familias, *justam* habere causam non admittendi ullas præscriptiones contra erepta jura & bona avulsa, circa quæ *præscriptio* immemorialis, Gentibus alioqui familiaris, *nunquam* fuit *completa*, perpetuo autem interrupta per continuas, aut sæpius repetitas protestationes, expostulationes, bella, aliisve modis intentatos actus pro restitutione injuste avulsorum jurium & bonorum; isti enim actus vim habent perpetuæ *protestationis*, quæ possessorem avulsorum tamdiu in mala fide constituunt, usque dum vel restituat, vel aliud immemoriale tempus *ab ultimo protestationis actu computatum pacifice* effluat, & finiatur. Atque in hoc sensu recte sensisse perhibetur quidam Gallicus Scriptor in *Dissert. Jurid. Francofurt vol.* 4. *disp.* 22. *thes.* 22. ubi cordate asseruit, Coronæ Gallicæ nullam præscriptionem obesse.

943. Ab æquitate etiam non ablusit optima responsio illa; quam *Emmanuel AMOR de Soria* Patronus Fisci regii in Ducatu Parmensi, *in tractatu de bonor. finito bello restitut. ex capite amnestiæ, edit. Vienn. Austriæ, Anno 1738. in 4. fol.* 284. allegavit: dicens: *quæ de præscriptione afferuntur, Regibus ista non posse applicari, quia summi Imperantes ad-*

*versus actus metu extortos, & multo magis fraude, se ipso in integrum restituere valent.* Alioqui omnibus latrociniis via aperiretur, & fere unicus Provinciarum & dominiorum acquirendi modus in armis & fortiore exercitu consisteret, justene an injuste alterum Regni aut ditionum possessione dejecerit: quis quærat? dummodo vel inique coactus arma tenenti victori in cessionem juste alias possessarum regionum consenserit. Quod tamen naturali ratio horret, & ita quæsitorum, quamdiu *continuatæ protestationes* injuriam passi innovantur vel injuria aliunde certa notoriave est, usucapionem prohibet. Vide hic *supr. n.* 190.)

944. Ob eandem rationem dicimus *secundo*) assertam decisionem non obstare Cæsareis Capitulationibus, nec earum articulum fore frustraneum: nam in illo Imperator non se obligat ad recuperanda avulsa, per immemorialis temporis *pacificam* possessionem dudum jam præscripta: sed solum ad recuperanda *injuste alienata*, quorum possessio hoc ipso obstante articulo, ac habente vim protestationis, sæpius circa coronationem Imperatorum repetitæ, *pacifica* nunquam fuit, nec esse potuit: Prout etiam bene hac in parte sentit Puffendorf. *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 12. *§.* 11. dicens; ut Gens contra Gentem rem tempore immemoriali præscribat, requiri, ut Populus, contra quem præscriptum esse dicitur, ne quidem *saltem protestando, jus suum conservaverit: ergo rarissimi possunt accidere casus, ut ab usucapione demum dominium sit arcessendum, NB. si pacifico titulo quis populus rem quampiam sit nactus.*

945. Ac proin nec adducta instanria de Turcarum tyrannide, quidpiam evincit. Cum enim tot bella, & perpetuo sibi succedentes, nedum S. R. Imperii & aliorum Regnorum, sed etiam Ecclesiæ universalis Catholicæ, juxta ac totius Christiani orbis protestationes contra eorum vim ac injustas deprædationes intercesserint, semperque renoventur, inde fit, ut possessio Christianis ereptarum Provinciarum, pariter ac avulsi Imperii Orientalis, sicut nunquam inchoari, ita nec *pacifice* impleri per tempus *immemoriale* ad præscriptionem hujusmodi necessarium potuerit, possitve, quin hæc singulis sæculis interrumpatur. Hinc frustra *Solymenus* apud *Puffend. l. c.* sæpe solitus est dicere, Romæ ac totius Occidentis Imperium ad se spectare, propterea quod ipse Imperatoris Constantini, qui imperii sedem Bizantium transtulit, legitimus sit successor.

946. Ad VII.) Si Gentium *tacitus* consensus in præscriptionem *legitime completam* haberet pro objecto determinato *solam* diminutionem, damnum, & præjudicium dominiorum, quæ possident: utique evidens est, consensum hujusmodi non posse rationabiliter præsumi, cum nemo *præsumatur suum jactare*. Verum quia modus hic acquirendi æque conjungi potest cum diminutione ac etiam *augmento* bonorum, jurium & variorum emolumentorum, hinc cessat ratio dubitandi. Et certe nemo in ludum *chartarum*, vel *ollæ fortunæ* seu de la Loterie, unquam consentiret, si hic vergeret *tantum in diminutionem* & damnum marsupii: quia tamen sicut perdere ludo; ita etiam lucrari possumus, hinc suppetit prudens dubium, cur negari deberet hominum consensus in hujusmodi objecta.

947. Quodsi petas, quænam sint signa taciti illius Gentium consensus in præscriptionem v. g. alicujus Regni, aut Provinciæ? R. varia reputari. Scilicet I.) Acquiescentia per tempus immemoriale, nulla unquam facta protestatione verbis vel factis, etsi fieri facile potuisset. 2.) Nulla mentio juris facta, etiam in pactis cum possessore altero initis. 3.) Omissio tituli, seu insignium, ditionis amissæ causa sibi competentium. 4.) Titulus alteri datus sponte & libere, appellando eum *Dominum regionis* absque limitatione. 5.) Negata auxilia, cum ferri potuissent & debuissent, &c.

948. Ad VIII.) Quod a Principe possit præscribi contra libertatem Populi pro summa potestate: vacat dubio; quod igitur pari etiam jure præscribi possit a Populo contra potestatem Principis pro libertate; minime quoque ambigendum est. Cum non unius Reipublicæ usu constet, quod a regimine Monarchico subditi illius tractu temporis immemorialis se se exemerint, translato in Optimates, vel Populum dominio, quibus litem movere quid aliud foret, quam publicam pacem evertere. Nec refert, quod sequela hæc falsa esse dicatur: quia falsitas hæc affingitur e sensu *Grotii*, qui sibi ipsi non constat, ubi *de J. B. & P. l. 2. c. 4. §. 2.* ipsemet concedit, quod longa patientia Principis Populo sufficere possit ad pariendam libertatem *ex derelictione imperii præsumpta*, non sit igitur mirum, si *Grotius* concessioni sequelæ contradicat, qui etiam sibi ipsi contradicit.

949. Neque etiam obstat, quod subditus *qua subditus* sit subjectum *incapax* Majestatis & jurium Majestati *intrin-*

*trinsecorum*, ut diximus hic 843.) Nam etiam hæc præscriptione immemoriali acquirere potest, ex quo *desiit esse subditus*, tunc enim non qua subdito, sed qua *supreme*, vel uni Genti, Populo jus Majestatis competet; Brunnem. *ad l.2. C. commun. de usucap. n.* 4. *Balbo*, *Schambogen*, *Franz.* & alii apud Schmier *Jurispr. to.1. lib.1. f.*229. *a n.*495. *& f.*281. *n.*563. Consequenter potest adesse *bona fides*, non quidem in primo aggressore: verum in aliis possessoribus, qui longæva annorum serie illi succedent. Titulum quoque supplebit ipse temporum immemorialis cursus, *pacifice* ac cum *acquiescentia* prioris possessoris, Regni, vel Gentis, continuatus, &c.

950. *CONCLUDES I.*) Præscriptionem ita habere locum inter diversas Gentes, ut etiam habeat inter duos Populos liberos ejusdem Gentis v. g. Germanicæ, & inter duos Reges, vel inter Regem ac populum liberum, imo & inter Regem ac privatum ei non subditum, & inter duos diversorum Populorum Regumque subditos. II.) Eam prout inter diversos Populos liberos est, habere vim Gentium juris *legalis* obligantis in conscientia, de quali egimus *n.* 702.) eo inquam sensu, quod, si longæva immemorialis temporis possessio *pacifice*, ut supra dictum est, ab una Gente fuerit continuata, censenda sit *legitime*, id est juxta leges Gentium fuisse completa, quam dein disturbare nefas sit, cum Jus Gentium etiam Principes obliget, juxta *n.*706.) III.) Demum, quod eo casu, ubi diversæ Gentes liberæ controversiam de præscriptione alicujus Provinciæ, per media ordinaria & amicabiliter decidere nequeunt, forum pro litis decisione aliud non habeant, quam in *campo Martio*, neque Judicem hic & nunc alium quam *MARTEM* terribilem, per ea, quæ tractavimus de *Foro & Judice competente* inter Gentes, *a n.*709.)

Quæritur hic ult. *Quinam sint reliqui modi derivativi acquirendæ proprietatis: & quæ officia ex dominio sequantur?*

951. Exposuimus jam *a n.* 742. *& seqq.*) dominia, generatim loquendo, *derivari* seu transferri in alium vel volente priore domino, vel invito. *Volente*, id est *facto* ejus transferuntur trifariam, donatione, ultima voluntate & contractu, de quibus egimus *a n.* 743.) *Invito* domino, seu ipsa *lege disponente* transferuntur etiam totidem modis. 1.) Jure Gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo infra agemus. 2.) Auctoritate alicujus legis *particularis*, idque vel sine culpa domini, ut lege præscriptionis:

nis: lege successionis explicata *cit. hic n.* 743.) vel ob culpam ejus, ut ob crimen hæresis, læsæ Majestatis, incestas nuptias &c. *tertio.*) Per sententiam Judicis, ut si fur damnetur in quadruplum. Qui modus etiam obligat in conscientia, quando sententia non nititur falsa præsumptione.

952. Quod autem concernit *Officia* ex dominio fluentia in humanam societatem, Naturæ vel Gentium jure firmata: R. Cum magis specialia huc non spectent, & jam superius *de offic. erga prox. a n.*444.) declarata sint, sola illa quæ communia sunt, exponimus. Scilicet I.) Quod dominio creaturarum tam inanimatarum, quam animantium non abutendum sit in contumeliam Creatoris, neque in præjudicium sui, vel aliorum, imo neque illæ sine causa destruendæ, aut si vivunt, mactandæ & occidendæ sunt *ex sola* animi levitate, quoties damnum non inferunt, nec ullam molestiam creant. II.) Neminem in suo dominio esse turbandum. III.) Res inexhaustæ utilitatis, nec proprietati ulli subjectæ inter primævam Communionem sunt relinquendæ. IV.) Quidquid nullius est, primo occupanti cedendum. V.) Rebus alieno dominio subjectis, citra voluntatem Domini, regulariter, excepto extremæ necessitatis casu, non utendum. VI.) Fides in Contractibus & pactis servanda.

## CAPUT IV.

### De summa potestate, ejus origine, juribus, illamque acquirendi modis.

### §. I.

*Quid rei summa potestas, quæ ejus origo, quod subjectum &c.?*

### SUMMARIUM.

953. *Summi imperii definitio,*

954. *Et ejusdem Origo exponitur.*

955. &c. *Illa in Rempublicam derivatur immediate a DEO tanquam naturæ Auctore*: 2.) *A Republ. autem vel Civitate consignatur immediate uni vel pluribus*: 3.) *Atque ita summa potestas* civilis *non* immediate a DEO *descendit in personam determinatam.*

959. *Lex* Regia *quid sit, exponitur.*

960. *Satis fit contrariis rationibus,*

961. &c. Puffendorfii *opinio contra* Hornium *laudatur. Et refel-*

*refellitur paritas cum Davidis & Apostolorum ac Pontificum Potestate.*

963. *Subjectum & objectum Majestatis declaratur, pro diversitate status* Monarchici, Aristocratici, &c.

953. I.) IMperium summum, summa potestas, & Majestas Publicistis, teste Hornio *de Civ. l. 2. c. 1. §. 3. n. 1. & 2.* Bœcler. *ad Grot. l. 1. c. 3. §. 21.* synonyma sunt, uti etiam tradit Puffend. *loc.* infra hinc citando. Unde Aristoteles *L. 3. Polit. c. 7.* definitione Majestatis imperium summum summamque potestatem complexus ait: *Majestas, summa in Civitatibus potestas est.* Et quamvis cum nonnullis *L. 2. doctr. Civ. c. 16.* Majestatem non sumat pro summa potestate, sed pro *reverenda quadam amplitudine,* ac *l. 4. c. 9.* eam appellet *auctoritatem impressam subditis, sive & exteris opinionem reverentem de Rege ejusque statu*; nihilominus sententiæ hujus Auctoris sua ratio bene constare potest, ille quippe *l. c.* loquitur de Majestate *personali*, seu ut ait Grot. *d. l. c. 3. §. 21. pro dignitate Imperantis* accepta, non autem *pro* reali summam jurisdictionem denotante, quæ non semper requirit personam Imperatoria aut Regia dignitate fulgentem, dicente Joanne *in Lexic. jurid. Juris cæsarei f. 534. Majestas auctoritatem & amplitudinem significat, vel DEI,* l. 32. §. sacerdotio, ff. de Arbitr. *vel Principis, vel populi Romani* NB. vel *MAGISTRATUS*, l. 7. §. 1. de Captiv. l. penult. ff. de J. & J. L. 9. ff. de Jurisd. omn. Judic. l. 23. ff. de injur. & tot. tit. ad leg. Jul. Majest.

Ita quo ad suam etymologiam explicatam imperium summum seu Majestas, definiri potest, quod sit *Facultas moralis ab omni superiore independens civitatem gubernandi, sive actiones Civium dirigendi ad communem & publicam salutem.* Dividitur autem in *Realem*, quæ Populo, Reipublicæ, seu Regno semper cohæret, & *Personalem*, quæ residet penes imperantes, Principem, aut senatum, & cum persona imperantium exspirat. Besold. *Polit. c. 1. §. 1.* Lymnæus ad *Cap. Rudolphi II. art. 32. f. 532. a n. 48.*

954. II.) Origo *prima* ac *universalis* prout omnium rerum, ita etiam summi imperii ac Majestatis, quod DEUS ipse sit, nemo prudens ambigit. Ita quippe ille de se *Prov. 8. v. 15.* dicit: *per me Reges regnant & legum Conditores justa decernunt* &c. Quemadmodum vero id certum est, ita a plerisque in controversiam trahitur, an illa protestas (seu quod idem

idem esse diximus) summum imperium, suprema jurisdictio & Majestas a DEO *immediate* in Civitatem, communitatem seu Rempublicam, vel, an immediate *in ipsas personas Imperantes* transeat? in utramque partem disceptatur. Communior tamen opinio est, quam pure ex mente aliorum adducimus:

955. III. ) Summa potestas *Civilis* in Communitate, Republica, seu Civitate est immediate a DEO. 2. ) Illa autem mediante in unum Imperantem, vel plures alios, *regulariter* per ultroneam Civium subjectionem & *aliquem* consensum derivatur.

Ita D. Thom. 2. 2. *q.* 10. *a.* 11. dicens: *dominium & prælationem* ( politicam ) *introductam esse Jure humano*, quam doctrinam ille desumpsit ex D. Augustino *l.* 5. *de Civit. DEI c.* 21. dicente: *generale PACTUM est societatis humanæ obedire Regibus suis*. Idem quoque quo ad utramque assertionis partem tenet Covarr. *pract. q. c.* 1. *n.* 6. Sotus *de J. & J. l.* 4. *q.* 2. *a.* 1. Victor. Relect. 1. *de Potestat. Sect.* 4. *a.* 3. *n.* 2. ubi ait: *Potestas civilis habet ortum a Republ. quia est in finem naturalem Reipublicæ.* Suar. in *defens. fidei l.* 3. *c.* 2. *nu.* 5. & 10. Hobbes. *de Cive*, *c.* 2. §. 4. Puffendorf. *de J. N. & G. L.* 7. *c.* 3. §. 3. ubi refellit *Hornium* admittentem quidem ipsas Civitates per pacta constitui: sed *imperium summum ab ipso DEO immediate in Principes conferri, neque ad id producendum quidquam ab hominibus proficisci: Adeoque liberos populos, dum Regem sibi ultro eligunt, non conferre in ipsum Majestatem: sed tantum DESIGNARE personam, in quam illa divinitus* immediate *conferatur*. Hornium vero secutus est Ziegler de *Jurib. Majest. l.* 1. *c.* 1. §. 46. uterque autem opinionem hanc hauserunt ex Petro de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imp. l.* 2. *c.* 2. *a n.* 1. & Vitriario *Inst. de J. N. & G. q.* 121. *c.* 3. Quorum sententiam refutavit Ferdin. VVeizenegger *in Dissert. juridic. politic. edita A.* 1631. *Ingolstadii*, *c.* 3. Tanner *in defens. Eccl. libert. L.* 2. *c.* 1. *f. m.* 209. & *c.* 2. *f. m.* 224. tum c. 4. f. 237. Ac videri potest idem Auctor *in Theol. Schol. t.* 2. *disp.* 5. *q.* 5. *dub.* 1. *n.* 30. Sigismund. Stapff. *de Majestat. c.* 2. §. 2. & *seq.* Gletle *in Select. Jure publ. c.* 3. *a n.* 13. Illustr. L. B. de ICKSTATT *in Elem. J. G. l.* 1. *c.* 1. §. 5. ubi ait: *Jura cujusvis Populi majestatica, nec non regalia in dominio & quidem proprio populi existere, extra dubitationis aleam positum est.*

956. Ratio *primæ partis* est: Quia, ut Suar. *de Legib. l.* 3.

*l.3.c.3. a n.5.& c.4.n.2.* cum aliis Theologis & Juristis ait, Potestas hæc est quasi proprietas moralis consequens naturam hominum in unam Civitatem, Rempublicam, seu corpus politicum libere congregatorum; est enim illi *simpliciter* necessaria ut sit sibi sufficiens ad existendum, id est, ad sui conversationem, & convenientem gubernationem, sine qua nulla communitas in bono ordine subsistere potest: Atqui natura hominum *immediate* procedit ab ipso DEO: igitur & proprietas illa. 2.) Inter DEUM qui potestatem tribuit, & Civitatem quæ potestatem recipit, nihil aliud intermediat, quo minus a DEO dicatur in Civitatem perfectam immediate derivari. Neque enim ex revelatione Divina (alioqui non esset potestas hæc, vel notitia de illa mere naturalis) neque per dictamen rectæ rationis apparet aliud subjectum immediatum hujus Potestatis receptivum, quam sit Civitas seu Communitas *perfecta*, utpote quæ sola necessario requirit summam Potestatem, ita ut subjectum aliquod *determinatum*, quale v. g. esset status Monarchicus, Democraticus, vel Aristocraticus, quantum de se non desideret. 3.) Experientia docet, formas Regiminum esse mutabiles, ita ut Status *Monarchicus* semel introductus successu temporis in *Aristocraticum* vel *Democraticum*, aut alium degeneret: Porro id non haberet locum, supposito quod verum esset a DEO potestatem supremam immediate deferri *uni* certæ personæ.

957. Neque tamen inde sequitur, hac ratione statum *Democraticum* a DEO immediate & unice institutum esse ita, quin humana voluntate in statum alium mutari queat. Status enim *Democraticus* non est institutus a DEO *præceptive*, quasi summa potestas penes universum Populum residere & ab eo exerceri debeat: sed mere *permissive*, quatenus in arbitrio Communitatis est, velitne a DEO concessum sibi summum imperium toti corpori reservare, vel in unum aut plures disponere.

958. Partis *alterius* ratio est, tum ex *Lege Regia*, qua Populus Romanus olim omnem Potestatem *in Principem* transtulisse legitur, ut liquet ex *l. 1. ff. de Const. Princ.* & *l. 2. §. Noviss. ff. de orig. Jur.* providentia autem DEI circa negotia civilia eadem est nunc, ac olim fuit; Tum ex eo, quia uti docet Suar. *cit. c.* & *in defens. fidei L. 3. c. 2. n. 13.* Admisso quod DEUS *immediate summam potestatem* conferret *certæ ac determinatæ* uni personæ hominum, deberet hoc fieri vel

mala fide & *peccaminose* inchoata fuerit a primis eorum Antecessoribus, qui contra legem operabantur.

941. Ad IV.) Frustra asseritur non posse a nobis probari consensum & *pactum mutuum* inter Gentes, quo illæ conspirarint in modum transferendi dominii per præscriptionem *legitime completam*. Videri potest decisio hujus scrupuli, superius hic declarata *n.671.& 673.)* Imo etiamsi consensus Gentium mutuus *tacite* præstitus deesset, *longævus usus pacificæ possessionis* conjunctus morali impossibilitati probationum, & simul generali periculo inquietudinum *externarum*, quibus alioqui totum genus humanum omnesque Nationes involverentur, si hæ non haberent certitudinem suorum dominiorum; sufficeret ad prædictum jus acquirendi introducendum inter Gentes per usucapionem, spatio tanti temporis, cujus non extat memoria, continuata, neque datur vestigium *protestationis* alteriusve diligentiæ, quæ vim interruptæ possessionis pacificæ habeat.

942. Ad V. & VI.) Quæ a Vasquio de *Hispania*, *Gallia*, *Austria*, tum a Carpzovio, & aliis de Capitulatione Cæsarea afferuntur, aera verberant: sed nos non premunt. Dicimus enim *primo*.) Hispaniam, Galliam, Austriam, S. R. Imp. & alias Nationes, Regna & Familias, *justam* habere causam non admittendi ullas præscriptiones contra erepta jura & bona avulsa, circa quæ *præscriptio* immemorialis, Gentibus alioqui familiaris, *nunquam* fuit *completa*, perpetuo autem interrupta per continuas, aut sæpius repetitas protestationes, expostulationes, bella, aliisve modis intentatos actus pro restitutione injuste avulsorum jurium & bonorum; isti enim actus vim habent perpetuæ *protestationis*, quæ possessorem avulsorum tamdiu in mala fide constituunt, usque dum vel restituat, vel aliud immemoriale tempus *ab ultimo protestationis actu computatum pacifice* effluat, & finiatur. Atque in hoc sensu recte sensisse perhibetur quidam Gallicus Scriptor in *Differt. Jurid. Francofurt vol.* 4. *disp.* 22. *thes.* 22. ubi cordate asseruit, Coronæ Gallicæ nullam præscriptionem obesse.

943. Ab æquitate etiam non abludit optima responsio illa; quam *Emmanuel AMOR de Soria* Patronus Fisci regii in Ducatu Parmensi, *in tractatu de bonor. finito bello restitut. ex capite amnestiæ, edit. Vienn. Austriæ, Anno* 1738. *in* 4. *fol.* 284. allegavit: dicens: *quæ de præscriptione afferuntur, Regibus ista non posse applicari, quia summi Imperantes ad-*

ver-

*versus actus metu extortos, & multo magis fraude, se ipso in integrum restituere valent*. Alioqui omnibus latrociniis via aperiretur, & fere unicus Provinciarum & dominiorum acquirendi modus in armis & fortiore exercitu consisteret, justene an injuste alterum Regni aut ditionum possessione dejecerit: quis quærat? dummodo vel inique coactus arma tenenti victori in cessionem juste alias possessarum regionum consenserit. Quod tamen naturali ratio horret, & ita quæsitorum, quamdiu *continuatæ protestationes* injuriam passi innoventur vel injuria aliunde certa notoriave est, usucapionem prohibet. Vide hic *supr. n.* 190.)

944. Ob eandem rationem dicimus *secundo*) assertam decisionem non obstare Cæsareis Capitulationibus, nec earum articulum fore frustraneum: nam in illo Imperator non se obligat ad recuperanda avulsa, per immemorialis temporis *pacificam* possessionem dudum jam præscripta: sed solum ad recuperanda *injuste alienata*, quorum possessio hoc ipso obstante articulo, ac habente vim protestationis, sæpius circa coronationem Imperatorum repetitæ, *pacifica* nunquam fuit, nec esse potuit: Prout etiam bene hac in parte sentit Puffendorf. *de J. N. & G. l.* 4. *c.* 12. §. 11. dicens: ut Gens contra Gentem rem tempore immemoriali præscribat, requiri, ut Populus, contra quem præscriptum esse dicitur, ne quidem *saltem protestando, jus suum conservaverit: ergo rarissimi possunt accidere casus, ut ab usucapione demum dominium sit arcessendum, NB. si pacifico titulo quis populus rem quampiam sit nactus*.

945. Ac proin nec adducta instanria de Turcarum tyrannide, quidpiam evincit. Cum enim tot bella, & perpetuo sibi succedentes, nedum S. R. Imperii & aliorum Regnorum, sed etiam Ecclesiæ universalis Catholicæ, juxta ac totius Christiani orbis protestationes contra eorum vim ac injustas deprædationes intercesserint, semperque renoventur, inde fit, ut possessio Christianis ereptarum Provinciarum, pariter ac avulsi Imperii Orientalis, sicut nunquam inchoari, ita nec *pacifice* impleri per tempus *immemoriale* ad præscriptionem hujusmodi necessarium potuerit, possitve, quin hæc singulis sæculis interrumpatur. Hinc frustra *Solymanus* apud *Puffend. l. c.* sæpe solitus est dicere, Romæ ac totius Occidentis Imperium ad se spectare, propterea quod ipse Imperatoris Constantini, qui imperii sedem Bizantium transtulit, legitimus sit successor.

*trinsecorum*, ut diximus hic 843.) Nam etiam hæc præscriptione immemoriali acquirere potest, ex quo *desiit esse subditus*, tunc enim non qua subdito, sed qua *supreme*, vel uni Genti, Populo jus Majestatis competet; Brunnem. *ad l.2. C. commun. de usucap. n.4. Balbo, Schambogen, Franz.* & alii apud Schmier *Jurispr. to.1.lib.1.f.229. a n.495. & f.281.n.563.* Consequenter potest adesse *bona fides*, non quidem in primo aggressore: verum in aliis possessoribus, qui longæva annorum serie illi succedent. Titulum quoque supplebit ipse temporum immemorialis cursus, *pacifice* ac cum *acquiescentia* prioris possessoris, Regni, vel Gentis, continuatus, &c.

950. *CONCLUDES I.*) Præscriptionem ita habere locum inter diversas Gentes, ut etiam habeat inter duos Populos liberos ejusdem Gentis v.g. Germanicæ, & inter duos Reges, vel inter Regem ac populum liberum, imo & inter Regem ac privatum ei non subditum, & inter duos diversorum Populorum Regumque subditos. II.) Eam prout inter diversos Populos liberos est, habere vim Gentium juris *legalis* obligantis in conscientia, de quali egimus *n.* 702.) eo inquam sensu, quod, si longæva immemorialis temporis possessio *pacifice*, ut supra dictum est, ab una Gente fuerit continuata, censenda sit *legitime*, id est juxta leges Gentium fuisse completa, quam dein disturbare nefas sit, cum Jus Gentium etiam Principes obliget, juxta *n.*706.) III.) Demum, quod eo casu, ubi diversæ Gentes liberæ controversiam de præscriptione alicujus Provinciæ, per media ordinaria & amicabiliter decidere nequeunt, forum pro litis decisione aliud non habeant, quam in *campo Martio*, neque Judicem hic & nunc alium quam *MARTEM* terribilem, per ea, quæ tractavimus de *Foro & Judice competente* inter Gentes, *a n.*709.)

Quæritur hic ult. *Quinam sint reliqui modi derivativi acquirendæ proprietatis: & quæ officia ex dominio sequantur?*

951. Exposuimus jam *a n.* 742. & *seqq.*) dominia, generatim loquendo, *derivari* seu transferri in alium vel volente priore domino, vel invito. *Volente*, id est *facto* ejus transferuntur trifariam, donatione, ultima voluntate & contractu, de quibus egimus *a n.* 743.) *Invito* domino, seu ipsa *lege disponente* transferuntur etiam totidem modis. 1.) Jure Gentium; sic res bello captæ fiunt capientis, de quo infra agemus. 2.) Auctoritate alicujus legis *particularis*, idque vel sine culpa domini, ut lege præscriptionis:

nis: lege successionis explicata *cit. hic n.* 743.) vel ob culpam ejus, ut ob crimen hæresis, læsæ Majestatis, incestas nuptias &c. *tertio.*) Per sententiam Judicis, ut si fur damnetur in quadruplum. Qui modus etiam obligat in conscientia, quando sententia non nititur falsa præsumptione.

952. Quod autem concernit *Officia* ex dominio fluentia in humanam societatem, Naturæ vel Gentium jure firmata: R. Cum magis specialia huc non spectent, & jam superius *de offic. erga prox. a n.*444.) declarata sint, sola illa quæ communia sunt, exponimus. Scilicet I.) Quod dominio creaturarum tam inanimatarum, quam animantium non abutendum sit in contumeliam Creatoris, neque in præjudicium sui, vel aliorum, imo neque illæ sine causa destruendæ, aut si vivunt, mactandæ & occidendæ sunt *ex sola* animi levitate, quoties damnum non inferunt, nec ullam molestiam creant. II.) Neminem in suo dominio esse turbandum. III.) Res inexhaustæ utilitatis, nec proprietati ulli subjectæ inter primævam Communionem sunt relinquendæ. IV.) Quidquid nullius est, primo occupanti cedendum. V.) Rebus alieno dominio subjectis, citra voluntatem Domini, regulariter, excepto extremæ necessitatis casu, non utendum. VI.) Fides in Contractibus & pactis servanda.

## CAPUT IV.

### De summa potestate, ejus origine, juribus, illamque acquirendi modis.

### §. I.

*Quid rei summa potestas, quæ ejus origo, quod subjectum &c.*

### SUMMARIUM.

953. *Summi imperii definitio,*

954. *Et ejusdem Origo exponitur.*

955. &c. *Illa in Rempublicam derivatur immediate a DEO tanquam naturæ Auctore:* 2.) *A Republ. autem vel Civitate consignatur immediate uni vel pluribus:* 3.) *Atque ita summa potestas* civilis *non* immediate a DEO *descendit in personam determinatam.*

959. *Lex* Regia *quid sit, exponitur.*

960. *Satis fit contrariis rationibus,*

961. &c. Puffendorfii *opinio contra* Hornium *laudatur. Et refel-*

*refellitur paritas cum Davidis & Apostolorum ac Pontificum Potestate.*

963. *Subjectum & objectum Majestatis declaratur, pro diversitate status* Monarchici, Aristocratici, &c.

953. I.) Imperium summum, summa potestas, & Majestas Publicistis, teste Hornio *de Civ. l. 2. c. 1. §. 3. n. 1. & 2.* Boecler. *ad Grot. l. 1. c. 3. §. 21.* synonyma sunt, uti etiam tradit Puffend. *loc.* infra hinc citando. Unde Aristoteles *L. 3. Polit. c. 7.* definitione Majestatis imperium summum summamque potestatem complexus ait: *Majestas, summa in Civitatibus potestas est.* Et quamvis cum nonnullis *L. 2. doctr. Civ. c. 16.* Majestatem non sumat pro summa potestate, sed pro *reverenda quadam amplitudine,* ac *l. 4. c. 9.* eam appellet *auctoritatem impressam subditiis, sive & exteris opinionem reverentem de Rege ejusque statu*; nihilominus sententiæ hujus Auctoris sua ratio bene constare potest, ille quippe *l. c.* loquitur de Majestate *personali*, seu ut ait Grot. *d. l. c. 3. §. 21. pro dignitate Imperantis* accepta, non autem *pro* reali summam jurisdictionem denotante, quæ non semper requirit personam Imperatoria aut Regia dignitate fulgentem, dicente Joanne *in Lexic. jurid. Juris cæsarei* f. 534. *Majestas auctoritatem & amplitudinem significat, vel DEI,* l. 32. §. sacerdotio, ff. de Arbitr. *vel Principis, vel populi Romani* NB. vel *MAGISTRATUS*, l. 7. §. 1. de Captiv. l. penult. ff. de J. & J. L. 9. ff. de Jurisd. omn. Judic. l. 23. ff. de injur. & tot. tit. ad leg. Jul. Majest.

Ita quo ad suam etymologiam explicatam imperium summum seu Majestas, definiri potest, quod sit *Facultas moralis ab omni superiore independens civitatem gubernandi, sive actiones Civium dirigendi ad communem & publicam salutem.* Dividitur autem in *Realem*, quæ Populo, Reipublicæ, seu Regno semper cohæret, & *Personalem*, quæ residet penes imperantes, Principem, aut senatum, & cum persona imperantium exspirat. Besold. *Polit. c. 1. §. 1.* Lymnæus ad *Cap. Rudolphi II. art. 32. f. 532. a n. 48.*

954. II.) Origo *prima* ac *universalis* prout omnium rerum, ita etiam summi imperii ac Majestatis, quod DEUS ipse sit, nemo prudens ambigit. Ita quippe ille de se *Prov. 8. v. 15.* dicit: *per me Reges regnant & legum Conditores justa decernunt* &c. Quemadmodum vero id certum est, ita a plerisque in controversiam trahitur, an illa potestas (seu quod

idem

idem esse diximus) summum imperium, suprema jurisdictio & Majestas a DEO *immediate* in Civitatem, communitatem seu Rempublicam, vel, an immediate *in ipsas personas Imperantes* transeat? in utramque partem disceptatur. Communior tamen opinio est, quam pure ex mente aliorum adducimus:

955. III. ) Summa potestas *Civilis* in Communitate, Republica, seu Civitate est immediate a DEO. 2. ) Illa autem mediante in unum Imperantem, vel plures alios, *regulariter* per ultroneam Civium subjectionem & *aliquem* consensum derivatur.

Ita D. Thom. 2. 2. q. 10. a. 11. dicens: *dominium & praelationem* ( politicam ) *introductam esse Jure humano*, quam doctrinam ille desumpsit ex D. Augustino *l. 5. de Civit. DEI c. 21.* dicente: *generale PACTUM est societatis humanae obedire Regibus suis*. Idem quoque quo ad utramque assertionis partem tenet Covarr. *pract. q. c. 1. n. 6.* Sotus *de J. & J. l. 4. q. 2. a. 1.* Victor. *Relect. 1. de Potestat. Sect. 4. a. 3. n. 2.* ubi ait: *Potestas civilis habet ortum a Republ. quia est in finem naturalem Reipublicae.* Suar. in *defens. fidei l. 3. c. 2. nu. 5. & 10.* Hobbes. *de Cive, c. 2. §. 4.* Puffendorf. *de J. N. & G. L. 7. c. 3. §. 3.* ubi refellit *Hornium* admittentem quidem ipsas Civitates per pacta constitui: sed *imperium summum ab ipso DEO immediate in Principes conferri, neque ad id producendum quidquam ab hominibus proficisci: Adeoque liberos populos, dum Regem sibi ultro eligunt, non conferre in ipsum Majestatem: sed tantum DESIGNARE personam, in quam illa divinitus* immediate *conferatur*. Hornium vero secutus est Ziegler de *Jurib. Majest. l. 1. c. 1. §. 46.* uterque autem opinionem hanc hauserunt ex Petro de Marca *de Concord. Sacerdot. & Imp. l. 2. c. 2. a n. 1.* & Vitriario *Inst. de J. N. & G. q. 121. c. 3.* Quorum sententiam refutavit Ferdin. VVeizenegger *in Dissert. juridic. politic. edita A. 1631. Ingolstadii, c. 3.* Tanner *in defens. Eccl. libert. L. 2. c. 1. f. m. 209. & c. 2. f. m. 224.* tum c. 4. f. 237. Ac videri potest idem Auctor *in Theol. Schol. t. 2. disp. 5. q. 5. dub. 1. n. 30.* Sigismund. Stapff. *de Majestat. c. 2. §. 2. & seq.* Gletle *in Select. Jure publ. c. 3. a n. 13.* Illustr. L. B. de ICKSTATT *in Elem. J. G. l. 3. c. 1. §. 5.* ubi ait: *Jura cujusvis Populi majestatica, nec non regalia in dominio & quidem proprio populi existere, extra dubitationis aleam positum est.*

956. Ratio *primae partis* est: Quia, ut Suar. *de Legib. l. 3.*

*l.* 3. *c.* 3. *a n.* 5. & *c.* 4. *n.* 2. cum aliis Theologis & Juristis ait, Potestas hæc est quasi proprietas moralis consequens naturam hominum in unam Civitatem, Rempublicam, seu corpus politicum libere congregatorum; est enim illi *simpliciter* necessaria ut sit sibi sufficiens ad existendum, id est, ad sui conversationem, & convenientem gubernationem, sine qua nulla communitas in bono ordine subsistere potest: Atqui natura hominum *immediate* procedit ab ipso DEO: igitur & proprietas illa, 2.) Inter DEUM qui potestatem tribuit, & Civitatem quæ potestatem recipit, nihil aliud intermediat, quo minus a DEO dicatur in Civitatem perfectam immediate derivari. Neque enim ex revelatione Divina (alioqui non esset potestas hæc, vel notitia de illa mere naturalis) neque per dictamen rectæ rationis apparet aliud subjectum immediatum hujus Potestatis receptivum, quam sit Civitas seu Communitas *perfecta*, utpote quæ sola necessario requirit summam Potestatem, ita ut subjectum aliquod *determinatum*, quale v. g. esset status Monarchicus, Democraticus, vel Aristocraticus, quantum de se non desideret. 3.) Experientia docet, formas Regiminum esse mutabiles, ita ut Status *Monarchicus* semel introductus successu temporis in *Aristocraticum* vel *Democraticum*, aut alium degeneret: Porro id non haberet locum, supposito quod verum esset a DEO potestatem supremam immediate deferri *uni* certæ personæ.

957. Neque tamen inde sequitur, hac ratione statum *Democraticum* a DEO immediate & unice institutum esse ita, quin humana voluntate in statum alium mutari queat. Status enim *Democraticus* non est institutus a DEO *præceptive*, quasi summa potestas penes universum Populum residere & ab eo exerceri debeat: sed mere *permissive*, quatenus in arbitrio Communitatis est, velitne a DEO concessum sibi summum imperium toti corpori reservare, vel in unum aut plures disponere.

958. Partis *alterius* ratio est, tum ex *Lege Regia*, qua Populus Romanus olim omnem Potestatem *in Principem* transtulisse legitur, ut liquet ex *l.* 1. *ff. de Const. Princ.* & *l.* 2. §. *Noviss. ff. de orig. Jur.* providentia autem DEI circa negotia civilia eadem est nunc, ac olim fuit; Tum ex eo, quia uti docet Suar. *cit. c.* & *in defens. fidei L.* 3. *c.* 2. *n.* 13. Admisso quod DEUS *immediate summam potestatem* conferret *certæ ac determinatæ* uni personæ hominum, deberet hoc fieri

vel

vel per solam DEI voluntatem, vel ex virtute solius luminis naturalis, aut alicujus institutionis Divinæ: Nihil horum accidit in hac providentia. De divina enim voluntate in personam *determinatam unam*, Summum imperium transferente nihil constat ex ulla revelatione, & homines juxta naturæ ordinem, non revelationibus reguntur in civilibus negotiis. Lumen quoque naturale vel institutio Divina *immediatam* hujus Potestatis collationem, per hucusque dicta, potius communitati, quam aliquibus personis in *particulari* defert, & ab illa *regulariter* derivatur in determinatam unam vel plures personas, per liberam ejus subjectionem & consensum.

Vel enim summa illa potestas pendet *ab electione*? atque ita requiritur *aliquis* consensus & spontanea subjectio Civium. Vel competit alicui jure *Successionis hereditariæ*? & hæc Successio necessario supponit dominium, vel potestatem in eo, cui succeditur; atque hinc necessario devenietur ad aliquem, qui alteri non successerit. De illo igitur primo inquirimus, unde habuerit summam potestatem? & cum non habeat a se ipso, *jure naturæ* enim omnes homines sunt æquales, ac *par supra parem non habet potestatem*, igitur Successio non potest esse prima radix hujus potestatis. Quapropter necesse est ut primus habuerit potestatem supremam *immediate* a Republica ex consensu, vel pacto aliquo, successores autem ejus ab illo habeant *mediate* & radicaliter. Et quia res transit ad Successorem cum suo onere, conditiones illæ cum quibus primus Imperans a Republica regnum accepit, ad Successores transeunt, ita ut cum eisdem oneribus regnum habeant.

Notat autem Rath *de præscr. c. 5. assert. 4.* nomine Principis in præsenti materia, non tantum Supremum, seu Imperatorem: sed omnes S. R. I. Principes & Status comprehendi: nam isti omnes in suis territoriis analoga fulgent Majestate, ac prærogativis, quibus Imperator in toto pollet Imperio, in suis Provinciis circumfluunt. Et consentit cum communi (uti ipse testatur) Myller. *de Statibus & Princip. Imp. c. 33. n. 1.*

959. Dixi *regulariter per ultroneam Civium subjectionem* &c. Quia licet *ordinarie* à Populo & Civitate promanet potestas hæc, *per accidens* tamen contingere potest; ut Respublica antea non subjecta Regi, *per justum bellum* subjiciatur, & tunc ipsa quamvis *non ultronee*, nihilominus adhuc in

in pœnam delicti, aut ob aliam convenientem causam tenetur ipsi parere & consentire in subjectionem. Atque ita etiam ille modus quodammodo includit *consensum* Reipublicæ, vel *exhibitum*, vel *debitum*; imo siquidem per *bellum justum* Respublica alioqui non subjecta sub jugum Victoris missa est, hoc casu adest etiam tacitus consensus Juris Gentium tanquam *universalis* Reipublicæ humanæ.

Demum, si recte consideretur, fatendum est, quod eo casu quo hæc subjectio fit per *justum* bellum ad unum Regem, jam supponatur in eo potestas regia, per quam possit tale bellum indicere, & illa solum sit veluti justa extensio regni: igitur semper reducenda est hæc potestas regia ad aliquem, qui non per bellum: sed per justam electionem, vel populi consensum illam compaiaverit: ac proin a sufficienti divisione recte concluditur potestatem hanc a Republica ad imperantem manasse.

Quia vero plerique existimant, in principio introducta esse regna per tyrannidem potius, quam per veram potestatem, ut tradit Alvarus Pelagius *lib.* 1. *de planctu Eccles. c.* 41. Driedo *l.* 1. *de libert. Christian.* Petr. Berta *in tract. de orig. jur. q.* 1. Hoc igitur eventu, quando summa potestas *per solam vim injustam* possidetur, non est vera potestas legislativa, fieri autem potest ut successu temporis populus consentiat, & eam prout justam admittat, hocque casu reducetur illa ad populi traditionem & consensum.

Notandum autem: *Lex regia*, de qua hic n. 958.) innuimus, & cujus mentio legitur etiam in §. 6. *Instit. de J. N. G. &c.* est illa Lex, per quam Populus Romanus legislativam potestatem in Principes transtulit; vocaturque 1.) *Lex Augusti*, L. 14. ff. de manumiss. 2.) Dicitur *Privilegium Augustum*, L. un. §. 14. C. de cad. toll. eo quod teste Ant. Contio *ad d. l.* 1. *ff. de const. Princ.* & Dionysio *antiqu. Roman. lib.* 55. legem regiam intelligat Ulpianus sub Imperatore *Augusto* latam; prout colligitur etiam tum ex citatis legibus, tum ex *Novell.* 47. vers. *& Augustum Pium* a quo *immediate* devolvi ad alios Imperatores legislativam illorum potestatem, a Populo olim derivatam ostendit ibidem Justinianus. Appellatur quoque 3.) *Lex Majestatis*, uti tradit Tacitus *lib.* 11. *annal.* ac demum 4.) *Lex Imperii* nominatur in *L.* 3. *C. de testam.*

De *Legibus regiis*, seu de illis, quas incipiendo a Romulo & Numa Pompilio, 7. priores Romanorum Reges dictave-

ctaverant ( ac reperiuntur apud Baldvinum JCtum Romanum, Paulum Minutium *lib. de legib.* & Pandulphum Pratejum in *veter. jurisprud.*) in sua *specie* nulla hodie extat corpori Juris civilis inserta, præter unicam, quæ est *L.* 2. *ff. de mort. inferend.* in genere autem, & quo *ad solum sensum*, sæpius illarum mentionem fieri experietur, qui totum Juris Civilis corpus legendo evolverit.

Et quamquis plerique apud Coras. *lib.* 6. *Miscell. c.* 8. & Zoes. *ad d. l.* 1. *ff. de Const. Princ.* disputent, quænam *lex* illa fuerit *Regia*, & quo tempore lata; non enim desunt, qui putent, nunquam Populum sponte & expresse in Cæsares suam hanc potestatem transtulisse: sed illos partim armis, partim variis mediis eam sibi usurpasse, & tandem immemoriali consuetudine & pacifica possessione suam fecisse.

Nihilominus, hoc vel illo modo, isto vel alio tempore, in his vel aliis circumstantiis, potestas hæc a populo in Cæsares translata fuerit, parum refert, cum sufficiat moralis certitudo, eam transiisse a populo in Principes, juxta *cit.* §. 6. *Inst.* & *d. l.* 1. *ff. de Const. Princ.* ac *d. l.* 2. §. *novissime ff. de origin. jur.* tum *L.* 2. §. *sed & hoc, Cod. de veter. jur. enucl.* Quamquam id certo asseverari possit, quod translatio potestatis hujus non prius facta sit, quam post *tertiam* seditionem plebis Populique Romani, quæ exorta fuit conditæ urbis Romanæ Anno 467. ac illa non prius sopita fuisse legitur, nisi postquam seditiosi Adversariorum suorum obtinuerunt assensum, ut *Plebiscita* a Consulibus & Patritiis inter communes Romanorum Leges reciperentur. Qui ferendarum Legum & regendæ Reipublicæ modus, verisimilius usque ad *Augustum Pium* Cæsarem durabat, in hunc demum & ejus Throni succedaneos potestas illa *plene* derivata est.

Videri hac de re, præter jam citatos Auctores, potest Anton. August. *lib. de Legib.* Ferretus *in not. ad inst. de J. N. G. & C.* Thomas Næv. *Jurisprud. Antejustin. Lib.* 1. *c.* 6. & Joan. *Lexic. jurid. Jur. Cæsar. sub Lit. R.*

## *SATISFIT CONTRARIIS.*

960. Contrariis rationibus quæ ex *Joan. Marsilio, Hornio* &c. adducuntur, superius laudati DD. cum *D. Thoma, Covarr. Soto, Victor., Puffendorfio, Hobbes.* & aliis respondent, I.) Ex hac opinione non sequi summam potestatem a communitate semel collatam uni vel pluribus, posse dein pro arbitrio suo abrogari. Nam *contra* est, quod Electiones, & li-

& liberæ sui subjectione fiant *irrevocabiliter*; & quod initio est *voluntatis*, postea fiat *necessitatis*: Communitas igitur semel a se creatum Magistratum nequit pro *suo arbitrio* jure quæsito privare, prout nec se Judicem ipsius constituere, cum potius ipsi *qua legitimo superiori* suo jure etiam Divino obedire teneatur, 1. Petr. 2. v. 13. *subjecti estote omni humanæ creaturæ propter DEUM, sive Regi quasi præcellenti, sive Ducibus, tanquam ab eo missis*: Contra hosce igitur Regibus & Magistratibus suis rebelles subditos, ac perversos Politicos recte docet Suar. *de LL. l. 3. c. 4. n. 5.* falsum & impium esse, quod regnum sit supra Regem, quia illi dedit potestatem, pariter ac *omnino* falsum est, quod possit, si velit, eum deponere vel mutare.

II.) Minime etiam sequitur opinionem hanc repugnare S. Scripturæ dicenti *Ad Rom. 13. Minister enim DEI est*: *Non est potestas nisi a DEO* &c. Nam verissimum est potestatem esse a DEO: sed *mediate* vel *immediate*. Neque obsona est hæc distinctio, ut vult *Marsilius*; Quia hoc non obstante DEUS est *causa generalis*, juxta illud commune principium: *quod primum est in unoquoque genere, illud est causa cæterorum*, sive *immediate* sive *mediate*, nempe per causas *secundas*, & naturali ac ordinario modo operetur effectus civiles & mere naturales. Imo, dubio vacat, DEUM esse causam *immediatam* supremæ potestatis *spectatæ in se*, & abstrahendo *ab hoc vel illo homine* determinato. Hanc enim determinationem reliquit penes communitates, ut hæ, circa negotia civilia & *mere naturalia* modo naturæ rationali consentaneo procedant, determinando personam, in eamque legislativam ac gubernativam potestatem *transferendo*, ac proin DEUS est causa tantum *mediata* in ordine ad subjectum seu personam Majestatis & summæ potestatis determinatam, hanc scilicet vel illam a Populo electam, vel cui præter electionis modum, alia via potestas gubernativa per Populum collata est.

Omne dubium hac in parte tollit D. Chrys. *Hom. 23. in Epist. ad Rom.* dicens: *Non est potestas nisi a DEO: quid dicis? ergo omnis Princeps a DEO constitutus est? istud non dico. Non enim de quovis Principe mihi sermo nunc est, sed de re ipsa, id est de ipsa* NB. *POTESTATE. Quod enim principatus sint, quodque non simpliciter & temere cuncta feruntur, Div. sapientiæ opus esse dico. Propterea non dicit: non enim Princeps EST NISI a DEO: sed de re ipsa disserit, dicens: non est POTESTAS nisi a DEO.*

961. In hunc sensum Puffendorfius *loc. cit.* §. 4. contra *Hornium* ait, *separandas esse illas formulas: DEUS est causa Majestatis immediata: & DEUS immediate constituit Principem*. Pergens autem ulterius, ibidem dicit: *Enim vero si quis penitius consideret, videbit, istos homines concepisse Majestatem tanquam ens quoddam physicum, quod a DEO productum velut incerta sede, & sine subjecto per orbem vagetur, donec designato per populum Regi superveniat, eumque augusto suo splendore cumulet. Ubi sine dubio aqua hærebit, si quis importunus quærat; illa Majestas, antequam in Rege aliquo sedem inveniat, substantia sit an accidens? & si ad accidentium classem referatur, quomodo sine subjecto existere queat? Quo porro tempore creata sit illa; initio mundi, an postea? Item, an una per universum orbem sit Majestas, cujus particulæ in singulos Reges sint distributæ, an singuli Reges peculiarem & integram habeant Majestatem? an Rege defuncto Majestas simul pereat, an vero eidem superstes existat, veluti anima a corpore separata, aut per quandam quasi metempsychos. novum apud Regem receptaculum inveniens?*

962. Idem *Puffendorfius* prosequitur hoc argumentum *ibid.* dicens: *Et cum* Hornius *utique populo relinquat potestatem, antequam ulli adhuc jus ad imperium sit quæsitum, quem & quando velint Regem constituendi, aut quamlibet formam Reipublicæ introducendi* (juxta verba Deuter. c. 17. v. 14.) *scire cuperem, quidnam circa Majestatem futurum esset, si omnibus populis aristocratico, aut democratico regimine uti placuisset? Equidem novimus electionem proprie & presse esse modum imperium quærendi. Sed quin uno & eodem actu & designetur certa persona, & in eandem imperium, tunc primum existere incipiens conferatur, nihil obstare videtur*. Concludit demum afferens: *Jura & alias qualitates morales MUTUA VOLUNTATUM conspiratione, per pacta resultare in aprico est.*

III.) *Hornii* & ejus sequacium quidem opinio urget, quod Patres Concilii *Parisiensis* Ludovico Imperatori declaraverint, Regnum non Decessoribus, sed DEO ipsi deberi, dicentes: *quisquis in mortalibus temporaliter imperat, non ab hominibus sed a DEO sibi commissum regnum credere*t. Verum respondent *Puffendorfiani*: Patres Synodi *Parisiensis* Anno 829. locutos fuisse in sensu D. Chrysostomi supra citati, quod scilicet Magistratum administrantes intelligere debeant, supremam potestatem eorum non esse he-

hereditates Antecessorum, circa quas habeant *absolutam* facultatem disponendi: sed beneficium DEI, a *Majoribus propagatum*, & vel ideo juxta institutionem Divinam, DEI ipsius nomine, ad salutem & felicitatem Civium administrandam.

IV.) Solemne est *Hornianis* adducere exempla *Saulis* & *Davidis*, qui a DEO *immediate* creati Reges sunt. Demum inducunt aliud exemplum de *Mathia* & Pontificibus *Romanis*, ubi Ecclesia non applicat nec confert potestatem personis electis ac designatis: sed potius personas has potestati. At neque hæc stringunt *Puffendorfium*, qui *loc. cit.* §. 3. respondet: *quod in populo Judaico factum, id de origine imperii regii in universum haud quidquam testatur; cum dudum ante institutum illud regnum plurima regna extiterint. Quin potius ad modum collati in hunc vel illum imperii certo in populo pertinet.* Exempla igitur hæc vel specialia sunt, ut non tam regulam probent, quam exceptionem a regula, vel ut monstrant alii, DEUS solummodo designavit personas *Saulis* & *Davidis*, nec immediate contulit potestatem summam: Imo etsi immediate eam contulisset, id tamen fuisset quid *extraordinarium* & supernaturale *quo ad modum*. Juxta communem autem & ordinariam providentiam non ita fit, quia homines juxta naturæ ordinem non revelationibus, sed naturali ratione reguntur in his, quæ civilia sunt;

Nec obstat, quod Scriptura interdum dicat DEUM dare regna & mutare suo nutu, ac *Daniel. c.* 4. & *Isai. c.* 45. dicitur Cyrus a DEO constitutus Rex, Unde *Joan.* 19. dixit Christus: *Non haberes in me potestatem ullam, nisi tibi datum esset desuper*: In his enim solum significatur, hæc omnia non fieri sine speciali providentia DEI, vel ordinantis, vel permittentis, ut docet Augustin. *Tract. 6. in Joan. c.* 22. ac contra Faustum *c.* 74. Id tamen non excludit, quin hæc per homines fiant, sicut alii effectus omnes, qui fiunt per causas secundas, principaliter tribuuntur providentiæ DEI. D. Thom. *q.* 90. *a.* 3. & *q.* 97. Cajetan. *opusc. de potestat. p.* 2. *c.* 2. & 10. Victor Sotus, Puffend. *l. c.*

963. Nullam quoque esse paritatem cum D. *Mathia* Apostolo & *Pontificib.* respondent citati DD. & signanter Victoria *d. l. n. cit.* cum communi Catholicorum. Nam Apostolica & Pontificia Potestas utpote *supernaturalis* & proveniens a DEO tanquam *libero collatore*, antecedenter non Ecclesiæ: sed capiti ab Ecclesia designando est collata, ut adeo

non tantum in se, sed etiam in ordine ad *subjectum Monarchicum* fluat immediate *a Christo*, neque antecedenter ab Ecclesia limitari, minuive possit: totum vero contrarium contingit quo ad potestatem summam civilem, uti constat ex dictis.

964. *CONCLUDES*, I.) Subjectum Majestatis dari duplex, *mediatum* & *immediatum*. Illud est *communitas* quatenus in *se spectata*, quæ semper exigit potestatem summam, veluti proprietatem moralem *naturaliter sibi competentem*. Istud autem est persona *physica*, vel moralis, id est, unus vel plures, in quos nulla sibi reservata parte Majestatem omnem transtulit Respublica. Hinc regnatrice familia penitus extincta imperium redit ad Populum, ut vel aliud subjectum eligat, vel aliter de forma & modo regiminis statuat. II.) Majestatis capacem esse omnem hominem, quem natura, specialis lex, aut Provinciæ consuetudo non repellit, adeo ut naturalis juris concessione spectata, neque etiam sexus muliebris excludatur, dicente *Seneca* apud Lipsium Civil. doctr. l. 2. c. 3. *Ratio & virtus nec sensum, nec sexum discernit*.

III.) Objectum potestatis civilis in duplici reperitur classe, scilicet *primarium* & *secundarium*, sub illo comprehenduntur subditi *proprie tales*, quales sunt Cives homagio adstricti: Incolæ, seu *Landsassii* domicilium verum sortiti, imo & Peregrini, præcipue ære alieno aut crimine in loco commorationis obstricti. Jam vero Ecclesiastici certo territorio contenti, qua ratione subsint *politicæ* potestati vel non, abunde tractari solet in Jure Canonico ad *titul. de Constit.* ac tit. de *Foro compet.*

Jus autem *Sacrorum* non competere Politico regimini, etiam ex Protestantibus sunt, qui fatentur cum *Hornio* de Civit. L. 2. c. 5. *Hug. Grot.* in speciali tract. de Imper. summar. potestat. circa sacra, c. 2. §. 8. *Besoldo* tunc adhuc acatholico; in politic. l. 2. c. 3. §. 3. n. 14. & 19. *Bohmero* in Introduct. ad Jus publ. l. 2. c. 5. §. 2. & aliis. Sub *secundario* ob ecto continetur *locus* seu *territorium*, in quo stat præsumptio pro juribus Majestatis, & exemptio restat probanda. Alienum vero territorium *intranti pacifice* Personæ regiæ, etsi non maneat Majestatis potestas *judiciaria*, atque *contentiosa*, citra consensum Domini territorialis, manet tamen *dignitas Majestatis*, quo ad honores, præeminentiam & independentiam, id quod male negat Bohmerus *in Introd.*

*trod. ad Jus publ. l.* 1. *c.* 4. §. 11. Ratio est, quia characterem vicariæ dignitatis Divinæ sibi quodammodo impressum ubique circumfert.

IV.) Majestas seu summa potestas in *statu Monarchico* residet penes eum, qui Superiorem in terris non recognoscit, sive dein Rex, Dux, aut Princeps appelletur. In *Statu Aristocratico* summa potestas indivisim competit Senatoribus seu Optimatibus, qui aliquando assumuntur ex solis Nobilibus seu Patritiis; aliquando ex Civibus universis ob meritum virtutis & doctrinæ seliguntur, eum scilicet in finem, ut illi soli excluso Populo, negotia Reipublicæ more Regio, citra metum provocationis ad superiorem, disponant. In *Statu Democratico* summa potestas est penes universum Populum, in Civitate, seu societate civili & perfecta congregatum: adeo ut sine omnium Civium, aut maioris saltem partis consensu actus Summæ potestatis exerceri nequeant; nisi forte unus assumatur, qui totius Populi nomine regat.

## §. II.

### *Quæ sint jura Majestatis, & quomodo acquirantur?*

### S U M M A R I U M.

965. *Ad jura Majestatis reducuntur Personæ & Jura:*
966. *An autem hæc tot reperiantur in Principe quot in DEO?*
967. &c. *Illa acquiruntur* I.) Electione, *quæ est diversa.*
969. &c. *Acquiruntur* II.) Successione, *quæ est varia.*
973 &c. III.) *Bello* justo, *aut præscriptione immemoriali.*
976. &c. IV.) Matrimon. *contracto.* V.) Alienatione *legitima.*

965. AD jura Majestatis reducuntur I.) Personæ subditæ, quæ aut homagium summo Imperanti præstiterunt, aut in eo loco, in quo summa potestas exercetur, non exemptæ morantur, de quibus *n. præc.* egimus. Hæ quantumcunque etiam exemptæ fuerint, licet non teneantur ad homagium, quo subjectionem suam manifeste commonstrent, obligantur tamen adhuc ad convenientem venerationem Summæ potestati civili exhibendam. II.) Ad jura Majestatis referuntur *Regalia*, quorum alia sunt *Majora*, quæ vocantur *Regalia intrinseca*, eo quod Summæ potestati sint indispensabiliter connexa: vocantur etiam *jura Majestatis immanentia* utpote insepara-

bili nexu cum imperio conjuncta, & sine quibus Cives a Civibus securi esse non possent. Alia *Minora* seu *Regalia extrinseca*, etiam aliis communicanda. Priora spectant potissimum ad potestatem tuendi jura, atque Rempublicam, posteriora consistunt in subsidiis ad eam tuendam requisitis. Jurium Maiestatis *intrinsecorum*, seu *Regalium Majorum* exempla sunt: Jus creandi Reges, Duces, Marchiones &c. Jus supremæ Advocatiæ: Jus restituendi famam & natales pro toto saltem Imperio, & alia hic per decursum afferenda. *Regalia Minora* consistunt in jure creandi Magistros & Baccalaureos, jure aggratiandi seu relaxandi pœnas facinorosis hominibus debitas: jure imponendi collectas, jure territoriali cum omnibus inde sequentibus aliis juribus, &c. &c.

Dein III.) Ad idem Jurium *majestaticorum* objectum refertur potestas justas pœnas sumendi. IV.) Potestas Judiciaria. V.) Potestas belli & pacis ac fœderum ferendorum. VI.) Jus Magistratus civilis constituendi &c.

966. An autem tot & tanta jura sint in Summo imperante creato, quanta in ipso DEO? affirmat Hornius *l. 2. de Civit. c. 2. §. 2. n. 4.* dicens, *eo ipso dum Princeps Vicarius DEI est, tantum potest in civilibus dependenter, quantum DEUS independenter in Universo potest*. Id vero protulit ille in suæ opinionis principiis, qua asseruit, quod DEUS sit immediata Summæ potestatis causa respectu subjecti *determinate* imperantis. Qua autem sequela Princeps qua *Vicarius DEI* necessario debeat jus omne, quod habet DEUS, & ipse habere; ex *Hornii* ratiocinio plane non apparet: cum aliis quoque Vicariis non omnia, quæ Principali competunt, necessario communicentur. Et alioqui sequeretur, Summam potestatem creatam posse pro *suo libitu* de vita, corporibus, bonis & juribus subditorum, citra cujusquam injuriam disponere, ac omnia susque deque evertere in suo territorio, cum id DEUS vi absolutissimi dominii sui possit *in Universo*. Et tamen humana potestas *commensurata* est fini; hoc est, *saluti Reipub. & Civium*, ita ut illi omne & solum id sit licitum, a quo DEUS & natura non abhorret, quodque in salutem, non in perniciem subditorum ordinatum est.

Neque Christiani Principes unquam approbarunt hujusmodi assentationem, qui reverenter profitentur se *DEI GRATIA* esse id quod sunt. Nec plus sibi arrogant, quam quod ejus Gloriæ & Civium utilitati profuturum judicant.

Ve-

Veriorem igitur regulam status ex officio *Vicarii*, seu *Pro-DEI* deducit Card. Bellarm. *de Offic. Princ.Christ.l.1.c.1.* nempe quod Principatum *non ut absolutum suum: sed ut sibi a Rege supremo ad tempus traditum* obtineant, sub conditione severissimæ rationis aliquando reddendæ in tremendo ejus judicio, juxta Divinum monitum Sap. 6. v. 7. *Potentes potenter tormenta patientur*. De Hornii itaque assertione videri potest Puffendorf. *de J.N.G.l.7.c.3.§.4.* ver. *per contumeliam Divini Numinis fastigium Principum extollere gaudent* &c. ac Fernand. Vasquius *illustr.q.l.1.c.45.n.4.* vers. *res sane risu digna* &c. tum Heinecc. in *Elem. J. N. & G. lib. 2. c. 7. §. 131.* vers. *nefarie illos blandiri summis potestatibus, qui illis persuadent licere quod libeat* &c.

967. Jura Majestatis *summaque potestas* acquiruntur diversis modis, scilicet *Electione*, *Successione hereditaria*, *vel gentilitia*, *Bello*, *Matrimonio*, *Alienatione* & *Præscriptione*, hic tamen ultimus acquirendæ Majestatis modus controversus est inter DD. Paucis interea exponemus singulos.

Inter modos acquirendi summam potestatem I.) est *Electio* pro statu *Aristocratico* & *Monarchico*, ad quorum regimen non Reges tantum: sed etiam Optimates assumi possunt & solent. Jus autem suffragii totus habet Populus, vel Personæ nobiles, Cives nempe Regionis, in qua fit Electio; præterquam si Populus, aut numerosa Nobilitas evitandæ confusionis gratia jus suffragii Legatis quibusdam deferre, aut in perpetuum certo hominum Ordini relinquere velit, prout Nobilibus ex singulis Provinciis delegari solitis, *in Polonia*, certis Principibus, quos Electores salutamus, in *Germania*, & Possessoribus rerum immobilium in *Frisia*, collatum esse non ignoramus.

In statu autem *Democratico*, cum idem Populus regat & regatur, nulla contingit imperii mutatio, sed quamdiu manet populus, per subjecta sibi invicem continuo succedentia, manet etiam Imperium penes totam Civitatem, nisi mutata voluntate Regimen aliud introducere placuerit. Puffend. *l. c. cap. 7. §. 1.* Huber. *de Jure Civit. l. 1. s. 7. cap. 5. §. 2.*

968. Porro tres Electionum species haberi observamus, *prima* scilicet fieri solet intra certam Familiam, *altera* ad Nationem unam restringitur, *tertia* nullo termino circumscripta est. *Forma* autem Electionis *Monarchicæ*, vel *Aristocraticæ*, ex cujusque Regni, vel Reipublicæ Legibus & mo-

ribus est petenda, & ubi speciale quid ordinatum non fuerit, præcise attenditur ad numerum, ut, cum exitus electionis fuerit dubius, majoritas suffragiorum præcellat, habita tantum præsentium, non etiam absentium consideratione.

Prædicta Votorum majoritas apud *Polonos*, sicut in decisione causarum judicialium, coram Judicibus ex variis provinciis ad certum Tribunalis locum deputatis, semper observatur, ita vel maxime circa Electionem Regum, suum solemne tenet, adeo ut inter aniles fabulas merito referenda sit eorum narratio, qui interdum asseverant, *unam solam* contradictionem seu liberum *veto*, id est, *nie poznvalam* impedire Regis electionem in Polonia. Id enim apud eos locum non habet, præterquam eo casu, quando v. g. Rex *hæreticus*, vel alias Catholicæ Ecclesiæ non satis addictus &c. in Thronum elevaretur, tunc enim *etiam unius oppositio circa legem*, & *cardinalem* ejus *articulum*, suum effectum sortiri debet: non tamen quilibet ex immensa fere Nobilium multitudine jus oppositionis hujus, alioqui etiam justissimæ, habet: sed solum Optimates & *personæ* a Provinciis, Territoriis & Palatinatibus ad id muneris *deputatæ*, vel si alias totus Ordo Equestris, aut magna ejus pars ob rationes justas electioni se opponeret.

969. Inter modos acquirendi Summam potestatem reputatur II.) *Successio*, quæ duplex est, alia hereditaria, alia gentilitia. *Hereditaria* est, quæ dependet ex arbitrio Regnantis, cui liberum est circa Regni Successorem disponere, ac vel suos heredes vel extraneos, mares æque ac feminas, nec minus legitimos, quam illegitimos designare, aut etiam si plures sint heredes, Regnum inter eos distribuere. Id quod accidit in Civitate, quæ *patrimonialis* nuncupatur; aut in Regno, quod Populus cum jure constituendi Successorem, in Principem absolute transtulit. Besold. *Polit. l.* 1. *c.* 6. §. 1. *n.* 3. asserens hunc succedendi modum olim frequentem, & pleraque Hispaniæ Regna paterno testamento jureque hereditario fuisse delata. Quodsi contingat Regem intestatum decedere, tunc recurritur ad voluntatem ejus tacitam, quæ talis esse præsumitur, ut, sicut in privato patrimonio liberi potius quam extranei succedunt, ita & in Principatu. Si vero plures extent liberi; ætatis fiat consideratio, illeque, qui *major*, seu primogenitus est, jus obtinebit in successione.

Cum

Cum enim ex una parte regnum inter plures commode nequeat dividi; ex altera vero salus publica plures in uno regno Reges non admittat: conveniens est, ut unus anteponatur cæteris, & quidem ille cui favet Natura, nascendi simul & regnandi sortem indulgens. Estque hæc ætatis prærogativa ipsis Imperiorum initiis coæva, & apud omnes propemodum Gentes, Ægyptios, Moabitas, Albanos, Græcos, Athenienses, Trojanos, Persas, Numidas, Gallos, Hispanos, Scotos, Anglos, Gottos, VVandalos, &c. introducta, sacris etiam paginis non incognita, uti patet ex libro *Gen. c.* 25. *v.* 31. de Jacobo & Esau, e quibus hic illi primogenituram vendidit &c. &c.

970. Successio *Gentilitia, seu Legitima* est, quæ non dependet ex libera regnantis voluntate, sed a lege vel consuetudine, certo generi ac familiæ successionem in Imperio deferente, adeo ut omnes qui descendunt ex illo genere vel familia, jus quoddam succedendi obtineant, sine ipsorum voluntate non auferibile. Grot. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 7. §. 22.

Estque duplex, alia *linealis*, quæ secundum ordinem & prærogativam lineæ ordinatur, ita ut non tam jure *repræsentationis* & subitionis in locum defuncti (hæc enim non attenditur) quam jure *transmissionis*, regnum quasi jam delatum ex providentia aut pacto Majorum, transeat de linea primogenita ad lineam secundogenitam, & ubi semel ingressa fuit unam lineam, in ea permaneat, usque dum penitus extinguatur, qua etiam ex causa alio nomine *primogenitura* nuncupatur. Vitriar. *q.* 50. §. 52. Successio legitima *Non-linealis* vocatur, in qua ordo & prærogativa lineæ non attenditur, eaque, si ad successionem vocentur, qui ex tota ultimi Regnantis domo, ætate majores aut seniores sunt, *Majoratus* indigitatur.

971. Utraque Successio rursus dividitur in cognaticam & agnaticam. *Cognatica*, quam alias *Castilianam*, id est in Regno Castiliæ quondam usitatam dicunt, est, ubi respectus habetur etiam ad cognatos, & sic tam feminæ, quam masculi, per lineam feminineam conjuncti succedunt. Cum hac tamen limitatione, ut &, quamdiu masculi extant de familia ac nomine defuncti, feminæ earumque descendentes a successione removeantur; & filia ex filio præferatur filiæ ex filia, uti & filia ex fratre, filio ex sorore anteponitur. Covar. *pract. qq. c.* 38.

972.

972. *Agnatica*, quæ & *Francica* (quod fuerit in Regnum Franciæ invecta) nominatur, est, ubi respectus ad solos habetur masculos, idem nomen & insignia cum Antecessore participantes, ut Regia dignitas intra Familiam, per solam stirpem masculam legitime propagandam conservetur. Grot. *d. l.* §. 23.

973. Inter modos acquirendi Summam potestatem III.) refertur *Bellum*, cui primorum & præcipuorum Regnorum ortus & incrementa deberi, non pauci firmissime sibi persuadent. Ut enim taceamus, ajunt illi, *Cain*, qui trucidato (*Gen.* 4. *v.* 8.) Abele fratre suo, ædificavit primam Civitatem: & Gigantes *potentes a sæculo*, (Gen. 6. v. 4.) qui non fuerunt alii, quam Tyranni per aliorum subjugationem ad dominatum eluctantes: tum *Nemrodum*, qui post diluvium fecit principium Regni Babylonici, *cæpit esse potens in terra & erat robustus*, Gen. 10. v. 8. 9. & 10. &c. Persæ a Romanis subacti sunt armis: Macedonum Reges Atheniensem populum, urbesque & Asiam occuparunt: armis quoque Carthago Romanis: tota Africa, Europa, & ipsa Roma Gothorum jugo se serviliter submisere; Ita Bohmer, *in Introd. ad jus publ. univers. part. spec. l.* 1. *c.* 1. §. 14. *&* *c.* 2. §. 14. ac *c.* 3. §. 14. Hippolytus a collibus *de Princip. c.* 2. *Lit. C.* Quibus præluſit Tacitus *l.* 3. *Annal.* 26.

974. Utcunque autem hæc subsistant, vel non, ad nostrum propositum parum conducunt, cum ex dicendis hic *Cap. seq. de Bello*, certum apud omnes sit, *injustam* alterius aggressionem & coronæ Regiæ ereptionem non posse jus Summæ potestatis tribuere: nisi forte (uti diximus præced. cap. *de præsc. inter Gentes*) per tempus immemoriale pacifica subsequatur possessio unius, & acquiescentia alterius, præstita non aliter, quam plena libertate, Populo aut Principibus vi subactis consentientibus, ut *injustum* alioqui Regni invasorem, pro legitimo Imperante suo agnoscant. Grot. *l. c. l.* 3. *c.* 8. §. 1. Justo quippe bello Jura Majestatis comparari sibi victorem posse, nullus mortalium dubitat, dicente Tertulliano *in Apologet.* quod certum sit *Imperia armis quæri, victoriis propagari.*

975. Prædictis, Summam potestatem acquirendi modis, IV.) accedit *Matrimonium*, de quo *Africani* prudens monitum extat, *Uxorem quære, firmamentum familiæ*. Per matrimonium enim non tantum Imperia patrimonialia, & quan-

quandoque hereditaria: sed etiam gentilitia, si *cognatica* sint, a feminis Regni heredibus, in maritos transferri posse, monumenta Regnorum Hispaniæ, Angliæ, Sueciæ &c. testatum faciunt. Hoc quippe casu, si femina in Regno succedat, Summa potestas, contracto etiam matrimonio, penes ipsam, quo ad radicem & actum secundum manet quidem, debet Maritus æque ac alius, Reginæ Conjugis jussa explere, suspensa, quam alias ex conjugio sortitur, maritali potestate. Nihilominus consentiente Populo, Regina summam potestatem Marito impertiri potest duplici modo, vel ut assumatur in collegam, & consortem Imperii, vel ut honore penes Reginam persistente, ipse solus Imperium administret. Utrovis modo id fiat, Vir, juxta Huberum *d. l.* §. 25. summam potestatem vere consequitur. Quia tamen summa potestas est independens & indivisa, ac incommunicabilis, non poterit in una eademque Civitate penes duas personas Maritum & Uxorem æqualiter & vere consistere: sed penes Reginam v. g. in *habitu* & radice sit, ac in Maritum Regium *quo ad exercitium* transeat, necesse est: quo eventu verius dicitur, Maritum esse Magistratum, Regiæ tamen præeminentiæ participem, uxorem vero Reginam esse Majestate ac summa potestate decoratam. Nisi supponere velimus, quod Uxor summam potestatem a se penitus abdicet, & in Maritum privative referat, prout id fieri posse asserit Hornius *l.* 2. *c.* 9. §. 18. *n.* 4.

976. Dixi tamen: *consentiente populo*. Quia populo dissentiente forma Imperii semel constituta nullomodo immutari, vel extra familiam Regiam in Maritum, ceu extraneum transferri, vel ita circumscribi potest, ut difficulter discernatur, quisnam in Regno Majestate fulgeat, Maritus, Uxor, an Conjux uterque; Huber *d. l.* §. 24.

977. Alius item est summam potestatem acquirendi modus, V.) per *Alienationem*, qua summa potestas ab uno subjecto transit in aliud, sive per actum ultimæ voluntatis, sive per actum inter vivos, scilicet via venditionis, permutationis, donationis, aut infeudationis. Quod an fieri possit? scire interest, sitne potestas summa patrimonialis, an non patrimonialis. Summa potestas *patrimonialis* libere a Principe transferri in alios potest, cum nulla ratio, quæ alienationem impediat haberi possit. Cujus exempla tam in S. Scriptura 3. *Reg.* 3. habemus de Salomone Rege, qui

qui Regi Phœnicum Hiromo dedit urbes 20. quam in historia profana, ut videre est apud Grot. *l.* 1. *c.* 2. §. 12. *n.* 4.

978. Summa potestas *non patrimonialis* considerari potest vel in statu Democratico, vel in alio. In statu *Democratico* liber Populus facultate pollet summam potestatem in alios libere transferendi, cum nulla lege prohibeatur renunciare suæ libertati. In statu autem *Aristocratico* vel *Monarchico*, sine voluntate populi, seu Optimatum & Nobilitatis, Summam potestatem alienare nefas est: cum Populus, vel Optimates, & Nobilitas contra voluntatem suam non teneatur aliis, ac quibus electione, vel successione collatum est Imperium, obtemperare, Grot. *d. c.* 3. §. 13. *n.* 1. Muelen *in comment. ibid.*

979. Demum VI.) modus est acquirendi Summam potestatem *Præscriptione*, cujus adminiculo Gens contra Gentem, aut Rex contra Regem, Populus liber contra Populum similem, Optimates contra Optimates, ex lapsu temporis immemorialis, in ea Regione, vel Provincia, in qua nunquam interrupta possessione regalis Imperii jura exercuerunt, Summam potestatem sibi legitime vindicant, esto titulum alium ostendere nequeant. Et cum a plerisque modus hic in dubium revocetur, ea quæ pro ejus majori verisimilitudine afferenda judicavimus, videri possunt *c. præced.* §. *de Præscript. inter Gentes*. Sed

Quæres: *Quid rei sit* Civitas, *cujus frequens hic facta est mentio?*

I.) Civitas non a muris sive ædificiis: sed a Civibus pluribus in unum congregatis dicta, describi potest, quod sit, *corpus politicum ex pluribus personis, civilis beatitudinis causa in commune regimen coadunatum*. Zasius *in l.* 2. *ff. de Orig. Jur.* Cicero *in Somn. Scipionis*. Hinc personæ eam constituentes *Cives* audiunt, prout distincti a Peregrinis, &c.

II.) Dividitur autem Civitas in Regularem, & Irregularem. *Regularis* est, quæ Monarchico, Aristocratico, Democratico, aut mixto regimine dirigitur. Hi enim gubernationis modi ordinarii sunt & regulariter exerceri solent, ac olim exercebantur in cætibus hominum in unum corpus congregatorum. *Irregularis* dicitur, quæ nullum ex his observat regiminis modum, tales sunt v. gr. Civitates *beriles, patrimoniales* &c. hæ enim neque *monarchico* regimi-

gimine diriguntur, cum particularis herus supponat superiorem a quo dependeat, neque *aristocratico* &c. ut per se patet.

III.) Porro *Monarchia* in specie est, cum omne jus in subditos unus Princeps habet, solusque Rempublicam ad communem utilitatem administrat. *Aristocratia*, quando aliquot Optimates, hoc est optimi & selecti viri plures vel pauciores regunt. *Democratia* est, ubi populus in commune consulit, nullumque supra se Principem agnoscit, aut ad certum sibi tempus Superiorem eligit, prout olim fiebat sub Consulibus apud *Romanos*, & nunc apud *Helvetos*, & *Hollandos*. Finis & scopus *Democraticæ* Reipublicæ est *libertas Civium & æqualitas*.

Regimen autem *Mixtum* dicitur, cum Princeps, Senatus, & reliqui Cives aliquid ad gubernationem Reipublicæ conferunt: & quidem, si Princeps cum Senatu, & selectis Nobilibus consulat, Respublica mixta est ex *Monarchia* & *Aristocratia*, qualis est *Polonorum* ac *Lithvanorum*, ubi Rex *arbitrio proprio* nec bellum indicere, nec nova cum exteris fœdera sancire, nec tributa Civibus potest imponere. Unde sub tempus coronationis sacramento se obstringit, nunquam se commissurum, ut, non communicato cum Senatoribus consilio, ulla de re momenti gravioris quidpiam statuat. Modernum item *Romano-Germanicum* Imperium ex *Monarchia*, *Aristocratia* & nonnihil ex *Democratia* participat: nam cum Imperatore ac Electoribus de communi Patriæ bono consultantibus, Civitates quoque liberæ suam in Comitiis vocem habent. Regimen hoc mixtum aliter vocatur: *Status Civitatum mixtus* &c.

IV.) Inter regulares Civitatum formas simplices excellit *Monarchia* eo, quod sub uno Principe facilius servetur unitas, concordia & consensus animorum. Hinc, *saltem plerumque* melior est ordo & gubernatio, cum omnes ab uno dependeant Capite seu Superiore. Quod etiam patet in exemplo; ita quippe, teste, post alios, Bellarmino *L. 1. de Rom. Pont. c. 2. & 3.* Christus Ecclesiæ suæ non aliud quam Monarchicum regimen præficere voluit. Ac præclare senserat olim Tacitus *L. 1. annal.* dicens: *discordantis Patriæ non aliud esse remedium, quam si ab uno regeretur*.

Dixi autem: *Saltem plerumque*; Quia generaliter loquendo, fatendum est cum communi aliorum; Omnium Civitatum, seu Rerumpublicarum formam optimam esse *mixtam*, seu

seu mixti regiminis, quæ ex Monarchia & Aristocratia est temperata, ubi nimirum & regia viget potestas, & Ordinum valet auctoritas. Quia hujusmodi regimen nec tyrannidi est obnoxium, propter Senatorum aut Ordinum vigilantiam, qui Principem ita in suo continent officio, ut absque consensu eorum nil audeat contra Statum, legesque Patriæ moliri. Nec discordiis atque ambitioni Optimatum patere potest, cum omnes ab uno capite dependeant.

V.) Civitatis *origo* fundamentaliter provenit verius a jure naturæ *mere negativo*, seu permissivo. Neque enim ex ulla ratione colligi potest absolutum juris nat. præceptum obligans genus humanum ad vitam instituendam in corpore politico, sub unum regimen coadunato, cum ad *civilem* beatitudinem obtinendam suffecisset alias sola *societas familiæ*. Certum quippe est, quod priusquam *Corpora politica*, seu *Civitates* ac Respublicæ constituerentur; jam extiterint homines in familias segreges dispersi, quorum tamen vitæ necessitatibus, inventa agricultura, re pecuaria, vini cultura, vestiaria, aliisque artibus, satis provisum fuit: nihil igitur prohibet cur idem vivendi modus continuari hucusque non posset negata Civitatum; Rerumpublicarum aliarumque regiminis formarum constitutione, per quas plures homines & familiæ in unum corpus politicum coadunari nunc solent.

At neque de *Jure Gentium* alio, quam mere permissivo provenit hæc ipsa Civitatis origo, cum pariter ex nullo capite, Gentium Juris præceptum deduci queat; quod hujusmodi obligationem cuipiam imponat: sed mere naturalis inclinatio & spes majoris utilitatis suadet hominibus, ut potius jus Civitatis sub communi regimine obtineant, quam si segreges permaneant, & solitariam vitam omnes instituant.

980. De recensitis *Juribus Majestatis* & *Statu Civitatum* succincte hic egimus; nec mirum sit: materia enim hæc per se ad *Jus publicum* referenda esset: quia tamen Juris Nat. & Gent. Scriptores communiter illam ad Jus Gentium reducunt, placuit eorum sequi vestigia, & aliqua saltem parte attingere illas quæstiones, quæ ad faciliorem Juris Gent. notitiam adminiculo esse possunt. Omissis autem reliquis minus ad nostrum propositum spectantibus, ea quæ *Juris Gentium* propria sunt, de *Bello, pace, fœderibus*, &c. prosequemur.

CA-

# CAPUT V.

## De Bello, & jure Belli inter Gentes.

### §. I.

### *De Natura, Diversitate, & Origine Belli; ejusque licentia.*

## SUMMARIUM.

981. *Belli definitio statuitur.*
982. *Debet esse justum saltem formaliter.*
983. *Ejus divisio in Offensivum & defensivum* &c.
984. *Bellorum origo ex antiquitate temporis.*
985. *Et altera origo ex Jure Gent. deducitur.*
986. *Licentiam belli cum aliis impugnavit* Lutherus.
987. *Eo concionante pro Turcis;* Hungaria *periit.*
988. *Licitum est bellum; si servet conditiones.*
989. *Id neque Nat. neque Gent. juri repugnat.*

981. I.) Bellum prout a latrocinio, rebellione & seditione distinctum est, recte definitur ab Alberico Gentili *de Jure belli l.* 2. quod sit *Publicorum armorum justa contentio*; & adhuc rectius explicatur a Corn. van Bynkersh *quæst. jur. publ.* I. 1. Bellum *est eorum, qui suę potestatis sunt, juris sui persequendi ergo, concertatio per vim; vel dolum.* Hinc merito rejicitur *Grotii* a plurimis alioqui præscripta, & publico obtrusa definitio, dicentis, *est status per vim certantium qua tales sunt*, non enim magis competit Bello quam latrocinio, & cuivis injustæ aggressioni; quæ nequit dici *status*, cum non sit *conditio seu ratio per se stabilis vivendi*, quod ad rectam status explicationem *necessario* requiri liquet ex dictis hic *n.* 205.)

982. II.) Dicitur autem *justa contentio*, id enim requiritur ad rationem belli, ut differat a latrocinio, injusta alterius invasione & *vi privata*. Nec obstat, quod bellum utrinque justum *in se* ac coram DEO, seu (ut scholæ loquuntur) *materialiter*, esse nequeat, eo quod justitia secum ipsa pugnare, & actus sibi invicem contrarios approbare ignoret: nihilominus potest adhuc esse justum *formaliter*, seu in *opinione*,

*nione*, quatenus utraque belligerantium pars bona fide & ob motiva omnino gravia prudenter judicat se habere justam bellandi causam. Quo fieri potest, ut neutra earum delinquat *formaliter* contra justitiam, legemque naturalem & Divinam, excusante illas *ignorantia invincibili*, licet in *re ipsa* & coram DEO tantum apud unam partem existat justitia, seu vera causa belli: Quale fuisse olim illud, quod Judæi gesserunt contra Amorrhæos, & cæteras gentes, *Judic.* 11. censet *Covarr.* & *Abulens.* Ex parte quippe Judæorum erat bellum justum *materialiter* & *formaliter*, quia suberat vera causa propter voluntatem DEI, Judæis manifestatam, qua DEUS vi absolutissimi dominii sui ipsius terram Amorrhæorum donaverat, illisque potestatem fecerat expellendi eos populos: ex parte Amorrhæorum vero erat justum nonnisi *formaliter*, quia licet in *re ipsa* iis vera causa resistendi non subesset, *justa* tamen *ignorantia* ignorantes hanc divinam jussionem Judæis factam, se defenderunt ab aggressione Judæorum, eaque ratione existimabant se bellum justum gerere: Consequens igitur est, bellum, ne degeneret in latrocinium & vim privatam, debere esse saltem *formaliter*, seu opinative ex gravi ac vere prudenti motivo justum.

983. III.) Dividitur bellum 1.) in Offensivum & Defensivum. *Offensivum* est, quo quis infertur ad publice vindicandam injuriam, cui alter satisfacere recusat. Estque actus justitiæ vindicativæ, quia injuriæ vindicandæ causa geritur. *Defensivum* est, quo vis per injuriam illata cum moderamine inculpatæ tutelæ repellitur, ac pro defensione Regni, Provinciæ, subditorum, amicorum, aut Confœderatorum suscipitur. Vim enim injustam vi repellere cuivis licet, non tantum *publica* authoritate, ut fit in Bello, sed etiam *privata* extra bellum, *salvo moderamine* inculpatæ tutelæ, *l. ut vim* 3. *ff. de J. & J.*

Dividitur 2.) in hostile & civile, seu intestinum. Bellum *Hostile* est, quod Imperator Romanus, vel alius Rex, aut Respublica superiorem in terris non agnoscens, v. g. contra peregrinam & externam Gentem gerit. *Civile* ac *intestinum* est, quod Populi eidem Imperatori, vel Regi subjecti inter se gerunt, veluti si in Imperio Romano Princeps contra Principem, Civitas Imperialis contra Civitatem Imperialem &c. bellum moveat, *l. un. C. de Caduc. tollend. pr. ibi: ex bellis civilibus, quæ in se populus Romanus movebat &c.*

Quod

Quod tamen, ut ex definitione allata constat, *proprie* bellum non est: sed *civilis quædam dissensio*, aut *seditio* dicitur, *l. si quis ingenuam 21. §. fin. ff. de captiv. & postlim.*

Dicitur item Bellum *civile*, quod Princeps, vel Magistratus gerit contra subditos *rebelles* & contumaces; Lipsius *lib. 6. polit. c. 1.* ubi etiam bellum Civile definit, quod sint: *Arma subditorum in Principem mota, aut inter sese, quo nihil miserius, nihil fœdius.* Alias species Belli recensere hic supersedemus, quæ ex dicendis satis colligi poterunt, ut bellum *justum & injustum; necessarium & temerarium; publicum, privatum; mixtum; solemne; insolemne; &c.*

984. IV.) ORIGO bellorum deducitur ab exordio Mundi, de illis Adamus Contzen *Politic. lib. 10. c. 2. n. 2.* ait: *Bella cum nato Mundo fuerunt, & bellantes DECRETORIA DIES inveniet: duobus fratribus angustus erat Mundus, iniquo Caino videbatur Abel fore beatior: secuta sunt bella Gigantum, & discordes in unum gurgitem Cataclysmus inclusit* &c. Post Diluvium, primo familiam gubernavit *Noe*, & filii ejus donec divisa est terra, regnavitque *Nemrod* in campo *Sennaar*, cujus martiales spiritus induximus hic *n. 973.*) præter hunc, gravia etiam Bella fuerunt *Noacho, Semo, Japheto*, ac *Chamo* viventibus. Nec pacem conciliare inter posteros Proavi, Avi, Patresque potuerunt. Bella illa narrantur *Genes. 14.* quæ contigerunt Anno 334. post Diluvium, quo tempore *Noe, Sem, Arphaxad, Sale, Heber, Phaleg, Reuserag, Nabor* vitam vivebant; ut mirum fuerit tam cito extitisse Tyrannos & tyrannidem. Nam hoc prælium, quod Moyses & Josue in *lib. Genes. & Numeror.* gessisse legitur, non fuit primum, jam enim Annos 12. Reges illi servierant *Chodorlahomor* Regi Elamitarum, victi igitur bello fuerant ante hos annos, & usitata jam erant bella, cujus rei indicium est, quod *Chodorlahomor* fœderatos habuerit Reges, & cum regnasset in Elymaide longo spatio a Chananæis dissita; eos tamen servitio premebat. Bella dein quanta gessit Moys., Josue, David, aliique electi populi Principes? & hac serie bellorum usum usque ad nostra tempora, & etiam currentem hunc Annum 1762. continuari experimur.

V. Ex quo Mundus durat, quatuor hactenus stetere Monarchiæ: at quanto constitere sanguine? *Prima* erat Chaldæorum: *Altera* Persarum & Medorum: *Tertia* Græcorum: *Quarta* Romanorum. Omnes per bella occupatæ, altera ab altera armis pulsa; frustra est, quisquis quin-

*tam* exspectat. Ubi enim in sacris paginis *Dan. c.* 2. 7. & 8. quatuor enumeratas Daniel exponit, per somnium Regis Chaldæorum prævisas, de *quinta* Monarchia altum silentium. Vid. Cornel. a Lapide *in Cap.* 2. 7. & 8. *Dan.* Satis nempe cruore manavit terra in *quatuor* expugnandis Monarchiis, quin alia uberiorem eliciat. Et hæc est origo *temporis* a quo bella inter genus humanum inchoata sunt & perdurant.

985. VI.) Quæ autem sit origo Juris, seu *quo Jure introducta* fuerint bella, abunde liquet ex dictis hic supra *a n.* 663.) scilicet *Juri Gentium* originem suam bella debere certum est ex §. 2. *Inst. de J. N. G. & C.* vers. *Bella etenim orta sunt & captivitates secutæ & servitutes, quæ sunt naturali Juri contraria*, idest, si homo permansisset in naturali primæva innocentia, in qua creatus est, sicut bella, ita captivitates & servitus non haberent locum, ut diximus hic *n.* 805.) accedente autem *statu adventitio*, variatisque circumstantiis conditionis humanæ, occasione *peccati originalis* vitiatæ, omnibus his malis via aperta est, prout scite allusit *Poeta* canens de *pomo* seu *malo* illo, cujus esu Protoparentes nostri tantis vitæ miseriis se ipsos, & nos descendentes suos exposuerunt:

*Malum crede, malo mala contulit omnia Mundo,*
*Heu! mala malus erat, quæ mala mala tulit.*

Supposita igitur *originali* prævaricatione juxta dicta *a n.* 217.) naturæ corruptæ laxata sunt cupiditatis, avaritiæ, ac odii fræna, ita ut illa quantum de se facilius ad malum quam in bonum propendeat, appetat aliena potius quam sua elargiatur, inde (uti ait D. Chrysost. *in Orat. de S. Phylogon.*) ortum traxit *MEUM AC TUUM, FRIGIDUM ILLUD VERBUM, NB. INNUMERAQUE GIGNENS BELLA.* Et clarius causam bellorum expressit Apostolus, *Jacob.* 4. *v.* 1. & 2. dicens eorum fontem derivari ex concupiscentia hominum: *Unde bella & lites in vobis? Nonne hinc? ex concupiscentiis vestris ... occiditis & zelatis, litigatis, & belligeratis, & non habetis* &c. Cum autem bella hæc bene vel male, cum emolumento aut præjudicio Generis humani geri potuerint, neque illis lex naturalis pro *foro externo*, &. quo ad *civiles* effectus ullam certam regulam præscripserit: intererat *Juris Gentium*, ut naturalem bellandi libertatem certis limitibus restringeret, at-

te-

testante Hermogeniano *in leg.* 5. *ff. de Just. & Jur.* ubi ait: *Ex hoc Jure Gentium introducta bella* &c.

In quo autem sensu Jus belli reducatur ad jus Gentium; recte declarat Grotius *de J. B. & P. L.* 1. *c.* 1. *§.* 4. *n.* 2. his verbis, *Jure Gentium introducta esse Bella dixit Hermogenianus; quod paulo aliter, quam vulgo accipi solet, interpretandum censeo: nempe ut certa* BELLORUM FORMA *a jure Gentium sit introducta, quam formam quæ habeant Bella, ea peculiares ex jure Gentium effectus consequantur*. De quibus innuimus hic *n.* 682.) & plura dicendi tempus erit infra §. 2. *& seqq.* Bella igitur *formam suam* habent á Jure Gentium, ad quam observandam tenentur belligerantes; *permissionem* autem bellandi derivant a Jure nat.

986. VII.) Quod autem *LICENTIAM BELLI* concernit; multæ olim circa id punctum extabant disceptationes, seu errores. Nam 1.) Manichæi ex jure naturali æque ac Divino probare nitebantur bellum absolute esse illicitum, atque ea de causa reprehendebant Moysen, Josue, David, & cæteros veteris Testamenti Patres, quod bella gesserint, quos D. August. *l.* 22. *contra Faustum*, *c.* 74. confutat. 2.) Mediam viam elegerunt Anabaptistæ, qui concedebant bellum ex natura sua licitum esse & fuisse *Judæis*, negabant licere *Christianis*, eo quod Christiani debeant esse mansueti ac pacifici; ut refert Becanus *in Manual. controv. l.* 4. *c.* 4. Eosdem errores 3.) promovit famosus Apostata *Martin. Lutherus*, qui inter alia publice docuit, Christianis non licere bella gerere contra Turcas, uti liquet ex propositione ejus 34. Anno 1520. damnata a Leone X. per Bullam: *Exurge Domine*. Verba autem citatæ propositionis sunt hæc: *Præliari adversus Turcas, est repugnare Deo visitanti iniquitates nostras per illos*. Extat hæc ipsa Lutheri assertio apud Cherubinum *tom.* 1. *Bullar. pag.* 451. eamque cum aliis hujus Pseudo-doctoris ineptiis videre est apud Contzen *lib.* 10. *politic. c.* 3. Card. Bellarm. *to.* 1. *quinta Controv. general. l.* 3. *c.* 16. *tit. de Laicis* 1. & 2. Et utinam suis *Lutheranis* aliisque novi Evangelii sequacibus persuasisset ille abstinendum Bellis contra *Christianos*; S. R. Imperium pristina hucusque frueretur pace & tranquillitate, quam novitiæ religionis Apostoli seculo decimo quinto & sexto turbarunt, &c.

987. Verum quia ille Christianis suasor fuit, ne *Turcis* resisterent, hinc factum erat ut florentissimum HUNGA-

RIÆ Regnum Machometanorum tyrannidi, non sine gravi Viennensis Metropoleos, ac totius S. R. Imperii periculo, in prædam cesserit. De hac *Lutheranæ* doctrinæ perniciosissima peste Card. Bellarm. *cit. c.* 16, ait: " Cum " primum arma Christiana illata sunt in *Terram promissionis*, felicissimo eventu Hierusalem a nostris recuperata fuit anno MXCIX. Duce Godefrido Lotharingiæ " de Boullion, & regnaverunt Christiani *Octoginta octo* " *annis*, ac semper plura & plura recuperabant, donec " oriri cæperunt inter ipsos Christianos Principes con- " tentiones, *quemadmodum & nunc*, (inquit Bellarm. de " suo tempore loquens) " *Turca plura occupat ob discordiam nostrorum, quam sua virtute, & harum discordiarum* NB. *potissima causa fuit LUTHERUS ipse; Nam ut ex Joanne Cochlæo patet in actis Lutheri, anno* 1526, *HUNGARIA periit, quia Germani a Rege Hungariæ vocati in auxilium, maluerunt LUTHERO PARERE tunc concionanti contra bellum in Turcas, quam cogitare quid bonum commune postularet*. Et nostra ætate eliminatus Europa fuisset infestus hic Christianorum Tyrannus ultimo bello cum ipso gesto, nisi potest receptam *Hungariam* & captum *Bellogradum* (seu *Albam regiam*) discordia Christianorum, e *Lutheri* & *Calvini* semente pullulans cursum victoriarum stitisset.

988. Quemadmodum autem recensiti errores a *Satana* & ejus emissariis Christiani nominis hostibus inventi sunt, ita absolute certum est, licitum esse bellum, si habeat debitas conditiones, quas affert D. Thomas, 2. 2. *q.* 40. *a.* 1. nimirum, *legitimam auctoritatem* indicendi bellum, *justam causam*, & *debitam intentionem*. Responsio hæc extra omne dubium est. Nam servatis his tribus conditionibus, Bellum nec contra jus naturæ, nec contra jus Gentium est; sed his conforme. Non est *contra jus Naturæ*, ut patet ex pugna *Abrahami* cum quatuor illis Regibus, ante omnem adhuc legem Divinam scriptam inita, attestante historia Sacra *Gen.* 14. cui revertenti benedixit Melchisedech Rex Sacerdos DEI altissimi dicens: *Benedictus Abraham DEO excelso, qui creavit Cælum & terram, & benedictus DEUS excelsus, quo protegente HOSTES in manibus tuis sunt*, non benedicturus alioqui, si contra jus naturæ fuisset illa hostium aggressio. Alia quoque ratione demonstratur hæc licentia, spectato jure nat. ex eo, quia

quia ut supra diximus, duplex est Bellum, defensivum & offensivum: de *Defensivo* certum est ex jam dictis: Nam si jure naturali licet homini privato vim vi repellere, dicente JCto in L. itaque 4. pr. ff. ad L. Aquil. *adversus periculum naturalis ratio permittit se defendere*, multo magis id licebit Principi, aut Communitati. De *offensivo* pariter certum est ob similem rationem. Si enim homo privatus potest adversario suo litem intentare; vel actionem injuriarum; *per viam juris*: cur Princeps, vel Respublica, quæ superiorem & judicem in terris non habet, nequeat idem facere *per viam belli*, deficiente via juris? alioqui *publica injuria*; quæ Principi vel Reipublicæ facta est, numquam posset resarciri, aut vindicari, & consequenter nec publica justitia & indemnitas posset custodiri, quod repugnat juri naturali.

989. At neque repugnat *Juri Gentium*; quinimo huic quoque conforme est, quoties *justa causa* id suadet, & forma Jure hoc introducta servatur. Usitatum quippe apud Gentes, etiam optimis legibus institutas, bellum fuisse constat a *n.* 984.) & nemo ita rudis est, qui id ignoret; docet quippe cit. *L.* 5. *ff. de J. & J.* dicens: *ex hoc jure Gentium introducta bella* &c. Quæ quod neque *Divino* juri repugnent, abunde notum est ex historia sacra. DEUS quippe Judæis bella nedum permisit, sed etiam nonnulla *positive præcepit*; ut Moysi contra Madianitas, *Numeror.* 25. *v.* 16. Sauli contra Amalecitas 1. *Reg.* 15. *v.* 2. laudanturque; qui se fortiter in bello gesserunt, uti sunt Abraham *Gen.* 14. *v.* 19. Filii Levi *Exod.* 32. *v.* 28. quod ceciderint 3000. hominum, *Gedeon*, *Barac*, *Samson*, *Jephte*, *Samuel*, *David*, & alii, *Ad Hebræos* 11. *v.* 32. Sed & leges generales ac perpetuas de modo gerendi belli DEUS populo suo præscripserat. Et *Numeror.* 10. *Deut.* 20. ac 21. *v.* 14. fit mentio bellorum Domini, quæ sine dubio gesta sunt probante DEO.

Recte igitur D. August. *contra Faustum* (& ei similes recentiores hæresiarchas) *lib.* 22. *in c.* 4. *caus.* 23. *q.* 1. ait: *Neque Joannes* (Lucæ 3.) *ab armis jubet discedere Milites; & Christus* (Matth. 22.) *tributa Cæsari monet reddi: quia propter BELLA necessario Militi stipendia præbentur.*

## §. II.

### *De Justitia & injustitia Belli.*

### SUMMARIUM.

990. &c. *Victoria non est justi Belli indicium.*
992. &c. *Belli justi conditiones inducuntur.*
995. &c. *Desistendum est a Bello etiam justo, si offeratur satisfactio.*
997. &c. *Sola* Ratio status *non est justa belli causa.*
1001. &c. *Sicut nec solus* Metus *vicinæ potentiæ.*
1003. *Sola quoque* Æquilibrii *conservatio bellum non justificat.*
1004. *Solvitur contrarium momentum.*
1005. *In concursu alterius justæ causæ Æquilibrium habet locum.*
1006. &c. *Satisfit objectioni circa Domum* Austriacam & Borbonicam.

990. FAlsum est commune alioqui multorum principium, qui *victoriarum eventu Belli justitiam metiuntur.* Hac quippe ratione immanissima Turcarum tyrannis tot & tantis de universa Græcia, & plurimis aliis Christianorum regionibus reportatis victoriis facile justificaretur. Rectius prorsus hac in parte senserat Lipsius, qui *lib. 1. politic. c. 3.* monet dicens, ne unquam animum tuum penetrent illæ voces: *quæritur belli exitus non causa: jus in armis ferre, & omnia fortium virorum esse: hæc acies victum factura nocentem est,* & alia his similia. Non enim *acies*, non repetitæ *victoriæ* sunt, quæ Belli justitiam probant, sed *justa causa*, & Gentium juri conformis bellandi *modus*. Ac licet quandoque contigisse verum sit, ut eventus belli, velut æquus judex, unde jus stabat, ei victoriam dederit. Nam bonæ causæ rectitudo optimæ spei fundamentum est, teste Lucano:

*Causa jubet Superos melior sperare secundos.*

Et Euripide:

*Iniqua bellans bella salvus haud redibit.*

991. Nihilominus ex his male infertur justitia vel injustitia Belli, sæpe enim etiam de innocentia triumphoi ini-

iniquitas reportavit, arcano & nobis ignoto fine, quem Divina sapientia isthæc permittens intendit; quemadmodum alias quoque haud raro evenit, ut impietas pietatem superet in hac nostra vita, ubi impii piis mixti vivunt, quod Propheta miratur inquiens: *Quare via impiorum prosperatur, bene est omnibus qui prævaricantur, & inique agunt?* Jerem. 12. v. 1. quare Infideles, & Hæretici vincunt, Orthodoxi vincuntur? quare illi divites & felices, hi pauperes & afflicti? Causam manifestabit decretoria illa dies, quæ bellis juxta ac toti Mundo finem dabit. Interea dum hæc immineat, certum est nullam ac plebejam esse illationem illam: *Vicit: igitur justam belli causam fovet, quia DEUS approbavit.* Non enim extat promissio DEI, quæ justæ causæ assistentiam suam *specialem*, ultra ordinarium naturæ cursum addixerit: Alioqui neque Israeliticus electus DEI populus a suis & veri Numinis hostibus magno numero sæpius cædi, neque *ARCA* veteris Testamenti sacrarium illud, in quo tabulæ Divinæ legis repositæ erant, in manus *Philistæorum*, cum immani clade Hebraici exercitus, in captivitatem venire, neque Christi vestigiis sancta, ejusque Sudore & Sanguine resperса Hierosolymitana Urbs, cum omnibus terræ sanctæ Provinciis, victrici Saracenorum, & Machometanorum ferro jugoque, &c. subjici, vinci & occupari debuisset; Cujus rei exemplo etiam sunt expeditiones sacræ contra Turcas, & bella elapsi gemini sæculi contra Novatores. Cum igitur non ex victoriis, Belligerentium causæ justificentur, neque ex clade reprobentur; jam

Q. I.) *In quo consistat Belli justitia?*

992. Bellum est defensivum, vel offensivum: *Defensivum*, ut juste suscipiatur, *tres* requirit *conditiones*. Scilicet I.) Ut *defensio sit necessaria*, & aggressor non possit aliter induci, ad aggressionem omittendam. Si enim impediri sine gravi damno potest, ne vis inferatur, non licet alterius vim expectare, & postea eam per bellum repellere cum tantis damnis & calamitatibus, quas bellum secum trahit, id enim & caritas proximi vetat, & officium Principis, quo Rempublicam suam tenetur incolumem servare a molestiis belli, si illud non sit necessarium, prout necessarium non est ad defensionem, si aliunde is, qui te aggressus est, impediri potest, ne Respu-

blica invadatur. 2.) Ut *adsit justa causa* se per bellum defendendi; nam si Respublica injustam nutrit causam, v. g. quod alienam Provinciam *inique occupatam* restituere nolit, & hinc juste invaditur, nequit se defendere: sed satisfactionem tenetur præstare. Quia tamen *melior est conditio* (bona fide) *possidentis*, (Reg. Jur. 65. in 6.) necessarium non est, ut ille, qui se defendit, *certo* sciat se justam habere causam, sed satis est, ut cognoscat se non habere causam *injustam*, aut si dubitet de justitia, tenetur dubium *rationabiliter* deponere, vel, ut paratus sit stare determinationi & arbitrio bonorum virorum. 3.) Ut *bona sit intentio*, nempe, non ex dominandi libidine, aut privata vindicta, sive virium & potentiæ vana ostentatione: sed potius motivo se & populum sibi commissum indemnem ab injuria reddendi, & pacem armis comparandi; dicente Aug. l. 22. contra Faust. c. 74. & 75. *Quid culpatur in bello? an quia moriuntur quandoque morituri, ut dominentur in pace victuri? Hoc reprehendere timidorum est. Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, impacatus atque implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ similia, hæc sunt, quæ in bellis jure culpantur.* Illa proin tria si *debito modo* adsint, justum erit bellum defensivum.

993. Non autem ad *defensivum* bellum requiritur, ut illud suscipiens sit *Supremus Princeps*, superiorem non agnoscens. Quia cuilibet etiam privato omnia jura permittunt *vim vi repellere & se defendere etiam propria auctoritate*. Neque necessaria est *auctoritas Superioris* ad bellum *defensivum, quando urget necessitas*, & periculum in mora est, ut Superior adiri non possit: Secus, si tempus patitur, ut Superior consuli possit &c.

994. Quod si bellum *offensivum* sit suscipiendum, ad id etiam *tres conditiones* supra hic *n.* 988.) relatæ necessariæ sunt, nempe 1.) *Auctoritas* in suscipiente. Quia bella spectato Naturæ jure nonnisi *necessitate* inducta, eoque solum ex fine permissa sunt, ut ii qui Judicem non habent, jus atque justitiam consequi valeant. 2.) *Justa causa*, quam infra examinabimus. 3.) *Recta intentio*, quæ tamen plerumque magis *ad licentiam*, quam rigorosam belli justitiam spectat.

Alii cum Reginaldo *L.* 21. *c.* 8. §. 1. Septem conditiones numerant: sed quæ omnes ad has *tres* jam enumeratas reduci possint, nimirum 1.) Ut sit auctoritas. 2.) Justa causa, 3.) Ut de ea legitime constet. 4.) Ut causa sit

gra-

gravis, non enim sufficit sola verisimilitudo & qualiscunque probabilitas. 5.) Ut observetur *juris gentium forma*, seu debitus modus bellandi, scilicet ut bellum offensivum non prius suscipiatur, quam tentatis omnibus mediis ad satisfactionem tranquille obtinendam idoneis: ut dein solemniter declaretur parti adversæ per *Feciales*, aut per publicam protestationem, quæ etiam *diffidatio Belli* dicitur (nisi forte hostis esset *perpetuus*, nec ulla fœdera cum illo fuerint conclusa, tunc enim alia declaratione non est opus) ne item venenum, armave veneno illita adhibeantur: ne hostis victus jam aut inermis occidatur &c. &c. 6.) Ut bellum inferens habeat rectam intentionem. 7.) Ut illi, qui bellum gerunt, non sint personæ Ecclesiasticæ, quibus bella prohibentur &c.

Q. II. *An inchoatio Belli justa sit causa ejus prosequendi, etiamsi Pars provocata offerat plenam satisfactionem?*

995. *Affirmative* respondent *Cajetanus* & *Bannez*, S. O. Prædic. TT. apud Schiaram *lib.* 1. *diffic.* 40. *n.* 1. hac nixi paritate, quia Judex potest adhuc procedere contra Reum etiamsi hic satisfacere velit: igitur & Bellator contra hostem. Verum contra hanc moralem instat æquitas naturalis & recta ratio. Belli enim sive suscipiendi, sive prosequendi, juxta D. Aug. *in Can. Dominus* 23. *qu.* 2. justa causa est, *injuria reparanda, vel vindicanda, aut repellenda*: porro casu quo *plena* ab hoste offertur satisfactio, nulla prorsus intercedit injuria, siquidem ea, quæ ad arma permoverat, jam actuali compensatione & satisfactione tollitur: cessat igitur deinceps titulus bellum continuandi cum sanguinis humani effusione, & malis quæ bellicas hostilitates sequi solent. Desistendum itaque est a cœpto bello, & satisfactio, quocunque tempore ab hostibus oblata fuerit, acceptanda erit, si modo per illam securitati publicæ, non præsenti solum: sed etiam futuræ sufficienter prospectum sit. Quem in finem solent exigi cautiones, quas vulgo *guarantias* vocant, quæ si oblatæ & tales fuerint, ut nulla ex causa respui possint, & nihilominus victor bellum prosequi non cesset, hic *iniquis conditionibus* pacem extorquere intendit, ac proin male consulit rebus suis, suæque Reipublicæ aut Regno, hac quippe ratione incipit fieri iniquus aggressor.

996. Nec urget paritas de Judice, utpote falso etiam nixa

nixa supposito. Judex enim in causa ex actione *reali* vel *personali*, publica iudicia & vindictam *criminis* publicam non concernente, nequit etiam amplius contra Reum procedere, quando post litem jam motam ad satisfactionem Actori præstandam se *efficaciter* obligat, vel actu satisfacit; tunc enim cessat finis, cujus gratia judicium erat susceptum. Sequitur itaque, quod & Princeps Bellum jam inchoatum, contra hostem continuare nequeat, si hic satisfacere *serio* desiderat, cautione sufficiente præstita, belli que fine, ob subsequentem injuriæ reparationem, jam cessante.

Q. III.) *Utrum Ratio status, metus vicinæ potentiæ, & æquilibrium Europæ, inter justas Belli causas sint reputanda?*

997. I.) *RATIO STATUS*, seu *la Bienseance*; *Raison de guerre*; potest esse vera & falsa. *Vera est*, cum per eam intenditur *utilitas* quidem propria alicujus Regni aut Reipublicæ: sed *innocua*, ac sine damno alterius, aut cum damno quidem ejus: sed *justa* exigente injuriarum reparatione, illato; hæc cum Juri nat. & Divino conformis sit, suam ab omnibus, quam meretur, recipit approbationem: *Falsa* est, per quam propria quæritur utilitas cum præjudicio aliorum, v.g. quando ob *Rationem status* bellum suscipitur ad minuendam *juste* crescentem alterius vicini Principis potentiam, qui injuriam non intulit, nec de ejus lædendi animo ita constat, ut certum sit ea certitudine, quæ in morali, ac præsertim *justitiæ rigorosæ* materia, verisimiliorem locum habere debet.

998. Hæc *Ratio status* ab Illustr. Pelzhöffer S. R. I. L. B. de Schonau, in suo Opere *de Arcan. Status l. 1. c. 1. anu. 6. & seqq.* tum a Ferdin. Guillielmo ab Efferen *in Manual. Politic. f. m.* 795. juxta ac ab aliis, *Ratio pseudo-politica* ac *Idolum aularum* vocatur. Eam laudatus Auctor *ab Efferen* l. c. describens ait, statisticam rationem hanc non curare *justas* belli causas, sed *speciosas* obtendere; vera dissimulare, & prætensa artificiosis coloribus adumbrare; pro exemplo autem adducit *Protestantes* Imperii, qui sæculo decimo sexto & septimo *sub specie Religionis & justæ defensionis, pro libertate conscientiæ*, Ecclesiastica spolia retinere & rapere conati sunt. Ubi etiam hic ipse *Statista* addit; Si dicant Novatores, se bella defensiva pro religione sua su-

suscipere, convincuntur contrariis actibus. Nam non raro ob religionem, sæpissime ob seditionem oppugnantur, & in facto aliena Regna, Provincias, Episcopatus hostiliter invadunt. Deinde constat ex generali *Novatorum* pronunciato, quod nullum sit justius bellum, quam si contra Papam & Papistas suscipiatur; igitur recte infertur, istos vel maxime de bello *offensivo* agitare consilia. Hoc sicut negare non possunt, ita fateantur oportet, quod conscientiæ & Religioni vim inferant, & sibi contrarii libertatem & veritatem impugnent. Ita ille.

999. Sic autem descripta *Ratio status* perversis nixa motivis, ex se ipsa convincens præbet argumentum, quod justis Belli causis accenseri nequeat, dicente D. Augustino in Psal. 23. *Simulata æquitas non est æquitas: sed duplex iniquitas; quia iniquitas est simulatio*, & Statistæ hujusmodi, qui juxta *Ovid.* II. *Metamorph.*

*Candida de nigris & de candentibus atra*
*Efficiunt* .....

expectent interea Decretoriam diem illam justi Judicis, qui tempore accepto revelabit abscondita cordium, & in *fucatas rationes status* severe inquisiturum se minatur: *Excoquam ad purum scoriam tuam, & auferam omne stannum tuum*. Isaiæ I. v. 25.

1000. Explicato *Status* Idolo sacrificantes Pseudo-politici dogmatizant quidem I.) ex capite *Justitiæ publicæ*, scilicet, quod *omne bellum defensivum* sit justum, cum defensio sit naturæ juri conformis: Verum unum falsum per alterum defendunt, non enim jus naturæ bellum defensivum aliter permisit, quam si *justa* defensionis causa subsit, alioqui latrones & raptores haberent jus occisivæ defensionis contra eos, qui res sibi ereptas ab illis repetere volunt.

Prætendunt iidem II.) libertatem naturalem esse justam causam belli, libertas enim & vita hominis æquiparantur. Momentum tamen hoc præter rebellionis ansam, nihil solidi habet. Libertas quippe naturalis circumscripta est per *statum adventitium* hominis, in quo unusquisque nunc vivit sub lege Divina positiva, & Principum, vel Civitatum, aliorumque legitimorum Superiorum. Justa igitur causa belli esse nequit, si sit contra prædictas leges, armaque sumantur contra Principem & legitimos Magistratus: secus foret autem si hæc arriperentur contra extra-

neum

neum libertatis aggressorem nullo jure suffultum. At neque III.) suffragatur illis prætextus alius, ubi clamant saltem *libertatem Religionis* justam esse causam belli: quia conscientias a DEO libertate donatas Princeps nequit violenter compellere: huic igitur resistendum est, si vim inferat: hac autem ratione *Status* vix alia justior dati potest. Sed & huic argumento satisfecimus jam supra hic à *n.* 330.) ubi demonstratum est, conscientias a DEO libertate donatas esse, non ita ut quis libere possit a religione *unice vera* deficere *licite*; illicita autem defectio nequit justificare bellum, alioqui omnes Apostatæ, fures, latrones & malefici gauderent hoc privilegio, utpote qui *naturali* libertate a DEO donati sunt, ut extendant manum ad quod voluerint, *ignem vel aquam*, bonum vel malum; hæc enim *physicæ* potentiæ subsunt, non *morali* licentiæ.

1001. II.) Ob eandem rationem etiam *METUS VICINÆ POTENTIÆ nimium accrescentis*, nequit *generaliter* justa esse belli causa. Ac proin distinguendum est: Vel enim *certus & propinquus* metus injustæ aggressionis est? v. g. perpetuus Christiani nominis hostis Turca in dies auget exercitum, alias & alias conquirit Provincias, appropinquat limitibus S. R. Imperii, vel alterius Christiani Regni: Hoc casu adest quidem *secundum se* certus, imo evidens *metus* vicinæ potentiæ: sed nondum tribuit jus armorum contra eam arripiendorum, quia nondum *certò* constat *de animo* ejus nocendi. Et quamvis haud necessum sit, ut in his circumstantiis, Turcis vicinum Christianorum regnum primum expectet ictum, & tamdiu pacis otia continuet, usque dum præpotens vicinus bellico apparatu apprime instructus, grandi cum exercitu imparatum adoriatur; nihilominus non aggressioni: sed prudenti tantum cautelæ locum hic concedi dicimus. Si enim morali certitudine nondum in comperto est, eum velle inita *fœdera* rumpere, & nocere, tunc naturalis prudentiæ regula permittit alterum vicinum eodem modo sese ad bellum parare, ac prius *cautionem de non offendendo* a præpotente altero exigere, qua recusata non prohibetur bellum intentare, & adversarium suum, si videatur esse conveniens, prævenire, tunc enim adest moralis certitudo de animo hostili.

1002. Quodsi verò *METUS* pure tantum *probabilis & remotus* est, tanto minus *solus* ille tribuet jus certum ag-

gressionis vel defensionis *actu* intentandæ. Quia quamdiu alter non læsit, tamdiu est in possessione, & habet jus strictum erga quemcunque, ne a consecutione eorum, quæ juste acquirere vult, impediatur per vim, vel fraudem ab alio, prout recte ait *Grotius* de J. B. & P. L. 2. c. 22. §. 5. *Metum ex vicina potentia non sufficere; Ut enim justa sit defensio, necessariam esse oportet, qualis non est, nisi constet non tantum de potentia: sed & de animo lædendi, & quidem ita constet, ut certum id sit ea certitudine, quæ in morali materia locum habet*, Qui Auctor reprehendit etiam eorum sententiam, qui justam Belli causam statuunt, si vicinus nulla pactione impeditus in suo loco arcem muniat, vel aliud fortalitium erigat, quod damnum aliquando dare posset. Nam adversus tales metus non vis bellica, sed contrariæ in suo quoque territorio munitiones, & si quæ sunt similia remedia, quærenda sunt, juxta illud Luc. 11. v. 21. *Cum fortis armatus custodit atrium suum, in pace sunt ea, quæ possidet*.

Si autem vicinus potentiam majorem quæreret per injustam invasionem alicujus Reipublicæ, & hæc in auxilium vocaret alium Principem, posset is auxilium ei ferre, & cum illa societatem armorum inire ea lege, ne vicinus ille Princeps statum suum per injuriam vicinarum Provinciarum elevet. Quia universim licitum est opem ferre juste bellanti contra aggressorem injustum, & inter Belligerantes eam partem juvare, quæ justam causam adversus alteram habet.

1003. III.) *ÆQUILIBRIUM*, *la Balance* Gallis, fundatur etiam in supra explicato metu vicinæ, aut cujusvis alterius nimium crescentis potentiæ, ne scilicet, si quis Princeps vel Respublica, aut Natio ad majores vires perveniat, minores Respublicæ vel Principes sensim supprimantur, aut in ordinem redigantur. Non minus igitur injustum erit Bellum, quod *ex solo* æquilibrii inter Gentes servandi aut introducendi prætextu apparatur, quam injustum est alterum, ex *solo* crescentis potentiæ timore susceptum. Utroque enim casu, neque de actuali *injuria* & *læsione*, neque de *lædendi animo* moralis saltem adest certitudo, ac proin nec Bellum *defensivum*, cum desit necessitas & justa causa: nec *offensivum*, cum hæ ipsæ etiam hic requisitæ conditiones desint, suscipi possunt. Adversus incertos igitur eventus a divina providentia, & ab usi-

usitata Gentibus *cautione innoxia*, non a vi præsidium quærendum est. Alioqui ob solam utilitatem propriam, non ex motivo justitiæ, Bellum institueretur, & vitæ humanæ nunquam plena constaret securitas; quod nedum Gentium: sed naturali etiam juri repugnat, dicente Quintiliano l. 5. c. 13. *Quis hoc statuit unquam, aut cui concedi sine summo omnium periculo potest, ut eum occidat*, (aut invadat) *a quo metuisse se dicat, ne ipse posterius occideretur*, invaderetur.

1004. Excipit contra hæc, post alios, Jac. Lechmannus *in Trutina seu bilance Europæ, c. 2. §. 4. 27. & 29.* dicens: Æquilibrium seu bilanx Europæ est de *institutione & jure Gentium*. Quia harum instituto dominia eo modo divisa sunt, quo esse divisa convenit ad conservationem Gentium earumque externam tranquillitatem. Divisa itaque sunt cum ea limitatione, ut proportio virium inter diversos Populos & dominia eorum observetur, quæ cum servari nequeat inter potentiores & debiliores viribus: adest obligatio ex jure Gentium excessum hunc reducendi ad æqualitatem; in quem finem omnes Populi; vel saltem vicinæ regiones necessarios Belli sumptus conferre tenentur: Ita ille. Cui præsaga mente satisfecisse videtur D. Aug. *L. 4. de Civit. DEI, c. 6.* dicens esse *grande latrocinium, sola Regni cupiditate arma lacessente, vicinum sibi non molestum aggredi*. Quodsi e sententia *Lechmanni* & sequacium adest obligatio aggrediendi alterum, eumque juste parta substantia spoliandi, non quod aliquid *cuipiam debeat*: sed quod *plus aliis habeat*, hi ipsi Pseudo-politici; ne contra obligationem assertam delinquant, deberent substantias suas, si quas aliis majores habent, distribuere inter illos, quos parcior fortuna minore rerum copia dotavit. Hæc responsio Machiavelli argutiis sufficeret: sed in promptu est alia:

Fallitur enim Auctor in suo assumpto, nam etsi dominiorum divisio, Regnorumque distributio ac institutio; juxta dicta hic *a nu.* 774.) suam *formam* confuse ac in genere spectatam Gentium juri debeat, nullo modo tamen ei debet *materiam* rerum, & Provinciarum Regnorumque numerum; quæ a providentia Divina ac humano sudore, labore, & industria; in majore vel minore quantitate provenire possunt & solent, his autem suos possessores *solius* æquilibrii servandi causa spoliare inhumanum est, per ea, quæ attulimus *a n.* 737.) Non igitur *physicum* rerum do-

minio

minio humano subjectarum: sed *morale* æquilibrium, ad pacem & tranquillitatem Gentium necessarium est, ut scilicet *unusquisque subter ficum & vineam suam* se contineat, ac suis contentus possessionibus, minime invideat vicinis suis, quorum fortunæ bona æmulorum pungunt oculos, canente Ovidio:

*Fertilior seges est alieno semper in agro,*
*Vicinumque pecus grandius uber habet.*

1005. Dixi: *ex solo æquilibrii prætextu*. Quia si alia *justa* adfuerit causa, quæ vim *primarii* motivi habeat, nihil oberit, cur etiam prædicta æquilibrii ratio tanquam *mere consequens*, & secundaria locum non habeat. Ita v. g. Machometanorum potentiam, ex *solo* æquilibrii fine non licet aggredi; dantur tamen alii *justi* tituli, qui id suadere possunt; si nimirum aliquam e Christianis Provinciis sua tyrannide duce invadat, opemque vicini Regni aggressionem passi Christiani implorent: aut si Barbarus hostis conclusa fædera non servet &c. his & similibus casibus cum *præcipuo* eoque *justo* motivo optime conjungi poterit etiam secundarium *bilancis servandæ*.

Quod ipsum probant etiam exempla variarum Gentium. Ita quippe cum *Troja* obsideretur, omnes late populi ex Aegypto quoque advolarunt & abierunt in ejus partes, non quidem *directe* propter *Priamum* & *Trojam* obsessam: sed ex fine ne *Argorum* cæterorumque Græcorum vis immoderata evaderet, Republica Trojanorum subacta; huic igitur ferre suppetias poterant, injustam expugnationem ejus judicantes. Ubi etiam *Romani Carthaginensibus* jugum minati sunt, adverterunt *Syriæ* Reges, quid præpotens Romanorum res portenderet, & sese ingesserunt, irata licet fortuna & impari Romanis viribus, quæ tunc acerrimæ erant. Inter *Gothos* quoque Italiæ, Hispaniæ & Galliæ, ac inter Græcos Imperatores, quid tentaverint Reges Franci, ne alterutri *per aliorum injuriam* excrescerent, historiæ loquuntur.

1006. Non desunt equidem Politici, qui pro confirmanda sua hic refutata opinione afferant: ex quo tempore Domui *Habsburgico-Austriacæ* quasi subito magna prope Orbis terrarum pars velut sponte accessit, initio quidem sola fere Francia se murum objecit, tum paulatim alii etiam populi lanci se alteri imposuerunt: simile quid adducunt de Domo *Borbonica*, enarrantes: rebus in contra-

trarium versis, & Francicis opibus tametsi non ita subito incremento emergentibus in altum, iidem qui Austriacis antea repugnaverunt, cæpere nunc eosdem sustentare & Francis adversari. Ex his suspicantur illi Scriptores & concludunt, causam præstiti ante hac Franciæ favoris non fuisse amorem fœderatorum erga Francos: sed aliam. Rursus præstiti postea Austriacis subsidii causam non fuisse amorem erga Austriacos, sed diversam, scilicet propriam non nisi utilitatem & solius æquilibrii salvandi motivum.

Verum divinatio hæc solo temerario judicio, non sine gravi Domus *Austriacæ* & *Borbonicæ* injuria, veritatisque frivola impugnatione nititur. Evolvantur Annales historici, ex quo Augustissimæ Domus illæ serenissimam lucem primo mane aspexerunt, & fiet in aprico contrarium, scilicet neutram earum *solam* propriam utilitatem per fas & nefas, nec *solum* æquilibrii salvandi finem intendisse; quo alterutra pars *juste* quæsito jure, sine alia rationabili causa privaretur. Cum autem quæstio hæc in *facto* sita sit, nec aliter quam ex Historicis & *Publicistis* probari possit: Videatur hac de re Gerh. a Roo *Hist. Austr. lib.* 1. *p.* 31. Cuspinian. *p.* 353. Lunigius *Reidit Archiv. p. spec. cent.* 2. Struv. *Corp. Jur. Publ. L.* 12. §. 6. *&* *L.* 20. §. 11. *ac L.* 22. §. 36. Trebellius Pollio *in Gallieno c.* 8. Corpus historiæ Germ. *part.* 3. §. 22. *& seqq.* Gregor. Turonensis *l.* 2. *c.* 9. Gesta Francorum epitomata *c.* 4. *& seq.* &c. &c.

1007. Quidquid igitur *Lechmanni* sequaces pro justitia Belli, *solius æquilibrii* sustentandi causa adducunt, elumbe est, quibus communis Eruditorum sensus contrarium tuetur, uti cum Theologis tenent Schiara *lib.* 1. *diffic.* 9. *a n.* 9. Knichen. *Oper. Polit. l.* 2. *cap.* 4. *S.* 2. *th.* 9. *q.* 1. Efferen *l. c. f. m.* 809. L. B. de Pelzhoffer. *l. c. l.* 9. *c.* 4. *f. m.* 24. Vitriar. ad Grot. *l.* 2. *c.* 22. *q.* 3. Puffend. *l.* 2. *c.* 5. §. 6. ac *l.* 8. *c.* 6. §. 5. Huber. *de Jure Civit. l.* 2. *c.* 4. *s.* 4. §. 33. *&* 2. *seqq.* Illustr. L. B. de ICKSTATT *in Elem. J. G. L.* 4. *c.* 7. §. 9. *f.* 362. Qui, aliique Auctores famosæ paremiæ: *melius est prævenire, quam præveniri*, satisfaciunt, ubi respondent, id esse rationabile, *si adsit certitudo moralis. & denegatio cautionis* ex parte crescentis vicinæ potentiæ; tunc enim hostilis nocendi animus *juste* præsumitur, secus fore, si animus ille solummodo ex *incertis signis* præsumatur, timeaturque ne forte aliquando accrescens potentia noceat.

§. III.

## §. III.

### *De transitu bellantibus concedendo: & quid liceat Gentibus in Bello.*

### S U M M A R I U M.

1008. &c. *Datur obligatio concedendi transitus non militaris.*
1010. &c. *Militarem multi negant esse concedendum Jure aliquo; plures quoque admittunt. Super quo afferuntur utriusque sententiæ momenta.*
1013. &c. *Statuitur* media *opinio cum solutione contrariorum.*
1016. *Capta Civitate licere diripere Sacra, docet* Grotius.
1017. &c. *Sed refellitur ex Jure, Auctoritate ipsorummet Ethnicorum, non minus ac ex inconsequentia suæ doctrinæ, tum ex gravi Ratione.*
1024. &c. *An Victor possit cogere captivos ad militiam?*
1029. &c. Represaliæ *& retorsio juris iniqui an sint licitæ?*

Q. I.) *An quis teneatur bellantibus concedere transitum per suas terras, ita ut si deneget, justa belli causa oriatur alteri contra denegantem?*

1008. EXtra controversiam positum est, quod *abstrahendo a transitu numerosi exercitus*, adsit obligatio, qua Dominus territorii *juste* petenti transitum per suas ditiones tenetur permittere, quoties gravis denegandi causa abest. Id enim exigit jus servitutis *naturalis*, vi cujus, juxta dicta hic *a n.* 792.) unicuique hominum justa non impedito causa viæ publicæ *usus innoxius* competit, inde vero etiam per territorium transitus negari haud potest. Tum ideo, quod dominia inter Gentes introducta sint cum clausula & exceptione talis usus, qui prodest transeuntibus, & illis, per quorum fines transitus non nocet: tum quod jura humanitatis, & *officiorum imperfectorum* proximo exhibendorum indoles id exigant, ut liquet ex *n.* 618.)

1009. Et licet obligatio hujusmodi ex lege humanitatis & *imperfecto officio* naturali proveniens tanta esse alicui forsan non videretur, ut jus *servitutis naturalis*, ejusque *publicæ* (quod rigorosum & perfectum est) fundare queat; Nihilominus stat firma assertio nostra, quia per ea

quæ *a n. cit.* 618.) diximus, obligationes ex *imperfectis officiis* naturalibus provenientes transeunt in *perfectas* & absolutas, quoties *injusta* negatio imperfecti illius officii, gravis detrimenti a negante sufficienter prævisi & cogniti est causa vel occasio. Qua in re consentit Puffend. *de J. N. & G. l.* 3. *c.* 3. §. 5. Herz. *dissert. de Servitut. natural. Sect.* 1. §. 2. ac in *Prolegom. ad eand. dissert.* §. 9. Engelbrecht *de servitut. Publ. Sect.* 1. §. 2. & alii post Grotium *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 2. §. 13.

1010. II.) Loquendo tamen de transitu *militari*, ac præsertim numerosi exercitus; de obligatione concedendi illius, & inde oriente justa causa belli, contra negantem, in utramque partem controvertunt DD. Nam Covarr. *in regul. peccatum p.* 2. §. 9. *n.* 4. Molina *disp.* 104. allegans Castrium & Victoriam; Grotius *l. c. lib.* 2. *c.* 2. §. 13. & in fidem ejus Heizman *conflict. jurid. de J. B. c.* 4. *n.* 23. Schiatà *l.* 1. *difficult.* 10. *n.* 6. Knichen *Oper. polit. l.* 2. *p.* 4. *Sect.* 2. *th.* 9. *n.* 2. cum pluribus aliis *affirmativam* tuentur, dummodo is, qui transire per alienum territorium desiderat, *petat transitum*, bellumque *justum instituat* contra suum adversarium, & sufficientem *præstet cautionem* de indemnitate loci per quem transiturus est. Quod si his omnibus purificatis conditionibus nondum quod petit, obtineat, hoc casu justam belli causam contra eum, qui transitum denegat, subesse putant, ex his motivis. 1.) Quia dominium inter Gentes introductum est cum hac conditione liberi transitus innoxii, ut diximus *n.* 1008.) Dein 2.) in Sacra historia *Numeror.* 20. *v.* 16. & 21. *v.* 21. Moyses ob negatum transitum per terras Amorrhæorum, cum prædictis conditionibus petitum, Bellum indixisse legitur, & quidem juste, ut ait D. Aug. super *Numeror. q.* 44. dicens: *innoxius enim transitus denegabatur, qui jure humanæ societatis æquissimo patere deberet.* Et tandem 3.) Quia jus transeuntis non tollitur metu, quem dominus territorii objicit, & si quidpiam prudenter timeatur, cautionem adhibere licet.

1011. Jam vero in *negativam* propendent Puffend. *l. c. L.* 3. *c.* 3. §. 5. Vitriar. ad Grot. *l.* 2. *c.* 2. *q.* 32. Gronov. in *not. ibid. n.* 64. Ziegler *ibid.* Muelen *ad eund. l.* ac alii his rationibus permoti. 1.) Quia etiam admisso, quod *transitus innoxius* per alienas terras *per se* loquendo proveniat ex jure naturalis libertatis, tamen adhuc non est satis explo-

ploratæ certitudinis, quod ei, qui Bellum contra tertium gerit, ius naturale vel Gentium assistat, exercitum per alienas terras ducendi. 2.) In confirmationem hujus adducunt varia exempla a permultis Nationibus & Regibus, qui negarunt transitum, minime examinata causa, an bellum juste vel injuste attentatum fuerit ab eo qui transire voluit. 3.) Inducunt varia pericula ex concessione hujus transitus, quantumvis *innoxius* ab initio visus fuerit, & *cautione premissa* subsecutus, facile eam amicus exercitus, ubi in viscera Provinciæ venerit, sedem Belli ibidem figere potest, prout non semel factum fuisse docent historiæ. 4.) Dicunt, Grotianæ opinionis sequacium inutilem esse distinctionem, cujus ope persuadere volunt, transitum esse concedendum, si ille qui eum petit, *justum Bellum* instituat contra tertium: negandum vero, si *injustè* eum aggrediatur. Ajunt enim: dijudicationem istam fore temerariam; eo quod examinator hic ultro se duobus armatis Principibus velut arbitrum interponere, & tantam litem suam facere præsumat. Demum 5.) Transitu itaque alterutri parti concesso, alterutram offenderet, & bello implicaretur.

1012. Momenta quoque primæ illius opinionis hunc in modum resolvunt: *Ad I.*) negant esse *certum*, quod hæc conditio innoxii transitus *militaris* divisioni dominiorum adjecta fuerit: imo negant etiam suppositum, quod possit esse, *practice* loquendo, *innoxius* transitus. Ad 2.) Respondent contrarium patere ex verbis *Numeror.* 20. *v.* 21. quod Moyses non ideo indixerit Bellum Regi *Edom*: sed potius *ab eo divertit*, multoque itinere circuivit terras ejus. Quamquam potuerat directe aggredi eas, tum quod terræ hæ fuerint ex illis septem, quas *DEUS donaverat* Populo Israelitico: tum quia *Sehon* Rex Amorrhæorum primus erat, qui numerosum exercitum opposuit Hebræis transitum petentibus, provocati igitur poterant vim vi reprimere juxta illud Poetæ:

*Armaque in armatos sumere jura sinunt.*

Ad 3.) dicunt metum *imprudentem* non tollere jus alterius, secus autem si *prudens* fuerit, ita ut ex illo gravia mala suo territorio impendentia a Rege vel Republica prævideantur. Ad cautiones autem respondent; eas esse remedia mere speculativa.

Examinatis jam utriusque sententiæ momentis, quarum primam excessu; alteram defectu laborare palam est, mediam

viam ineundam hic censemus, quapropter, ad propositam quæstionem:

1013. *DICENDUM* videtur I.) Transitum militarem etiam numerosi exercitus *innoxium & pacificum* concedendum esse, si hic sine territorii sui præjudicio & offensione alterius bellantis fieri posse speretur, ac prævia sufficienti de non offendendo cautione, amice expetitus fuerit a Natione, quæ *saltem non certo*, aut manifeste iniquam belli causam contra tertium habere dignoscitur. II.) Ille tamen a Principe vel Republica neutri belligerantium parti adhærente negatus, aliam justi Belli & hostilitatis causam regulariter non tribuit, quam ut vicinus exercitus non injustam alias expeditionem contra suum æmulum aggrediens, vim resistentis territorii armatam, *vi tantum simili repellat*, cum eo moderamine inculpatæ tutelæ, quale sufficit ad transitum sibi aperiendum, quin alias Provinciæ hujus partes expugnet, vel infestet.

Ratio 1. est.) Quia in prææallegatis circumstantiis negata obligatione hujus concessionis, *primo* commune Reipublicæ Christianæ bonum summum detrimentum pateretur; hac quippe ratione nunquam licite, imo nec prudenter institui posset Christianorum expeditio pro recuperanda Terra sancta, ac illi qui e longinquis Regionibus, vi etiam armata contra renitentes transitum sibi quæsierunt, inique egissent: quod tamen sine temeritate dici haud potest, siquidem illi de pacifica & innoxia migratione sua, Incolas Provinciarum quas pertransibant, securos reddiderant, & re ipsa implere cautionem parati erant. *Secundo* ob eandem rationem cessare deberent commercia inter Gentes & *jus innoxiæ utilitatis*, quod repugnat Juris Gentium & naturæ placitis, de quibus innuimus hic *n.* 1008. *& seq.*) Demum *tertio*, quia juxta tradita superius *a n.* 400. *& seq.*) *In valde gravi necessitate*, saltem *quo ad usum*, (tanto autem magis ad usum *innoxium*) revivisc it jus illud primævum rebus utendi, tanquam si communes mansissent, nisi possessor sit in æquali necessitate, aut alia ratione necessitas evadi possit: In omnibus enim legibus humanis, ac proinde & in lege dominii, illa necessitas videtur excepta, propter *utilitatem* communem Gentium, ut colligi potest *ex n.* 729.) ubi de principio indicativo Juris Gentium egimus. Nec refert, quod forte necessitas transitus non fuerit *extrema*, nam sufficere etiam *valde gravem ex-*

tra-

*traordinariam*, constat jam ex *n.* 387.) præsertim cum hæc conjuncta sit cum pacifico ac innoxio transitu aliter non evitabili citra gravissima incommoda.

1014. Ratio secundi est.) Cum enim juxta argumenta alterius sententiæ *an.* 1011.) relata, quantumvis innoxius cogitari possit magni exercitus transitus, tamen ille vix potest omnibus carere molestiis, quas regioni, per quam transit, inferre solet, hinc Dominus territorii illius non omnino injustus est, si propter rationes œconomicas, aliasve sibi melius perspectas, omissis momentis forte longe gravioribus, quas transitum petens exercitus pro sua parte habet, absolute recuset ingressum vicini Militis in suos fines. Hoc autem posito: rationes Domini territorialis, etiamsi debiliores forent; quia tamen conjunctæ sunt *actuali possessioni* suæ regionis, faciunt causam ejus saltem *respective* vere probabilem juxta suam irrefragabilem opinionem, quam si alter habeat longe verisimiliorem, aut absolute ac certo justam causam, habet quidem jus tollendi viæ obstacula, & vim vi repellere: sed non ultra hostilitates extendere, quam ad vim propulsandam sufficiat, ea enim repulsa obtinet liberum transitum, quem solum intendebat, nec Dominus territorii in quopiam sibi alio publicam injuriam intulit, quæ legitimam Belli causam dare censeatur, nec omnino *inique* aut *malitiose* se opposuit. Cur igitur hostiliter in totam ejus regionem agendum sit, & cur illa expugnari, ac etiam (si belli alea permiserit) occupari ab hujusmodi Victore possit; plane nec æquitas, nec sana ratio persuadet.

1015. Id, quod asseruimus, firmant exempla. Ita quippe apud Plutarch. *hist. l.* 4. legitur fecisse *Agesilaus*, qui ex Asia rediens, cum a Rege Macedonum transitum postulasset, atque is consultaturum se dixisset; *Consultet*, inquit, *nos interea transibimus*. Batavi quoque apud Tacit. *lib.* 8. Bonensibus nunciant: *si nemo obsisteret, innoxium iter fore: sin arma occurrant, ferro viam inventuros*. Simile quid tradunt veterum annales apud eundem Plutarchum de *Cimone* Lacedæmoniis suppetias laturo, qui invitis incolis per agrum Corinthium traduxerat copias &c. quin tamen vel hic vel alii plus hostilitatum in regiones illas exercuisse legantur, quam quod ferro viam sibi aperire parati fuerint, aut reipsa aperuerint.

Q. II.) *An justo bello per vim occupata Civitate, vel Provincia, liceat capere & diripere res sacras?*

1016. Vir solide eruditus, imo quivis etiam literarum expers, naturali tamen rationis usu præditus quæstionem hanc putaret forsan superfluam, utpote *negativa* responsio videtur *se* nota esse, nec prudens admittere dubium in partem contrariam. Inter Protestanticos tamen Scriptores celeberrimus Hugo Grotius *de J. B. & P. L. 3. c. 5. §. 2.* cum multis aliis, & quod mirum est! Christianis Auctoribus, *affirmativam* tueri opinionem non erubuit, nixus textu Ethnici JCti Pomponii in *L. cum loca 36. ff. de Religios.* dicentis: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt sacra esse.* Nempe secundum *Grotii* & ejus sequacium principia, *res sacræ* non sunt humanis usibus penitus exemptæ, sed sunt *publicæ* ac summæ Potestati sæculari subjectæ, cujus est, ex re sacra profanam facere, aut illam profanis usibus deputare, quod ipsum jus in res sacras sine religionum discrimine cuivis Victori etiam Ethnico ac infideli liberaliter tribuit, nulla religionis Christianæ habita ratione.

1017. Verum absolute certum est, res sacras & bona DEO dicata bellicæ direptioni ac devastationi, *per se* loquendo, nullatenus subesse. Ita sentiunt nedum *veri* Christiani, sed etiam *prudentiores* Ethnici.

Quia vero *Grotius* contra res sacras & divinas assertam opinionem suam fundat in citato *Juris civilis* textu, ab homine Gentili prolato: operæ pretium fore existimamus, si in hac Dissertatione demonstremus, *Grotium* cum suis sequacibus a Jure civili aberrasse; in naturali autem ratiocinio sibi ipsi non satis constantem fuisse, cum hæc scriberet.

1018. Et quidem 1.) Fugit *Grotium* hac in parte *notitia Juris Civilis*, in quo ille fundat intentionem suam. Nam quidquid Ethnicus JCtus Pomponius *l. c.* dixerit, contrarium statuerunt Christiani Imperatores, ut videre est in *L. universi fundi Templorum 4. C. de fund. rei privat. & saltib. Divinæ domus.* Ubi Gratianus & Valentinianus declarant, Ecclesias & res earum esse in speciali *salvaguardia* & protectione contra quemcunque aggressorem. Quod privilegium extenditur ad hospitalia & loca pia, *l. omnia privilegia 35. C. de Episc. & Cler.* tum *Novel. 131. cap. fin.* Quo facit *l. inter 83. §. Sacram. 5. ff. de V. O.* ubi docemur, Eccle-

Ecclesias, quæ semel dicatæ DEO sunt, in profanos usus redigi amplius non posse; nequidem propter abusum, sed potius in meliorem & pium usum esse convertendas docet *Novell. 37. de Eccles. African.* De quibus videantur Schurpff. *cons. 48. n. 5. & 6. Cent.* 1. Gilman. 4. 1. *vot. 3. n. 59.* VVesenb. *lib. 1. cons. 37. n. 8.* Rosener *lib. 5. c. 2.* verb. *Ecclesia n. 25.* & alii Protestantes JCti, ad citt. LL.

Concordant hac in parte aliæ Imperatorum; etiam Gentilium dispositiones, quæ nedum rem *DEO dicatam*: sed ne quidem locum religiosum (inter quæ sepulcrum &c. numerantur) diripi aut ullo modo a quopiam violari, imo neque jus servitutis illi imponi permittunt, tales sunt, *l. 2. §. sepulcrum 5. ff. de Religios. l. 9. C. d. t. l. 73. §. 1. ff. de contrah. empt. l. ult. §. pen. ff. quod vi aut clam.* adeo, ut locus hujusmodi sit etiam commercio humano prorsus exemptus, *l. 23. §. 1. l. 43. ff. de Rei vind. l. si sepulcrum 4. C. de Religios.*

Tanto autem magis leges etiam civiles, in omnem tam pacis quam Belli & victoriæ, aut cladis eventum, semper solicitæ erant pro immunitate *rerum sacrarum*, uti liquet ex *l. 21. & l. 23. C. de SS. Eccles. L. 9. §. ult. ff. de rer. divis. ac L. 63. §. ult. ff. pro Soc.* juxta quas sanctiones, res DEO consecratæ suam conditionem nec bello nec pace mutant.

1019. II.) Ex his autem patet *Grotium* non percepisse *Pomponii* mentem in *cit. l. Cum loca 36. ff. de Religios.* expressam. Ethnicus enim JCtus ille non *assertive*: sed mere *enunciative*, pure scilicet referendo ac enarrando improbitatem Victorum, etiam locis sacris a direptione non parcentium, protulit verba illa in prædicta lege 36. contenta, quæ ita sonant: *Cum loca capta sunt ab hostibus, omnia desinunt religiosa vel sacra esse: sicut homines liberi in servitutem perveniunt.* NB. NB. *Quodsi ab hac CALAMITATE fuerint liberata, quasi quodam postliminio reversa pristino statui RESTITUUNTUR.* Non igitur Gentilis JCtus hic asseruit res sacras *jure* diripi a victoribus, occuparique posse: sed summa *injuria*, & *CALAMITATE* id illis quandoque accidere, barbara feritate attentatum. Confer Glossam & DD. etiam protestanticos, in hanc legem commentaria scribentes. Quodsi, ut textus citatus ait, sacra illa a barbaris raptoribus *reversa pristino statui restituuntur*: igitur falsum est, illa desiisse esse sacra: sed potius verum est, violatam tantum ac interruptam fuisse reverentiam ac immunitatem, quæ illis debita erat.

1020. III.) Rebus sacris & increato Numini injuriosa doctrina *Grotium* auctorem suum probat distracta mente tunc, dum eam conciperet, fuisse, atque adeo nihil solidi ex ejus ratione concludi posse. Naturalista quippe hic *cit. lib.* 3. *c.* 5. §. 2. asseruit *res etiam sacras mero Jure Gentium* spectato, citra scrupulum diripi a victoribus posse; ac in confirmationem opinionis hujus plures Poetarum fabulas & Ethnicorum scriptorum dicta coacervasse legitur: Jam autem eodem *lib.* 3. *C.* 12. §. 7. quasi Lethen bibisset, oblitus eorum, quæ superius scripserat, ex adductis etiam Gentilium testimoniis omnia suæ assertioni contraria affert. Etenim *d.* §. 7. *nu.* 1. ait: „ Summam esse rationem, „ quæ facit pro religione: Tam pro religiosis quam pro „ sacris pia extat Euripidis sententia Troadibus:

„ *Homo quisquis urbes vastat, & Dis manibus*
„ *Sedes sacratas, templaque; haud recte sapit:*
„ *Nam similis ipsum pestis excidii manet.*

Idem Auctor ibidem postquam e sententia Apollonii Tyanæi Annibalem sacrilegum victorem dixit, *qui Deum fact miscuit aras*, aliud *n.* 2. inducit exemplum, quod nempe Scipio capta Carthagine, milites donis ornarit, iis *exceptis, qui in Apollinis templum peccaverant.* Cæsar quoque, ut narrat Dio *lib.* 24. trophæum a Mitridate structum *tollere ausus non est; ut belli Dis sacratum.* Pyrrhi etiam factum, qui Proserpinæ thesauros spoliaverat, fædum & in Deos superbum vocat *Grotius*, ex *Livio* desumens argumentum. Bellum pariter Philippi, quasi Diis illatum, nefarium, ac sceleratum furorem appellat, *quia* NB. *ultra jus victoriæ, in templa, aras, sepulcra sævit.* Demum concludit ille verbis *Polybii*, invehiturque in omnes Victores, qui etiam in multa Gentilium simulacra idolaque laxant manus, eaque ornamentis suis spoliant, dicens: *Quæ neque nobis ad bellum futura sunt usui, neque hostibus incommodum datura; ea ire perditum, templa maxime, & quæ in iis simulacra & similia ornamenta; quis neget MALÆ MENTIS, & præ ira furibunda esse opera?* &c. An igitur Naturalista hic sibi ipsi constiterit? judicet prudens Lector: nisi forte, quod, ubi pro immunitate idolorum, ethnicæ superstitionis causa zelum suum effudit, Christianorum sacra deterioris conditionis esse voluerit.

1021. IV.) Sed jam convincit eum suosque sequaces sanior ratio. *Primo* enim Bellum non geritur contra DEUM,

verum

verum contra homines, ac, ut dixit *Polybius* ethnicus ab ipsomet Grotio citatus: *cum hominibus irascaris, ob id impie in Deos agere, summæ STULTITIÆ signum est*. Cum igitur Templa non hominibus sed DEO ædificentur, resque & vasa sacra illius cultui consecrata sint, ac bona sustentationi Ministrorum ecclesiasticorum necessaria pie applicata noscantur, ea rapere, pedibus conculcare, aut data opera & studio vastare ac diruere, nefas & impium est. *Secundo*, Ecclesia, qua talis, per asserta & probata *a n.* 213.) non est pars Reipublicæ bellum gerentis: sed constituit separatum quoddam corpus spirituale a corpore politico distinctum: Hinc sicut naturali jure vetitum est, res & bona eorum, qui partes Reipublicæ bello implicatæ non sunt, ausu temerario attingere, sic prohibitum est res & bona Ecclesiastica invadere, spoliare, disperdere, nisi forte id *indirecte* eveniat, uti fit in expugnatione Urbis, ubi etiam Templa diruuntur per accidens.

1022. V.) Grotio itaque contrarius hac in parte, post alios, reperitur L. B. de VVolff. qui *Inst. J. N. & G. p. 4. c. 8. §. 1195.* hunc in modum *de vastatione rerum hostilium* loquitur: *Eodem modo intelligitur demolitionem munimentorum licitam esse, postquam expugnata fuerint, ubi ea demoliri visum fuerit* : NB. *ast sepulcrorum & monumentorum sepulcralium, rerumque SACRARUM vastationem illicitam esse, cum nobis nullum competat jus in gentem alteram propter religionis diversitatem, si vel maxime sit idololatrica, nec res sacras vastare licet, quod superstitioni aut idololatriæ inservire putentur*. Se ipsum etiam refellit Grot. *l. 3. c. 15. §. 2. a num.* 1. ubi ait, Victorem nihil posse circa religionem Provinciæ sibi subjugatæ: sed debere eam tolerare, nisi certo falsa foret: igitur res sacræ non subsunt arbitrio Victoris. Videatur Textor in *Synopsi J. G. c. 18. n. 36.* Schiara *theol. bell. lib. 6. diffic.* 18.

1023. Omnium autem oraculis longe præferendum est illud, quod æterna Veritas pronunciavit Math. 21. v. 13. *Domus mea domus orationis est: vos autem fecistis illam speluncam latronum*, talem utique eam faciunt, qui docent, licite posse illam *data opera* malitiose devastari, res ejus diripi, victoribus in spolium cedere: & ii qui scelestam doctrinam hanc exequuntur &c. Nam etsi forte Ministri Ecclesiastici in quopiam offenderent Victorem exercitum: non tamen Ecclesia & res ejus sacræ offendisse

cen-

censentur, nedum naturali: sed etiam positivi juris, *regula* id dictante. *Delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ*, 76. de R. J. in 6. Confer Turrecrem. *ad can. Sanctorum*. Silvestr. Ebberth.

Q. III. ) *Possintne Christiani Victores, justo saltem ex sua parte bello apprehensos captivos Christianos cogere ad militiam, in suis castris contra priores suos Duces & Principes exercendam?*

1024. Pro *affirmativa* decisione stare videtur ratio; quia *justi* Belli inter tres alios effectus, primus est iste, quod jus in captivos tribuat victori, cui demum nascitur imperium in victos, vi cujus singulos eorum potest subjicere servituti personali.

Cum enim *juste* obtenta victoria ex parte Victoris operetur dominium, & ex parte captorum servitutem seu subjectionem, ratione cujus Dominis omnia fere licent in captivos, quo ad personas, res & jura, imo & in vitam, si fides sit Cajo JCto in *l. 1. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* dicenti, *apud omnes Gentes dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse*: His attentis non apparet ratio, cur Princeps Christianus ejusdem Religionis Christianæ captivos nequeat cogere ad militiam & arma sumenda contra Principem, cui militarunt tunc, dum caperentur; præsertim cum opinio hæc sicut auctoritate Eruditorum non caret, ita a praxi Belligerantium robur suum nancisci videatur.

1025. Verum his non obstantibus, *negativa* opinio communis & certa est, ex hac ratione. Quia effectus hic Belli pro *affirmativa* sententia adductus, licet quomodocumque perseveret apud Gentiles; inter Christianos tamen Bello invicem concertantes jam dudum cessavit, uti testes sunt Covarr. *in Reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 6.* Victoria *de Jure Belli n. 42.* Silvest. *verb. Bellum 1. n. 1.* Molin. *tr. 3. disp. 117.* Grot. *l. 3. c. 7. §. 9. n. 1.* Indecens enim fuit, ut postquam Salvator noster *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, ad *Ephes. 4. v. 8.* ac plenaria libertate nos donavit, ad *Galat. 4. v. ult.* adhuc Christiana Gens sub jugo servitutis humanæ detineatur, Caritate, quæ inter membra ejusdem Corporis, sub uno capite Christo JESU intercedere debet, non ferente, ut, qui fratres sunt *Math. 23. v. 8.* unus alteri serviat, prout de his pluribus diximus supra *a n. 814.*) Cum igi-

igitur Christiani a Christianis capti eximantur a conditione & subjectione servili, illi a Christiano Victore nequeunt ad rigidam servorum conditionem detrudi, ita, ut imperio mere *herili* gubernari, consequenter nedum contra suos priores Duces & Principes, sed etiam contra quemcunque alium *inviti* ad militiam exercendam, armaque sumenda *cogi* & adigi possint. Illustr. L. B. de Pelzhoffer *Arcan. Stat. l. 9. c. ult. n.* 29. Muelen. *ad Grot. l. cit.*

1026. Recte proin idem Grotius *d. l.* ex aliis Eruditis transcriptam doctrinam tradit dicens: *Christianis in universum placuit bello inter ipsos orto captos servos non fieri, ita ut vendi possint*, NB. *AD OPERAS URGERI, & alia pati, quæ servorum sunt.* Imo quod neque *Machometani* erga suos Machometanos captos barbariem hanc exerceant, testatur ille *ibid. nu.* 2. ubi ait: *Quod autem hac in parte Christiani idem & Machometistæ inter se servant. Mansit autem inter Christianos mos captos custodiendi, donec persolutum sit pretium, cujus æstimatio in arbitrio est Victoris, nisi certi aliquid convenerit.* Ejusdem sententiæ est Bart. *in l. Hostes, ff. de captiv.* Boer. *decis.* 178. Chalcocondylac. *lib.* 3. Leunclavius *l.* 3. & 17. Busbequius *epist. exoticarum* 3.

1027. Ex his autem patet resolutam esse rationem pro *affirmativa* adductam. Nempe falsum esse, quod Christianis in Christianos captivos competat jus servitutis *personalis* proprie dictæ & dominium *herile*, vi cujus subjectæ personæ vi coactiva cogi possint; sed tantum *quasi mere civile*, huic correspondente personarum subjectione *quasi mere* etiam *civili*, adinstar illius, quæ est in Civitate Regulari, tum *Monarchica*, tum *Poliarchica*, in qua subditi nullum quidem imperium exercent, libertatem tamen naturalem cum participatione jurium inde fluentium habent. Neque libertas hæc sublata est per captivitatem: sed tantum jure inter Gentes Christianas recepto, *limitata* usque dum captivorum permutatio fiat, aut pretium solvatur, vel aliter desinat captivitas. Neque eis plus imperare vi *quasi mere civilis* jurisdictionalis dominii Victor potest, quam quod Gentium Christianarum jure permissum est; ut nempe pergant in locum captivitati suæ destinatum, neve arma gestent sine consensu debite obtento &c. &c.

Consequens autem est, ut iidem capti Christiani, a Christiano Victore nequeant *cogi* ad juramentum militare *fidelitatis*. Cum enim per solam captivitatem non desinant esse

censentur, nedum naturali: sed etiam positivi juris, *regula* id dictante. *Delictum personæ non debet nocere Ecclesiæ*, 76. de R. J. in 6. Confer Turrecrem. *ad can. Sanctorum*. Silvestr. Ebbeith.

Q. III. ) *Possintne Christiani Victores, justo saltem ex sua parte bello apprehensos captivos Christianos cogere ad militiam, in suis castris contra priores suos Duces & Principes exercendam?*

1024. Pro *affirmativa* decisione stare videtur ratio; quia *justi* Belli inter tres alios effectus, primus est iste, quod jus in captivos tribuat victori, cui demum nascitur imperium in victos, vi cujus singulos eorum potest subjicere servituti personali.

Cum enim *juste* obtenta victoria ex parte Victoris operetur dominium, & ex parte captorum servitutem seu subjectionem, ratione cujus Dominis omnia fere licent in captivos, quo ad personas, res & jura, imo & in vitam, si fides sit Cajo JCto in *l. 1. ff. de his, qui sui vel alien. jur.* dicenti, *apud omnes Gentes dominis in servos vitæ necisque potestatem fuisse*: His attentis non apparet ratio, cur Princeps Christianus ejusdem Religionis Christianæ captivos nequeat cogere ad militiam & arma sumenda contra Principem, cui militarunt tunc, dum caperentur; præsertim cum opinio hæc sicut auctoritate Eruditorum non caret, ita a praxi Belligerantium robur suum nancisci videatur.

1025. Verum his non obstantibus, *negativa* opinio communis & certa est, ex hac ratione. Quia effectus hic Belli pro *affirmativa* sententia adductus, licet quomodocumque perseveret apud Gentiles; inter Christianos tamen Bello invicem concertantes jam dudum cessavit, uti testes sunt Covarr. *in Reg. peccatum p. 2. §. 2. n. 6.* Victoria *de Jure Belli n.* 42. Silvest. *verb. Bellum 1. n. 1.* Molin. *tr. 3. disp.* 117. Grot. *l. 3. c. 7. §. 9. n. 1.* Indecens enim fuit, ut postquam Salvator noster *ascendens in altum captivam duxit captivitatem*, ad *Ephes.* 4. *v.* 8. ac plenaria libertate nos donavit, ad *Galat.* 4. *v. ult.* adhuc Christiana Gens sub jugo servitutis humanæ detineatur, Caritate, quæ inter membra ejusdem Corporis, sub uno capite Christo JESU intercedere debet, non ferente, ut, qui fratres sunt *Math.* 23. *v.* 8. unus alteri serviat, prout de his pluribus diximus supra *a n.* 814.) Cum

igi-

igitur Christiani a Christianis capti eximantur a conditione & subjectione servili, illi a Christiano Victore nequeunt ad rigidam servorum conditionem detrudi, ita, ut imperio mere *berili* gubernari, consequenter nedum contra suos priores Duces & Principes, sed etiam contra quemcunque alium *inviti* ad militiam exercendam, armaque sumenda *cogi* & adigi possint. Illustr. L. B. de Pelzhoffer *Arcan. Stat. l. 9. c. ult. n. 29.* Muelen. *ad Grot. l. cit.*

1026. Recte proin idem Grotius *d. l.* ex aliis Eruditis transcriptam doctrinam tradit dicens: *Christianis in universum placuit bello inter ipsos orto captos servos non fieri, ita ut vendi possint*, NB. *AD OPERAS URGERI, & alia pati, quæ servorum sunt*. Imo quod neque *Machometani* erga suos Machometanos captos barbariem hanc exerceant, testatur ille *ibid. nu.* 2. ubi ait: *Quod autem hac in parte Christiani idem & Machometistæ inter se servant. Mansit autem inter Christianos mos captos custodiendi, donec persolutum sit pretium, cujus æstimatio in arbitrio est Victoris, nisi certi aliquid convenerit*. Ejusdem sententiæ est Bart. *in l. Hostes, ff. de captiv.* Boer. *decis.* 178. Chalcocondylac. *lib.* 3. Leunclavius *l.* 3. & 17. Busbequius *epist. exoticarum* 3.

1027. Ex his autem patet resolutam esse rationem pro *affirmativa* adductam. Nempe falsum esse, quod Christianis in Christianos captivos competat jus servitutis *personalis* proprie dictæ & dominium *berile*, vi cujus subjectæ personæ vi coactiva cogi possint; sed tantum *quasi mere civile*, huic correspondente personarum subjectione *quasi mere* etiam *civili*, adinstar illius, quæ est in Civitate Regulari, tum *Monarchica*, tum *Poliarchica*, in qua subditi nullum quidem imperium exercent, libertatem tamen naturalem cum participatione jurium inde fluentium habent. Neque libertas hæc sublata est per captivitatem: sed tantum jure inter Gentes Christianas recepto, *limitata* usque dum captivorum permutatio fiat, aut pretium solvatur, vel aliter desinat captivitas. Neque eis plus imperare vi *quasi mere civilis* jurisdictionalis dominii Victor potest, quam quod Gentium Christianarum jure permissum est; ut nempe pergant in locum captivitati suæ destinatum, neve arma gestent sine consensu debite obtento &c. &c.

Consequens autem est, ut iidem capti Christiani, a Christiano Victore nequeant *cogi* ad juramentum militare *fidelitatis*. Cum enim per solam captivitatem non desinant esse

esse milites prioris Ducis aut Principis, non desinunt quoque obligari prioris juramenti vinculo, quo illi obstricti sunt: adigere autem eos ad novum jusjurandum, est adigere ad perjurium, & nedum Jus Gentium: sed etiam Naturale & Divinum violare:

1028. Quod autem concernit testimonium Caji JCti in *l. 1. ff. de his, qui sui* &c. illud suspectæ veritatis effatum esse demonstrat antiquissimus Græcus Author Gregoras *lib.* 4. scribens: *Mos hic est ab antiquo deductus ad posteros, nec corruptus unquam, non Græco-Romanis modò & Thessalis, sed Illyriis quoque, Triballis, & Bulgaris, propter fidei consortium, ut res quidem in prædam vertere liceat, homines autem nec captivos facere* NB. *NEC INTERFICERE extra prælii tempus*. Et Salustius in *Jugurth.* scribit: *majores nostri religiosissimi mortales, nihil victis eripiebant, præter injuriæ licentiam*. Confer Vitriarium ad Grotii *l. 3. c. 15. §. 1.* ubi ille *q. 5. & 6.* materiam hanc tangit. Atque adeo, ne dum apud Christianos: sed ne quidem apud Gentiles, saltem *moratiores*, unquam fuit jus in vitam hominis bello capti, & jam inermis, ut ille licite interfici posset extra prælium, qui in prælio non occubuit. Textus igitur ille a *Cajo* prolatus intelligendus est: *dominis in servos, vitæ necisque potestatem fuisse*, aut juris Gentium solummodo permissivi, quo ad *impunitatem æternam* in ipso *prælio* ei exhibitam, aut saltem ita temperandam, ut dominus domesticam quandam jurisdictionem habuerit in eum, hanc tamen tanta cum religione & moderatione, qua in causis publicis, quo *ad Cives* exercetur, exercere debuerit: alioqui extra prælium justum, & publicam judicialem vindictam, dominium in vita hominis soli DEO reservatum esse, vix aliquis ignorare potest.

## Q. IV. *) An Repressaliæ licitæ sint?*

1029. I.) *Repressaliæ*, sic dictæ a latina voce *Reprimo*, sunt species *Belli privati*, & coincidunt cum *Retorsione juris iniqui*. Hæc locum habet, cum aliqua Gens, Princeps, aut Civitas statuit jus quodpiam aliis grave: & alia Gens, Civitas, vel Princeps vicissim ejusmodi juribus contra eam utitur. Exempli gr. si in Turcia Poloniæ contermina prohibeantur merces Polonicæ, Polonia vicissim prohibere potest merces Turcicas: Si Japonenses nullum admittant in-

intra suas terras extraneum, idem possunt aliæ Nationes erga illos facere &c. Natura enim sunt inter se æquales Gentes: igitur ubi citra illa ipsarum consensum introducta est inæqualitas, naturale jus permittit reductionem æqualitatis. Quæ reductio habet locum etiam inter privatos, si debitæ serventur conditiones.

Jam vero *Repressaliæ*, utpote quibus vindicatur injuria privato a privato illata: sunt, *jus, quo Magistratus sive se ipsum, sive suos in casu denegatæ ab extraneis Magistratibus justitiæ, ab illata per eosdem injuria vindicat redditque indemnes*.

1030. II.) *Repressaliæ*, licet a jure nat. permittantur, vi *formæ* tamen suæ ad Jus Gentium referuntur. Mero enim naturæ jure, ex facto alieno nemo tenetur, nisi qui bonorum successor est. Contra autem usu consensuque Gentium est inductum, ut pro eo, quod Respublica debet vel pro se, vel pro suis, in casu denegatæ justitiæ, subditorum bona, veluti oppignorata habeantur. Unde respectu utentis est lex *permissiva*, respectu aliorum *præceptiva*, qui hoc pati obligantur.

1031. III.) Ut Repressaliæ *licitæ* sint, hæ requiruntur conditiones: 1.) Ut *manifeste constet*, Cives alterius Reipublicæ fecisse injuriam, & quidem gravem. Nam iniquum foret *dubium* debitum compensatione *certa* reparare, & injuriam levem modo tam acerbo ab innocentibus ceteris vindicare. 2.) Ut *Superior delinquentem admoneat de injuria facta, fierique satisfactionem mandet*, alias inique vexarentur innocentes, & aliena jurisdictio usurparetur. 3.) Debet *constare eos culpabiliter satisfactionem recusare*, aut Principem nolle urgere subditos suos, ut satisfaciant. Quia alias in ejus defectum bona innocentium non subrogantur satisfactioni. 4.) Princeps Reipublicæ vel personæ læsæ *debet ab ea adiri, & causa cognita facultatem concedere Repressalias capiendi*. Quia ad eum solum spectat concedere repressalias, ad quem pertinet Bellum movere. 5.) Ut *non inferatur plus damni*, quam justa satisfactio requirit. Quod enim ultra æqualitatem accipitur, est injustum. Demum 6.) Ut *non concedatur in personas jure Civili, vel Canonico exemptas*. Sunt autem *primo* exemptæ personæ Ecclesiasticæ, sub pœna Excommunicationis, *c. un. de Injur. in 6.* Sicut & *secundo*: Principes ac Status Imperii non possunt contra se invicem Repressalias concedere, ut patet ex praxi Cameræ Imperialis, & *Recess. Imp.* de Anno 1570. §. 48.

1032.

1032. Hac autem ratione Jus *repressaliarum*, & *retorsio juris iniqui* non sunt idem ac *jus vitæ defendendæ, bonorumque*, instante extrema vel quasi extrema necessitate: in his enim nullæ amplius requiruntur conditiones, præter *moderamen inculpatæ tutelæ*, ac materiæ *gravitatem*, ut liquet ex dictis *a n.* 410.) Contrarium fit autem in *Repressaliis* & injuriarum *retorsione*, utpote quæ moram patiuntur.

## CAPUT VI.

### De Fœderibus & Pactis Gentium.

### §. I.

#### *De Fœderum natura & aliis proprietatibus.*

### SUMMARIUM.

1033. *Fœderis definitio.*
1034. *Ejus origo & exempla.*
1035. &c. *Fœderum divisio.*
1037. *Illorum materia solæ sunt res honestæ. Ibidem exponitur Forma fœderum & naturæ* Obstagii.
1038. *Fœdera Juri Nat. & Gent. tribuuntur: diversa tamen ratione.*

1033. I.) FŒdus, prout inter personas *Publicas* intercedit, sumiturque etiam pro *liga, pacto, societate, seu amicitia*, definiri potest, quod sit *Conventio publica, a personis summa potestate præditis legitime inita communis utilitatis causa*. Originem autem suam trahit simul cum societate civili humana. Ex quo enim genus humanum in unam rationalem Rempublicam coaluit, ac dein bonorum divisio subsecuta est, & commercia in variis negotiis vitam præsentem concernentibus, ortum suum sumpsere, requirebatur aliquod remedium efficax, quo illa firmarentur, ac moralis certitudo uni contrahenti erga alterum induceretur: tale autem non fuit aliud, quam fœderum, pactorumque & sponsionum conventio, in mutua fidelitate seu fide irrefragabili consistens.

1034. Pactionum hujusmodi exemplum dedit ipse DEUS noster O. M. qui dignatus est inire *fœdus* cum *Noe* poste-

deris, producta in reconciliationis testimonium cælesti iride, *Gen. 9. v. 13. & 14.* dicens: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit in signum FOEDERIS inter me & inter terram; cumque cælum obduxero nubibus, recordabor FOEDERIS mei.* Ad imitationem hujus exempli genus humanum subortas difficultates, & controversias, quæ inter Mortales contingere poterant, fœderibus complanare, usque ad nostri ævi tempora solitum fuit, adeo ut teste Varro apud VVaremundum de Ernberg *in Meditament. pro fœder. c. 3. n. 8.* derivato nomine a fœderibus & fide data *Feciales*, id est publicæ fidei præfecti, apud Romanos dicti fuerint, eo quod publicorum fœderum fides illorum interventione & auctoritate constitueretur, quorum officium hodie penes Legatos, Commissarios & Mandatarios Principum manere intelligimus.

1035. *Fœderum* species totidem sunt ac *pactorum*. Alia enim sunt *perpetua*, seu indefinita, & sine termino inita: alia *temporanea* certo termino limitata. Alia *offensiva*, quæ ad Bellum offensivum seu vindicativum: & *Defensiva*, quæ ad defensivum ordinantur. Quodsi simul offensivum & defensivum fœdus belli contrahatur, vocabitur *Mixtum*, aut *mutui auxilii*; invaso itaque aut Bellum inferente, cui alter ejusmodi fædere junctus est, hic quoque declarare Bellum, & vel separatim hostem invadere, vel cum fæderato communem causam agere obstrictus est. Dantur etiam fædera tam Belli, quam mutui auxilii alia *pura*, alia *conditionata*, prout vel pure vel absolute, vel sub conditione inita fuere. Eadem porro vel *determinata* sunt, vel *indeterminata*. *Illa* dicimus, si quando in pacto fæderis, quid, & contra quos auxilia præstanda, bellumque movendum sit, exprimitur: *indeterminata* vero sive *generalia*; aut unum aut alterum, vel utrumque indefinitum relinquunt, atque adeo in omnes generaliter casus, Fæderatos obligant. Si quoque Fæderatorum unus ad communem Belli causam faciendam præstandaque Fæderato auxilia sese obstringat, quin reciprocam sibi ab altero opem, aut pares fæderis conditiones in pactum deduci curet, *fædera unilateralia*, item *benefica*; sin vero in parem utrinque obligationem contrahantur, *bilateralia*, item *onerosa* vocamus.

1036. Quandoque inter Gentes, seu populos duos potentia inæquales, hac conditione ineuntur fœdera: ut viribus inferior sive minus dignus potentiori, vel digniori,

ri, in Bello communi ope gerendo, ferendisque pro viribus auxiliis, in omnes casus præsto esse teneatur, digniore aut nullam, aut in casum solum invasionis ab extraneo factæ, reciprocam opem repromittente. Qua ratione populi viribus inferiores conditionem omnino deteriorem fieri per se patet: unde *fœdera* ejusmodi *inæqualia*, sive *inæqualitatis* dicuntur, diversa a *fœderibus æqualibus*, in quibus, nulla habita potentiæ inæqualis ratione, in pares sese Fœderati conditiones obligant.

Demum, quæ in personas Imperantium, fœderaque paciscentium concepta tantum sunt, *fœdera personalia*: quæ autem ipsius Reipublicæ nomine, habitoque ad eandem respectu contrahuntur, *fœdera realia* dici solent; horum proin obligatio cum vita Imperantium, aut contrahentium haud expirat.

1037. III.) *Materia* fœderum solæ sunt res honestæ & licitæ, quales sunt Pax publica, vera religio, matrimonia, successio, commercia, auxilia, bellum, induciæ, aliave negotia Reipublicæ commodum concernentia.

IV.) *Forma* fœderum *interna* consistit in ipsa pactione: *externa* in conscriptione & consignatione tabularum, cui additur interdum jusjurandum. Imo, id quoque usu subinde inter Gentes servatur, ut traditione personarum ad instar pignorum, pactis suis, promissisque fidem ac securitatem concilient; quas cum *Obsides*, pactum vero, quo ejusmodi personæ traduntur, *Obstagium* dicamus, hinc obstagia, atque obsides inter media firmandi pactorum fidem assecurandamque eorundem custodiam recte referri licet. Quia vero in detentione *Obsidum* securitas pactorum consistit; obsides custodiendos, atque captivos detineri posse, nemo dubitaverit. Reliquæ fœderum *formæ ritus*, & solennitates ex variis Gentium consuetudinibus desumendæ sunt.

1038. V.) *Fœdera* seu pactiones publicas naturali & Gentium juri attribuimus, diversa tamen ratione. Nempe *obligatio* fœderum & pactorum publicorum est *juris naturalis*, quod jubet standum esse promissis licitis ac legitime factis. Ipsa tamen *admissio*, seu *pactio*, prout spectat ad jura Majestatis, neque negari potest absque ratione, hoc est, *si rationabiliter debito modo* petatur, est *Juris Gentium*, a quo suam formam desumit. Licet enim pacta hæc admittere sit *conforme naturali rationi*, non est tamen *absolutæ necessitatis*, sic, ut exigatur determinate a natura rationali,

tan-

tanquam aliquid *intrinsece* bonum morale absolute necessarium & requisitum. Fœdera enim hæc introducta sunt a J. Gentium ex eo fine, ut hominem *bonum socium : bonum civem*, potius quam ut *bonum hominem* formarent. Confer superius dicta *a n. 668. & n. 674.* )

§. II.

*De obligatione & licentia Fœderum.*

SUMMARIUM.

1039. *Cur fœdera sint observanda?*
1040. *Quomodo interpretationi subsint?*
1041. *Exemplum affectatæ interpretationis.*
1042. *Regis Galliæ sanctitas in fœderibus servandis.*
1043. *An cum Tyrannis fœdera iniri possint?*
1044. &c. *An licite ineantur cum Infidelibus?*
1048. &c. *Eligitur & probatur sententia media.*

1039. CErtum est I.) *Fœdera*, quibus pax publica sancitur, aut quibus se plures Principes vel Respublicæ mutua obligatione devinciunt, & societatem, in materia honesta & licita *libere* ineunt, ut se v.g. mutuo juvent contra injustum aggresorem &c., *sancte* esse *facienda* sine technis, amphibologiis & æquivocatione, ac ita facta, *sancte* etiam esse *custodienda*. Id enim jus Naturæ, Divinum, ac Gentium præcipit. Sublata autem fœderum juste initorum observantia, necesse est naturalem seu *internam*, pariter ac *civilem*, id est *externam* generis humani felicitatem pessum ire, eique succedere rapinas, cædes, bella omniaque mala, quibus nullum aliud remedium prodesse possit, si pacta inter Gentes stabilita pro uniuscujusque arbitrio convellantur.

1040. II.) Eo autem casu, quo fœdera executioni mandare quis renuit, ob ingruentem aliquam eorum perplexitatem, *interpretatio* talis adhibenda est, quæ ex verborum proprietate & Gentium consuetudine, non autem quæ ex ingeniorum subtilitate peti potest. Exempli gratia: promisit quis suo Fœderato auxilium contra hostem; interea videt propriam suam Provinciam periclitari, ita ut ipsemet propriis suis copiis opus habeat pro necessaria defen-

 sione,

ſione, quas dividere nequit. Hoc caſu recte interpretabitur auxilii promiſſi vinculo ſe hic & nunc non teneri, cum hujuſmodi pactorum natura ſit, ut *tacitam* habeant conditionem: *niſi moralis impotentia obſtet* &c. Et ita 1. *Machab. c.* 8. leguntur Romani contraxiſse Belli fœdera cum Machabæis: *Si genti Judæorum prius acciderit bellum, adjuvabunt Romani animo*, NB. *prout eis tempus permiſerit*. Merito igitur deteſtanda eſt illorum pſeudo-politicorum Fœderum interpretatio, qui pro his explicandis generale ſtatuunt principium: *Fœdera nonniſi utilitate privata eſſe metienda, & tamdiu obſervanda, quamdiu proficua*. Neque enim utile eſse poteſt quod honeſtum non eſt, monet Seneca *Ep.* 64. & potius utilitatis regula ex honeſtate, quam honeſtatis ex utilitate deſumenda eſt.

1041. Tragicum affectatæ initorum fœderum interpretationis perhibet exemplum Adam. Contzen. *l.* 3. *polit. c.* 7. quod ſcilicet Amurathes Turca *Uladislaum* Hungariæ Regem, quem priorem rupiſse fœdera cauſabatur, ad DEI Tribunal pugnaturus provocaverit. Fœderis enim teſtes literas ante prælium legiſse, atque ita apud *Bonfinium*, peroraſse ſcribitur: *Hæc ſunt JESU Chriſte fœdera, quæ Chriſtiani tui mecum percuſsere; per Nomen tuum ſancte jurarunt, datamque ſub Nomine tuo fidem violarunt, perfide DEUM ſuum abnegarunt: nunc Chriſte, ſi DEUS es, ut ajunt, & nos hallucinamur, tuas meaſque in urias, te quæſo, ulciſcere; his qui Nomen tuum ſanctum nondum agnoverunt, violatæ fidei pœnas oſtende*. Utcunque res acta ſit, prælium initio anceps, poſt hæc ad partes Turcarum inclinavit, demum his plene ſecundum fuit. Ita *Contzen*. Alii communiter teſtantur Regem Uladislaum hoc prælio occubuiſſe ad *VVarnam*, ubi armis certatum eſt.

1042. Illuſtrius proin fidei exemplum reliquit *Franciſcus* I. Galliarum Rex, cum enim *Carolum V.* comiter exceperiſset, atque a ſuis moneretur, ut violata fide Carolum, quem in poteſtate modo haberet, captivum detineret, teſte Lipſio *Lib.* 2. *Monit Politic. c.* 13. repoſuit: *Etſi fides in toto orbe exularet, eam tamen Regibus tenendam eſſe, qui ea ſola, nullo autem alio metu conſtringi poſſent*. Auro cedroque notandum (dicit Lipſius *l. c.*) effatum hoc eſt, alios quippe lex aut pœna coercet, Principes ſolus pudor, aut fides.

1043. III.) Dubio quoque vacat, illicitum eſse contrahere fœdera qualiacunque cum quocunque altero ad bellum

cer-

*certo injustum*, prout per se patet rationi recte dispositæ: Ac proin illicita quoque fore, si illa contrahantur cum *Tyranno* injusto Provinciæ *invasore*, qui tacito vel expresso consensu populi *potestatem summam* legitime *non est adeptus*: Illicitum enim est cooperari injustitiæ, per hanc autem fœderis pactionem confirmaretur ejus iniquitas. Excipe: nisi Populus per vim injustam occupatus libere tandem se submiserit ejus imperio. Textor *d. c.* 23. *n.* 12.

1044. IV.) Verum celebris quæstio est; *An liceat cum infidelibus contrahere fœdera?*

Quæstio hæc tractatur à TT. & Canonistis *ad Tit. de Saracen.* in quâ três casus distingui solent. 1.) Quando fœdus cum infideli simpliciter contrahitur, v.g. in ordine ad res adiaphoras, uti sunt commercia &c. 2.) Quando contrahitur contra alium infidelem bello coercendum. 3.) Quando contrahitur ad oppugnandum Fidelem.

1045. In primo & secundo casu nullum est dubium. Sic enim Machabæi fœdus cum Romanis adversus idololatras alios iniverunt. Ac *ratio* est, quia infideles in auxilium vocare, *per se* nulli virtuti adversatur, & exemplum habetur de Davide 1. *Reg. c.* 28. Præterea licet in bello uti auxilio ferarum, cur non infidelium? & sicut potest quis conducere milites infideles ad se defendendum, regnumque suum, vel sua recuperanda ab aliis *infidelibus*, sic etiam vocare potest Principem infidelem cum suo exercitu in suum adjutorium ad coercendum hostem infidelem.

1046. In tertio casu non desunt DD. qui aut generaliter putant tale fœdus esse licitum, inter quos citantur, Abbas *in c. 8. de voto & voti redempt. n.* 15. Grot. *l.* 2. *c.* 15. §. 9. *& seqq.* Lymnæus *in additam ad Capitular. Caroli V. art.* 2. aut id tanquam ex natura sua licitum defendunt, & *per accidens* tantum illicitum fieri existimant cum Suar. *de Bell. d.* 13. *S.* 7. *n.* 25. Bonacina, Majolo, Besoldo, Pignatelli *Tom. 9. consult.* 185. Palao *p.* 1. *tr.* 6. *d.* 5. *pun.* 3. *n.* 18. *& pun.* 6. *n.* 10. Molin. *de J. & J. t.* 1. *tr.* 2. *disp.* 112. *n. ult.* Laym. *l.* 2. *tr.* 3. *c.* 12. *n.* 6. *fin.* aut saltem in casu *extremæ necessitatis* ex causa defensionis id permittunt cum Knichen *oper. polit. l.* 2. *S.* 2. *c.* 10. *th.* 3. Textor. *in Synopsi J. G. c.* 23. *n.* 15. Ill. L. B. de ICKSTATT *Elem. J. G. l.* 4. *c.* 8. §. 10. & alii Publicistæ, ac TT. Sunt quoque qui *Negativam* acerrime defendunt, dicendo *absolute* & *semper* illicitum esse cum

*Infidelibus* ac *Hæreticis* inire fœdera, illosque juvare, & auxilium eorum invocare *saltem* contra Principes *Catholicos*, quia putant nunquam fieri posse, ut fœdus cum Infidelibus ineatur, vel auxilium eis præstetur, vel petatur ab eisdem, quin aut scandalum, aut præjudicium Ecclesiæ & Religionis directe aut indirecte sequatur. Hanc, post alios, tuetur Schmier *Jurisp. publ. f.* 352, *n.* 81, Sbogar, *Theol. radical. tr.* 14. Diana &c.

1047. Recte autem advertit Reverendiss. Abbas Ansel. DESING *in J. G. c.* 8, *th.* 30. dicens,, Disputationes hujusmodi potius in verbis constitisse. Nam reipsa aliquando ii, qui hoc negabant aliis, idem fecerunt ipsi. Ultima enim necessitas, adhibita sufficiens cautio, qua honori DEI & moderamini inculpatæ tutelæ consultum sit; & forsan alia gravissima momenta possunt justa reddere hæc auxilia. Atque ita excusant Galli auxilium navale Turcicum an. 1543. evocatum, Pontifex etiam interpellatus, ut Regem diris ob id devoveret, negavit se id facturum, NB. quod Doctorum de injustitia ejus rei non eadem esset sententia,, Hæc ille.

1048. Omnibus autem mature perpensis, eligenda videtur inter duas extreme sibi oppositas, *media* illa, & communior sententia docens: Fœdus v.g. cum Turcis & Hæreticis inire non esse *ex natura sua* illicitum: sed tantum *per accidens*. Unde licitum est contrahere fœdera Catholico Principi cum Infidelibus, seu hostibus Ecclesiæ in Bello *aperte justo*, & cum morali certitudine seclusi omnis periculi scandali, præjudicii, vel damni in Religionem Catholicam emersuri. Casus vero ejusmodi communiter hi enumerari solent 1.) Si fœdera ineantur contra alios Infideles, aut hostes veræ Ecclesiæ justo bello coercendos. 2.) Si illa forent quidem contra Christianos, eosque etiam *Catholicos*, dummodo tamen circumstantiæ rebus fidei derogatoriæ certo exclusæ forent. 3.) Si supposita belli justitia adessent conditiones etiam Ecclesiæ utiles. 4.) Si ad avertendum majus veræ Ecclesiæ malum id foret necessarium.

1049. *Ratio* hujus asserti est. Quia *jure naturali* ac *Gentium* spectato, sicut *justa sui* defensio contra iniquum aggressorem non est prohibita, ita neque media defensioni huic apta prohiberi aliter poterant, quam propter solam *extrinsecam* circumstantiam, ratione scil. scandali & præjudi-

judicii quod sequi *per accidens* possit: Si igitur hæc abfuerint, nihil aliud ei obstabit. Prout docemur etiam e Sacræ scripturæ oraculis. Israelitis enim prohibita scimus fuisse tum fœdera, tum matrimonia, aliosque nonnullos actus cum Gentilibus, eo quod *scandalum* perversionis inde secuturum foret, ut loquitur textus: *certissime enim avertent corda vestra, ut sequamini Deos* &c. 3. Reg. 11. v. 2.

1050. Contra autem, ubi scandali rationabile periculum aberat, etiam Fideles infidelibus fœderatos fuisse certum est. Ita enim *Abraham* fœdus percussit cum *Aner* & *Escol* Gentilibus Gen. 14. v. 13. *Salomon* quoque cum *Hiran* Ethnico, 3. Reg. 5. v. 12. de quo legitur ibidem: *Dedit quoque Dominus sapientiam Salomoni, sicut locutus est ei, & erat pax inter Hiran & Salomon, & percusserunt ambo FOEDUS.* Porro fœdus hoc non fuisse circa solum commercium lignorum, aliarumque rerum (alioqui non tam *fœderis*, quam potius *conventionis* & *contractus* nomine exprimeretur) testantur Interpretes ad hunc Scripturæ locum: sed fœdus tale initum, quale hic definivimus *n.* 1039. videri hac de re potest, inter alios supra cit. DD. Pignatelli *d. l.* ac Reiffenst. *ad tit. de Hæretic. a n.* 188. & 209.

## CAPUT VII.

## De Pace & Jure Pacis inter Gentes.

### §. I.

### *De natura & proprietatibus Pacis.*

### SUMMARIUM.

1051. *Quæ Pacis definitio & divisio?*
1052. *Pax num a Jure Nat. vel Gent. procedat?*
1053. *Jus contrahendæ Pacis penes quem residet?*
1054. &c. *An restitutio in integrum habeat in ea locum?*
1056. &c. *Rex captivus potestne pacem contrahere?*
1058. *Et an etiam Rex exul?*
1059. *Quomodo Pax statuenda? Et quod ejus objectum?*

1051. I.) Bellum & cum hoste contracta fœdera sequitur *Pax*, quæ districte ac relative ad sopitos

tumultus bellicos spectata definitur esse *Amicitiæ restauratio inter eos, qui hostes invicem erant*: Pax enim est belli finis, bellumque geritur, ut pax obtineatur. *Can. Noli* 3, *caus.* 23. *q.* 1.

II.) Ita definita Pax dividitur in *publicam* & *privatam*, *perpetuam*, & *temporalem*, *universalem* & *particularem*, in *inducias* & *treugam*. Demum *ratione materiæ* dividi solet in *profanam* & *religiosam*. Singulæ hæ divisiones cum ex suis terminis notæ sint, explicatione non egent.

1052. III.) Pax *in se* & absolute spectata, prout significat tranquillitatem cum DEO, secum ipso & proximo non modo *originaliter*: sed etiam *formaliter* est a naturali lege præcipiente, utpote ad *moralem* hominis felicitatem absolute necessaria. Eadem tamen Pax relative ad Bellum considerata est *Juris Gentium*, quod etiam locum habet in *Treuga*, seu *Armistitio*. Gentium quippe jure hæc *quo ad suam formam* introducta sunt. Cum enim contrariorum eadem sit disciplina, & *omnis res, per quascunque causas nascitur, per easdem dissolvitur*: sequitur, quod sicut Bellum a Gentium jure ortum trahit, ita ea quæ illi contraria sunt; neque enim *ratio pacificendi*, *cessatio a conatu hostili*, *oblivio malorum*, *restitutio bonorum* jure belli occupatorum &c. aliunde nisi ex *dispositione Gentium*, in ordine ad communem utilitatem, necessitatemque publicam, profluere poterant.

1053. IV.) Jus *contrahendæ Pacis*, sicut & Belli est *Majestaticum* jureque proprio residet penes *Summos Imperantes*, nempe in Statu *Monarchico* penes Regem, si hic non habeat jus impeditum: in *Aristocratico*, vel *Democratico* penes majorem partem Optimatum vel Civium. Nam *rei suæ quisque est moderator & arbiter*. Si igitur summum imperium maneat penes unum, aut plures, penes illum solum aut hos necesse est manere tam bello quam pace moderandi facultatem. In Rom. Imperio Imperator facit Pacem cum consensu Statuum, *Instrum. Pac. Onasburg. art.* 8. *§. gaudeant*.

1054. Censetur autem Rex habere jus impeditum *primo*). Si adhuc sit *immaturæ* ætatis, aut furiosus, amens &c. hic pacem concludere nequit. Nisi forte Tutorem, aut Administratorem habeat, per hunc Pax bona fide conclusa Regem etiam obligabit, Textor in *Synops. J. G. c.* 20. *n.* 14. Portugal. *de Donat. Reg. l.* 2. *c.* 28. *n.* 10. Neque enim cum publico Gentium damno Pax usque ad maturiorem

Re-

Regis ætatem, aut saniorem intellectum expectari potest. Et ita laudatus Textor *l. c. n.* 25. adducit exemplum Ludovici XIV. Galliarum Regis, qui decimum vix annum excesserat, cum Pax inter Augustissimum Imperatorem Ferdinandum III. & ipsum conclusa est Monasterii.

1055. An autem Restitutio in integrum Regi jam adulto, aut melius sapienti indulgenda sit, si quando ex Pace, a Tutoribus, aut administratoribus conclusa læsum se prætenderet; disputant Publicistæ. Sed verisimilius negatur illi hæc indulgentia. Tum quod negotium hujusmodi majori cum circumspectione, mutuo consilio & plurium Prudentum judicio tractari, sicque allegandæ læsioni via præcludi soleat: Tum quod non expediat bellum semel sopitum, ob tales prætextus instaurare, Pacemque qua Belli remittuntur injuriæ, irritare cum gravi aliorum, & forsan suo etiam præjudicio.

In eventum autem hujusmodi casus, optimum est, si quoties de Pace agitur cum pupillo Rege, Procerum consensus accedat. Sicque legimus in Pacis Olivensis *art.* 34. ratione Regis Sueciæ tunc minorennis cautum fuisse, ut Serenis. Rex Sueciæ solemni instrumento pacta nomine suo & sui Regni per subscriptionem Serenifs. Reginæ Matris suæ, & Dominorum Regni Sueciæ Administratorum, in forma conventa rata habeat. Brunnem. *de Pace Polit. diss.* 1. §. 2. *in fin.* Muelen. *ad Grot. c.* 20. §. 3. *l.* 3.

1056. Censetur Rex jus concludendæ Pacis impeditum habere *secundo)* si *captivus* factus sit, dummodo regnum ex consensu populi ortum habeat. Non enim credibile est (ait Grotius *l.* 3. *c.* 20. §. 3.) a populo imperium delatum fuisse ea lege, ut & a non libero exerceri posset. Ergo hoc casu imperii non quidem jus totum, sed exercitium, & quasi tutela erit penes populum, aut eum, cui id populus commiserit. Hæc ille, cui subscribit Ziegler *ibid.* excipiens tamen, si regnum non ex consensu populi, sed patrimoniale fuerit, aut bello occupatum, tunc enim etiam captivo, dicit, licere pacem facere. Hos sequitur Muelen. *l. c.* Stapff. *de Majest. c.* 5. §. 57. Verum Textor *de J. G. d. c.* 20. *n.* 17. in quacunque specie regni, proinde etiam in patrimoniali hoc ipsum procedere sentit: Quia generaliter, captus Rex ab hoste saltem jus administrandi perdit, & hinc pro eo statu de rebus Regni nihil disponere potest, prout Rex Galliarum Franciscus I. declaravit, quando voluit,

ut durante captivitate sui tanquam mortui, quantum ad Regni administrationem nulla haberetur ratio in Galliis; Delphinus etiam aliique Principes Galliæ abnuebant Pacem cum his conditionibus facere, quas illorum Rex accipiebat in Anglia, teste Polydoro *l.* 19. apud *cit.* Muelen. & Textorem *d.l.* qui tamen *c.* 18. *n.* 56. concedit valere conditiones liberationis a Rege captivo initas; eo quod metus, qui potest opponi, non sit injustus, utpote proveniens ex justa custodia, Jureque Gentium permissa.

1057. Propter hanc autem *Textoris* secum ipso pugnantis doctrinæ inconsequentiam, ac *Grotii* & ejus sequacium sine solido fundamento prolatam Regiæ potestatis limitationem, verosimilior opinio est, docens, quod *Rex captivus*, dummodo per captivitatem non amittat Regnum, etsi impediatur ab ejus administratione ordinaria, sive Regnum sit electivum, sive hereditarium, possit passim sancire. *Ratio* est: Capti enim in Bello etiam justo, inter Christianos non amplius fiunt servi, sed retinent suam libertatem. Stryk. *in usu modern. ad Pand. l.* 1. *tit.* 5. *§.* 2. Lauterbach. *ad Pand.* 1. *tit.* 5. *§.* 12. Sicuti apud Romanos in bello civili, *l.* 21. *§.* 1. *ff. de captiv. & postlimin.* ibique Brunnem. *n.* 1. & 2. Igitur a fortiori Rex retinet suam libertatem, adeoque ex hoc capite non impeditur jus ejus Majestaticum in Pace facienda, quæ etiam est optimum remedium se liberandi a captivitate, in qua spectato jure Gentium juste detinetur. Lauterb. *ad Pand. l.* 49. *tit.* 15. *§.* 4. Habet autem Rex captivus jus ad media necessaria pro sui liberatione, cum non sit credibile, quod populus in Regno etiam electivo voluerit ista media adimere, dummodo liberatio regno non sit nimium præjudiciosa, & nimiæ alienationi obnoxia, quæ per leges fundamentales regni non tantum in regno electivo: sed etiam hereditario præcavetur, in quo ultimo etiam Grotius *cit. loc.* non denegat Regi captivo potestatem Pacis contrahendæ. Sic Franciscus I. Rex Galliarum captivus, cum Carolo V. Imperatore, & Hispaniarum Rege pacem iniit Madriti, Ann. 1526. 14. Jan. Pfeffinger *in Vitriar. l.* 1. *tit.* 5. *f.* 726. ubi etiam conditiones istas Pacis refert. Schiltenberg, *Disp. jurid. ad l.* 5. *ff. de pact. c.* 2. *§.* 1.

1058. Idem jus Regis impeditur *tertio*.) Si ille sit *exul*, ita ut vivat obnoxius servituti, id est servire seu subjici alteri cogatur, quod per se patere videtur. Non item si

Rex

Rex seditione populi, rebellione, tyrannide vel impetu hostium *injuste* exulare coactus sit, & nondum in servitutem a quopiam redactus, hic enim retinebit cum Imperio jus sanciendæ pacis: Prout liquet ex præcedenti resolutione; Regis enim ita exulis facti conditio non est deterior conditione Regis captivi, cum vero hic possit pacem sancire, poterit & ille.

1059. Porro Pacem hujusmodi potest Summus imperans sancire sive per se ipsum, sive per alios, constat enim *jus contrahendæ Pacis esse delegabile*. Ad hunc effectum instrui solent *Legati* speciali mandato, ratihabitione Principibus reservata. Solent quoque adhiberi *Mediatores* pacis, propter eam facilius sanciendam inter partes bellantium. Acceptatio tamen Mediatorum non obligat jure Gentium, si obstet spes victoriæ, præjudicium dignitatis, vel emolumenti proprii, licet Princeps, cujus interest, pacem possit ultro suadere, & recusatam armato fœdere procurare.

V.) Objectum Pacis *in genere* sunt *capita*, seu *articuli* a paciscentibus utrinque conventi, subscripti ac subsignati. Objectum autem *in specie* sunt 1.) Articuli concernentes *Amnistiam*, vi cujus promittitur perpetua *oblivio omnium, quæ durante bello commissæ sunt, hostilitatum & injuriarum*. Num vero *Amnistia* liberet a restitutione eorum, quæ Ecclesiis, viduis, pauperibus, & personis bello non implicatis &c. erepta sunt? fuse egimus de his, in *Erotem. theor. pract. erot.* 27. *à f.* 208. ubi conclusimus: Actionem quidem pro *foro externo regulariter* negari contra Milites &c. nullo modo autem illis dominium rerum hujusmodi pro *foro interno* competere. Imo si rapinæ illæ factæ sint per alios, quam a personis bello implicatis & actu militantibus: etiam in foro *externo Amnistiam* illis nihil prodesse demonstravimus. 2.) Sunt item Articuli concernentes *restitutionem* personarum, rerum, jurium, dignitatum, bonorum &c. durante bello occupatorum. Neque circa hæc locum habet *jus postliminii*, nisi in pacificationis articulis fuerit expressum. 3.) Demum ponuntur articuli *de satisfactione & compensatione, pro impensis damnisque bellicis*. Id enim exigit Justitia. Et cum Gentes liberæ Judicem alium non habeant præter se ipsas, hinc illæ ubi ad Pacem sanciendam aspirant, debent & solent læsæ justitiæ rationem habere, partique læsæ eam ab alia parte præstandam injungere, si forte reciproca hostilitate compensatæ non sint.

## §. II.

### *De effectu & accessoriis Pacis.*

### SUMMARIUM.

1060. *Pacificationis effectus est obligatio.*
1061. *An fides hosti servanda, & cur?*
1062. *An exceptio contra illam habeat locum?*
1063. &c. *An item dispensatio, vel rescissio?*
1065. &c. *An Christianis obstent fœdera cum Turcis inita, quo minus avulsa recuperare possint?*
1068. &c. *Metu extorta Pax an & quando obliget?*
1070. &c. *Semper eam obligare dicit* Grotius: *sed rectius cum aliis negat* Puffendorf.
1076. *Concluditur pro Christianis Principibus.*
1077. *An debitor a Victore absolutus solvere teneatur?*
1078. &c. *Duæ sententiæ referuntur cum suis motivis.*
1084. &c. *Et eædem ambæ refutantur.*
1090. &c. *Enervatur argumentum ex Amnistia.*
1092. *Explicatur Amnistia Pacis* Osnaburg.
1093. *Statuitur media sententia in casu cit.*
1094. *An Princeps successor teneatur Pace Antecessoris?*
1095. &c. *Defenditur Affirmativa, probatur, & solvuntur contraria.*

1060. Sicut aliarum pactionum, ita & *legitime* sancitæ pacis primarius effectus est *obligatio servandi* articulos pacificationis tractatu conclusos *rite* acceptatos aut ratificatos; juxta antiquam Regulam, *Pax servetur, pacta custodiantur*. Cap. Antigonus I. de Pact. Sed

Q. I.) *An etiam hosti injuste vexanti, seu injustum bellum gerenti fides publica servanda sit?*

1061. *Affirmativa* est omnium responsio cum D. Thoma *q.* 40. *a.* 3. Covarr. in 4. *decret. q.* 2. §. 4. *n.* 22. Joan Molano *de fide hæretic. servand. L.* 1. *c.* 16. & aliis ex D. August. *Ep.* 205. ad Bonifac. Comitem, quæ refertur in Can. Noli. 23. *q.* 1. *Fides quando promittitur, etiam hosti servanda est, contra quem bellum geritur*. Id autem procedit de *fide publica,*

*blica*, seu quæ a publico Magistratu, Majestate, vel communitate datur, *Ratio* vero est, quia fœdera publica Gentium jure introducta sunt, quod omni Generi humano, aut saltem moratioribus populis commune est, *C. Jus Gentium. Inst. de J. N. G. & C.* Idque propter necessitatem & utilitatem communem Generis humani; nisi enim Pacificationes & fœdera publica seu inter diversos Principes aut Respublicas, seu inter Principem & Magistratum aut subditos ejus, v. g. *rebelles* inita omnimode observanda essent, nulla pax & societas inter humanum genus consistere posset. Intelliguntur tamen hæc, dummodo Pacificationis fœdus ex objecto malum non sit: alioqui neque obligatorium foret, ut per se notum est.

1062. Asserta obligatio servandi pacis conclusæ articulos *regulariter* non admittit *exceptioni* seu tergiversationi locum, quod Pars altera ad fœdus ineundum per vim injustam adacta sit, prout in variis bellis (quippe quæ ex altera parte ferme injusta sunt) plerumque accidit. Cum enim paciscentes superiorem Judicem non habeant, qui causa cognita ipsis jus dicat, Pars quælibet paciscens postea causari posset ac dicere, sibi vim injustam illatam esse, ideoque fœdus a se rescindi posse &c.

At vero si privatus aliquis alteri privato vim *injustam* inferenti promittat quidpiam metu inique incusso adactus, licet hujusmodi pactio sive fœdus (juxta aliquorum, non tamen nostram opinionem hic a *n. 189. fol. 181.* explicatam) mero jure valeat, tamen propter æquitatem rescindi potest, juxta Prætoris Edictum: *Quod metus causa gestum erit, ratum non habebo*, l. 1. ff. quod met. caus. Idque locum habet, si paciscentes Magistratui alicui subsunt; & præsertim ille, qui vim injustam intulit; potest enim ac debet a suo Judice compelli, ut promissionem inique extortam, licet jurata fuerit, remittat, & non exigat. Quodsi hic iniqui metus incussor, foret supremus Princeps, qui præter DEUM, nullum in terris habeat Judicem, qui *privato* justitiam administret, & promissionem rescindat; hoc casu (in sententia Adversariorum) *privatus* iste ad ea vindicanda, quæ inique incusso metu cessit præstititque suo injusto aggressori, nullum amplius malo suo remedium haberet, cum nullus Judex sit qui actum hunc promissionis vel cessionis rescindat: deberet itaque extremum DEI judicium expectare, interea bonis suis inique spoliatus evi-
den-

dentem injuriam pati, mendicando, vel opere manuum suarum panem promerendo, dummodo fidem metu injusto inique extortam, ac ad evitandam mortem, vel aliud extremum malum, in sui spoliationem præstitum consensum observet & impleat: Quæ tamen opinio an æquitati & rationi conveniat, videri possunt jam dicta *a cit. n.* 189. *f.* 181.) & colligi poterit ex infra dicendis hic in *qu.* 2.

1063. Loquendo autem de *solo* fœdere Pacificationis *publicæ*, dicendum videtur I.) Fœdus *publicum*, quod v. g. duo Reges *Catholici* inter se pepigerunt in materia *adiaphora*, non posse ulla potestate, etiam Ecclesiastica quidem, directe dissolvi per dispensationem, aut juramenti relaxationem. Nam solvendi potestas Prælatis Ecclesiasticis data est in ædificationem, non in destructionem: At vero talis relaxatio fidei aut fœderis publici tenderet contra jus Gentium, adeoque cederet in magnum detrimentum societatis humanæ, & gravissimum ejus præjudicium: Si enim scirent Victores pacificationum hujusmodi articulos, in materia *ex se indifferente* sanciendos, dispensationi fore obnoxios, nunquam in ullam pacem consentirent, sed potius Partem victam usque ad internecionem persequerentur: hoc autem admisso tota felicitas *externa* generis humani pessum iret, neque hostilitatibus ac cædi ullus alius assignari posset limes, quam vitæ & fortunarum dolendus interitus sine ullo remedio.

1064. II.) Casu etiam, quo a Rege v. g. Christiano cum *Infidelibus* publicum fœdus fiat, nulla unquam ratione seu indirecte Ecclesiæ relaxare potest: Quia cederet in maximum detrimentum ac contemptum ipsiusmet etiam Ecclesiæ. Nam nihil tam indecorum Christianæ Religioni, & nihil ipsis Catholicis Regibus ac populis adeo noxium esse potest, quam si fidem publice datam non servare, & fœdera violare censeantur. Quam ob rem si quando Fœdus publicum a Rege *Catholico* cum *Infidelibus* legitima potestate constitutum, cedere postea videatur in Ecclesiæ Catholicæ detrimentum; a Christo supremo Rectore & defensore auxilium sperandum est, petendumque, & nunquam alicujus perfidiæ remedium adhibendum, quamdiu pas altera fregisse fidem non est notata, id enim si non *intrinseca* pactionis justitia: omnino tamen adhuc scandali vitandi ratio exigit.

Q. II.)

Q. II.) *An igitur Pacificationis fœdera ob vim armatam, & ex metu longe majoris mali inique inferendi, v.g. cum Turcis sancita, tribuant illis jus dominii in Provincias Christianis ereptas? Et per consequens, utrum Christianis Principibus maneat jus regressus ad sic inique coactis fœderibus, avulsa repetenda?*

1065. Si nobilissima quæstio hæc ex sententia Lutheri decidenda foret, qui juxta dicta hic sub *n.986.)* docuit, Christianis non licere bella gerere contra Turcas, aut si illam resolveremus in fidem *Hug. Grotii*, qui *l.3.c.19.§.2. n.1.* totum ingenium suum eo impendit, ut possessiones iniquo bello ereptas & pacificatione armis injuste coacta firmatas Victoribus *in perpetuum* adjudicet, omni exceptione, rescissione & actus naturali nullitate exclusa; non superesset amplius discursui locus in hac materia. Ille enim *l. c.* ait: *Bellum solemne, id est publicum utrinque & indictum, sicut alia habet particularia in jure externo posita, ita & hoc, ut, quæ in eo bello, aut ejus finiendi causa promittuntur sint VALIDA, ut ex causa metus injuste illati invito eo, cui promissa sunt, in irritum reduci non possint, quia sicut alia multa, quantumvis vitio non carentia, ex Jure Gentium pro justis habentur, ita & metus, qui tali bello utrinque infertur. Quod nisi placuisset, bellis talibus, quæ valde sunt frequentia, nec modus nec finis potuisset imponi.*

1066. Grotium sequuntur alii, qui non sunt soliciti, fueritne bellum *justum* vel *injustum*, dummodo victoria obtenta sit, ac pars justo vel iniquo Marte victa, extremaque fugiens mala in Pacis fœdera consentiat; & Provincias volens nolens Victori dimittat; putant enim hoc ipso dominium esse jam absolute translatum in Victorem, vi transactionis inter Partes subsecutæ, nec quidquam, etiam iniquissime victo alteri Bellanti restare juris, vi cujus saltem *commoda occasione & cessante scandali circumstantia*, per injuriam ereptas sibi ditiones quandocunque recuperare possit. Vitriar. ad Grot. *l. c. q.8.* Muelen *ad eundem Grotii loc. in commentar.* Heinec. &c.

1067. Sed rectius hac in parte judicant illi, qui tradunt, diversa hæc esse: *obligari aliquem publicis etiam iniquo bello extortis fœderibus*: &, per fœdera *iniquo bello extorta transferri dominium in alterum inique extorquentem*. Dicunt proin hi DD. verissimum hoc esse, quod fides *publica auctoritate*

etiam

etiam hosti iniquissime aggredienti promissa, in rebus adiaphoris, seu non conjunctis cum peccato, sancte servanda sit, quamdiu hostis ipse eandem servat. At vero omnino falsum esse ajunt, quod hostis iniqua aggressione & vi armata extorquens consensum in pacificationem, & vi hujus *solius* occupans certas Provincias sibi alioqui indebitas, acquirat dominium earum, & pars inique victa amittat jus proprietatis in illas. Hoc præmisso, distinguendi sunt 4. sequentes casus.

1068. I.) Metu gravi & vi armata exorta pax *in BELLO* ex parte extorquentis *JUSTO* valet in utroque foro, ita ut Victor acquirat etiam dominium eorum, quæ Pars victa, juxta Pacificationis articulos sibi dimittere coacta est. Metus enim & vis armata inter Bellantes alium Judicem non agnoscentes tunc *justa* est; quæ cum etiam inter privatos valori restitutionis, per dicta hic *n.* 185.*fin.*) non obstet, tanto minus eam irritam, aut ullo modo rescindibilem faciet in persona Superiorem in terris non agnoscente, & justitiam, ad normam Juris Gentium requirente.

1069. II.) Idem juris obtinet eo casu, quo ex parte armis victi Principis *dubia* fuit belli justitia in defendendo aliquo Jure, vel Provincia. Si enim *ex causa dubia* non licet ab initio suscipere bellum, eo quod tunc quæstio non tantum de causa belli vertatur: sed de integris sæpe Provinciis, de bonis & juribus publicis ac privatis, de vita & salute plurimorum hominum (quam ob rem Romani Veteres nonnisi consulto Collegio *Fecialium* ad id instituto, Imperatores vero Christiani vix, nisi auditis Episcopis, bella suscipiebant, ut si forte aliquid quod Religionem posset injicere, ejus monerentur, uti refert Grot. *l.* 2. *c.* 23. §. 4.) quo pacto licitum erit ad Bellum ex causa *non liquida* & incerta postliminio recurrere, quod Pace, quantumvis per majoris mali metum subscripta, finitum est? Alioqui vix aliqua Pax de sua firmitate secura foret: cum adeo difficile non sit, rationes quasdam adinvenire, ex quibus *justitia* belli reddatur *dubia*.

1070. III.) Facile quoque concedi potest Pacem ex metu qualicumque conventam, tunc etiam sine *rescissionis* beneficio valere, si *cessante periculo*, & *deposito metu* a parte læsa libere fuerit confirmata: quia & injuria per condonationem abolentur, & jus ab alio possessum *spontanea* renunciatione amittitur, actusque ab initio invalidus, subsequen-

quente libera confirmatione; saltem in præjudicium confirmantis reconvalescit, ut diximus supra *a nu.* 189.) & consentit Textor *in Synops. J. G. c.* 12. *n.* 34. ac patet ex *C. Perlatum* 1. *de His, quæ vi,* tum *c.* 2. 4. *ac* 6. eod. tit.

IV.) Solum igitur dubium est circa sequentem casum: An metu gravi & vi armata extorta Pax *in Bello* ex parte Victoris *manifeste injusto* ita valeat, ut Pacificatio armis coacta, & a Parte victa ob metum majoris; sibi alias indebiti mali, subscripta, dominium Provinciarum transtulerit in Victorem iniquum? vel, an potius aliquis Parti inique Provinciis spoliatæ maneat regressus ad illas; saltem sub conditione: si Pars vincens aliquando prior infregerit Pacis articulos: si rerum status & circumstantiæ fuerint mutatæ &c. &c.

Hanc quæstionem, sicut pro valore Pacificationis, ita per consequens pro translatione dominii in iniquum Victorem resolvit *Grotius* hic n. 1065.) laudatus, quem plerique ex suis Glossatoribus sequuntur. Verum tam hos quam illum egregie refellit Puffendorf. *de J. N. & G. L.* 8. *c.* 8. §. 1. ita fere differens: *Nondum adeo liquide constat de Jure aliquo Gentium, per quod non liceat contra Victorem injustum exceptionem metus opponere. Et si vel maxime tale Jus extaret, non tamen generis humani tranquillitati multum videtur decessurum, si istud negligatur. Nam tradente Grotio, belli solemnis, qualemcunque habeat causam justificam, hic est effectus, ut DOMINIUM, quod ipse vocat externum, rerum hostilium ACQUIRATUR. Si quis ergo post Pacem metu conclusam Victori bellum, non ex alia causa, nisi quod metu fuerit coactus inire Pacem, solemniter intulerit; poterit & ipse, arridente fortuna, non solum res antea amissas repetere, sed etiam reliqua hostium bona simili dominio externo acquirere. Ergo verius videtur* (concludit Puffendorf.) *eum qui bello injusto petitus, postquam ad pacificam disceptationem sese obtulit, & bellum deprecatus est, ad iniquam Pacem adigitur, nullo jure prohiberi, quo minus paci nondum adimpletæ exceptionem metus opponat,* NB. NB. *aut postmodum OCCASIONE DATA REPARATIONEM INJURIÆ quærat,* &c. &c.

Igitur neque dominium in injustum Victorem *ullo modo* translatum est, neque ex Pacificationis inique coactæ fœderibus alia obligatio contracta, quam ut *publicum scandalum* vitetur, & *gravioribus malis* non aperiatur via, expe-

pectando interea *occasionem* dandam ab Adversario, v. g. vi cujus ille prior infregisse Pacem *merito* dici possit. Hæc mens est *Puffendorfii* circa propositum casum, de quo pluribus ille tractat, ubi agit *de metu*, l. 3. c. 6. §. 11. ver. *Enim vero invalida judicamus illa pacta & promissa, ad quæ injusta vi quis compellitur*.

1071. Ejusdem est sententiæ Textor *l. c. n.* 33. *& seq.* Qui etiam post alios DD. rationem affert solidam: Tum quia & illud, quod Piratis aut latronibus pro salute, vita, aut bonis promittitur, non obligat cum effectu intento, ut inde nec promissio, a Principe vel Rege, ex causa *evidenter injusta* per metum expressa obligare debeat cum tali effectu dum bellum *justum* non tantum belli jus, sed etiam *justitiam causæ* desideret. Tum quia, si *ex n.* 190. *& seq.*) metum injustum inferens nec licite possit exigere, nec retinere, quod promissum erat: is quoque cui vis injusta fuit illata, nec tenetur a se abdicare, quod ex metu spopondit, nec carere eo quod actu perdidit, sed cum supremam in sua ditione potestatem habere supponatur, declarare valet, non minus suam promissionem, quam pacta suorum subditorum, interveniente metu injusto inefficacia esse:

1072. Tum quia Regibus potentibus & arrogantibus hoc modo via aperitur, quovis prætextu vel colore opprimendi ac sub jugum mittendi Respublicas, aut Principes infirmiores, si videant Civitates, Provincias, arces bello injusto occupatas, & *Pace violenta* partas, ex Jure Gentium, *saltem* quo ad forum *externum* suas esse, non attendentes quid intus loquatur conscientia: quando quidem qui remorsum non sentit, dum incipit injuste bellare, religioni sibi non ducet, comparata per bellum injustum injusta pace stabilire.

1073. Tum denique, quia dominium *externum* duntaxat, quod ex jure Gentium occasione Pacis violentæ acquiri *a Grotio* dicitur, nullius momenti argumentum est. Nam eodem jure Gentium (ex fundamentis Grotii & sequacium) in bello *solemni* aliquis fit dominus eorum, quæ occupatione bellica acquisivit, licet bellum fuerit *injustum*, sicut & ille, qui ex summo quod habet Imperio, bello etiam *solemni* recuperare cogitat amissa suo infortunio, & Victoris *iniquitate* pacem extorquente. Tanto autem magis horum ille in foro etiam *externo* dominus fieri poterit, quanto certius ex iisdem fundamentis, dominium aut

fal-

saltem jus *ad rem*, in foro exteriori nunquam amisit.

1074. Quo etiam facit, quod ipsemet Grotius *d. l. c. 19. §. 2. n. 2.* ingenue fateatur eum, qui aliquid bello injusto extorsit, salva justitia, & salvis viri boni officiis *non posse retinere, quod accepit, aut etiam cogere alterum ut stet pactis sive juratis, sive non juratis:* intus enim ex ipsa rei natura id injurium manet; neque interna hæc injustitia actus tolli potest, nisi *ex novo* & vere libero spontaneoque consensu, *cessante periculo* majoris mali & *metu purgato*, rerum ita sibi ereptarum dominium plene transferatur in illum. Hinc, hic ipse Auctor *c. 22. §. 3.* tractans *de causis justis* belli, ait: *prædonem esse eum, qui sine causa justifica*, per vim armatam extorto fœdere aliena possidet. Hæc autem simul collata merito inconsequentiæ convincunt *Grotium*, qui sibi ipsi non constat. Et cum ex ejus opinione etiam prædo & latro habeat dominium *externum* rei inique ereptæ, quin tamen eam contra verum illius dominum *possidere*; sed tantum *injuste detinere* dicendus sit; sequitur ex *Grotii* politia, prædonis & iniqui victoris res alienas detinentium, eandem esse conditionem, parem injustitiam & æquale dominium *externum*, omnino chimericum, mere cerebrinum, juri naturali & Gentium repugnans, quod sicut illis in casu *manifestæ* injustitiæ nullum jus pro ullo foro tribuit, ita neque id a priore domino in eos quocunque modo translatum est.

1075. Videri hac de re potest *Emmanuel AMOR de Soria* Patronus Fisci Regii in Ducatu Parmensi, qui in *tractatu de Bonorum, finito bello, restitutione ex capite amnistiæ*; edito *Viennæ Austriæ, An.* 1738. in 4. f. 284. ait: *Regibus ista non possunt applicari: quia ex Doctorum etiam sententia summi Imperantes adversus actus METU extortos, & multo magis fraude, se ipsos in integrum RESTITUERE VALENT.* Confer quoque D. Tho. 2. 2. *q.* 89. *a.* 7. *ad* 3. vers. *talis obligatio TOLLITUR per COACTIONEM, quia ille, qui vim intulit, hoc meretur, ut ei promissum non servetur.* Imo, præter alios, etiam Ethnicos Sophos pro hac sententia videre hic est *an.* 189.) adductos.

1076. *CONCLUDES:* Principes Christianos, si præscriptio, aut *spontanea* & plene libera renunciatio non intercessit, posse per Turcas injusto bello & coacta pace extorta dominia postliminio recuperare. 2.) Quia tamen fides publica auctoritate etiam hosti data servanda est. 3.) Hinc ad scandalum & mala, quæ inde sequi possent, avertenda,

expectanda est opportunitas, v. g. usque dum hostis datam fidem primus infringat, &c. &c.

### Q. III. *An Debitores a Victore absoluti, Pace sancita teneantur solvere Creditoribus?*

1077. Contingere potest, ut durante bello Debitores eorum, qui *hostes declarati* sunt, ex jussu Victoris solvant fisco suo vel aliis, quod hostibus debeant, aut Victor remittat debitum, prout *Alexander M.* dum Thebas evertisset, centum talenta, quæ Thessali Thebanis ex mutuo debebant, sponte illis remisit, teste Tholosan. *de Republ. L. 11. c. 13. n. 9.* Jam Pace facta, aut hoste repulso; *Quæritur:* An veri Creditores possint petere sua credita, & sic Debitores denuo teneantur solvere, etiam quod ipsis a Victore remissum est, aut quod fisco Victoris jam intulerunt: nam Thebani per Cassandrum restitui petebant a Thessalis creditum.

1078. Circa hunc casum *duæ* reperiuntur sententiæ. *Affirmativam* defendunt Hotom. *q. illustris* 5. & Lauterbach. *ad ff. lib.* 46. *tit.* 3. *§.* 16. ac *lib.* 49. *tit.* 15. *§.* 5. ubi resolvit, quod, si debitum non fisco Victoris a Debitore persolutum, sed tantum ei remissum ab illo fuerit, hic teneatur solvere creditori. Alii autem sine hac limitatione ac pro omni hypothesi putant obligari Debitorem ad solvendum. Moventur vero sequentibus rationibus.

I.) Quod Victor hostis de Jure tam *Gentium*, quam *Civili*, ea tantum acquirat jure belli, quæ occupat, *l.* 5. *§.* 7. *ff. de A. R. D.* nomen autem & obligatio est res incorporalis, quæ non potest apprehendi, *l.* 4. *§.* 27. *ff. de Usucap.* igitur Victor nomen & obligationem non potuit acquirere, ac proin nec in alium transferre, aut debitores liberare, quod enim quis non habet, de eo non potest disponere, *L. fin. C. de pact.*

II.) Solutio debet fieri Creditori, *L.* 39. *ff. de negot. gest.* & si alii fit invito Creditore, Debitor non liberatur, *l.* 34. *§.* 4. *l.* 49. *ff. de Solut. l.* 13. *C. eod.* Nec liberatur Debitor, licet vi coactus Militi debitum solverit, *arg. l.* 51. *ff. de Solut.* Lauterbach. *ad ff. cit. lib.* 46. *tit.* 3. *§.* 16.

III.) Non liberatur Debitor propter bellum, *l. incendium* 11. *C. si cert. pet.* nec genus, nec quantitas potest perire, *l. si pecunia*, 12. *ff. de Legat.* 2. Imo licet pecunia sit vi extorta, tamen Debitor manet obligatus, quia cessante tyran-

tannide, ea quæ tempore tyrannidis gesta sunt, habentur nullius momenti, *l. decernimus, C. de SS. Eccles.* consequenter Debitores ea quæ ex jussu Victoris solverunt fisco, aut alii, tenentur ex post veris Creditoribus denuo solvere. Neque *Alexander Magnus* Thessalis potuit liberationem a debito concedere, etsi tabulas debiti apprehenderit, quia chirographum seu tabulæ tantum adhibentur probationis causa, *l.* 4. *ff. de pignor.* adeoque qui habet chirographum, non habet jus exigendi debitum.

1079. *Negativam* vero sine ulla limitatione tuetur Hug. Grot. *de J. B. & P. l.* 3. *c.* 8. §. 4. *n.* 4. Gundling. *ad Instrum. Pac. Osnaburg. a.* 4. §. 47. Tholosan. *c. l.* ubi consentit quo ad 1. conclusionis partem, quod scil. Debitores, qui solverunt ad jussum hostis Victoris, sint liberati, sicut isti, quibus debitum ab eo remissum est, Gudelin. *de jure Pac. c.* 5. *nu.* 14. quorum opinio probari potest his momentis.

I.) Hostis Victor qui occupat civitatem, est dominus omnium, bonorum ad civitatem, aut Cives victos pertinentium, non tantum corporalium: sed etiam incorporalium, *l.* 5. §. *ult. ff. de A. R. D. l.* 51. §. 1. *ff. eodem*, consequenter omnia victis potest adimere, si velit, *arg. l.* 118. *ff. de R. J.*

II.) Si pecunia per vim & metum jussu Præsidis, aut alterius Magistratus ad injuriam Creditoris a Debitore fuit extorta, tunc hic liberatur, & periculum pecuniæ est Creditoris, *l. si merces* 25. §. *culpæ* 4. *ff. Locat. conduct. l. Liberto* 21. §. *Lucius, ff. de ann. legat. l.* 27. §. *fin. ff. de Legat.* 3. Bart. & Castr. *ad L. Creditor.* 102. *ff. de solut.* igitur si Princeps aut belli Dux a Debitoribus exigit solutionem illius, quod hosti debent, tunc solvendo liberantur in terminis, Math. de Afflict. *decis.* 150. *a n.* 13.

Dein III.) Si quis alteri chirographum legat, non tantum censetur cogitasse de tabulis, sed etiam de actionibus, quarum probatio in tabulis continetur, *text. & DD. in l. qui chirographum* 59. *ff. de Legat.* 3. ergo hostis per occupationem chirographi consequitur jus exigendi, quod ex chirographo dependet, *L.* 3. §. 1. & 2. *ff. de liberat. legat.*

1080. Demum IV.) Patet id ex *art.* 4. §. 47. & 48. *Pac. Osnaburg.* ubi denegantur Processus contra Debitores, quibus solutio in odium Creditorum ab una alterave parte belligerantium fuit extorta. Dum enim nimis foret, si Debitores tali casu iterato deberent solvere. Creditores vero

damnum, quod sentiunt, imputabunt belli infortunio. Gundling. *ad d.* §. 47. *Pac. Osnab.* Inde patet, quod *Alexander M.* Thessalis centum talenta potuerit remittere, qui Civitatem Thebarum vi bellica occupavit. Lauterbach. *ad ff. lib.* 49. *tit.* 15. §. 5.

1081. Hæc *Negativa* sententia prioris *Affirmativæ* opinionis rationes hoc modo resolvit: Ad I.) Negat *Assumptum*, quia hostis victor ea quæ victus, seu Civitas victa habet, acquirit corporalia & incorporalia, per dicta *n.*1079.) consequenter Civitate occupata etiam acquirit jus exigendi debitum, quod competit Civitati, uti Lauterbach, alioqui contrarius *cit.* §. 5. fatetur. Etsi autem res incorporalis non possit vere & physice apprehendi, potest tamen quasi possideri, *l. fin. ff. de servit.* & per apprehensionem rei, cui inhæret, acquiri. Sic jurisdictio Castro annexa una cum Castro acquiritur, & reddito chirographo extinguitur obligatio, *l.* 2. §. *fin. ff. de Pact.* igitur Victor potest in odium Creditorum præcipere, ut Debitores solvant fisco, aut alii, vel etiam Debitoribus, quod hi debent hostibus, potest remittere.

1082. Ad II.) Negat id obstare, quia ista allegata procedunt de jure ordinario, in casu autem præsente Victor succedit in locum Creditoris, & idem est, ac si huic fuisset facta solutio, si hosti fiat solutio, utroque enim casu Debitores liberantur, *arg. l. Fulcinius* 7. §. *si quid, ff. quib. ex caus. in poss.* Ita ipse Hotomannus contrariæ sententiæ Patronus *cit. q.* 5. ergo etiam liberantur Debitores, qui ex jussu hostis solverant fisco: Quando enim quis ad jussum, qui potestatem jubendi habet, quid agit, non potest conveniri, *l.* 37. *pr. ff. ad L. aquil.* Nec argumento *l.* 51. 1. *ff. de solut.* probatur doctrina Lauterbachii in contrarium allegata, quia in *cit. l.* 51. agitur de casu, quo Debitor solvit dispensatori Creditori ignorans eum esse jam remotum ab officio, ille tamen liberatur, dicente text. cit. *Dispensatori, qui ignorante Debitore remotus est ab actu, recte solvitur.* Concedit quoque hæc *negativa* sententia, quod Debitor exactus a Milite, qui cepit Creditorem, solvendo Militi liberetur, quia Creditor subjicitur dominio Militis capientis, §. 17. *Inst. de R. D.* licet aliud secundum mores hodiernos obtineat.

1083. Ad III.) Respondet negando *Conf.* etsi enim per bellum Debitores non liberentur, & *genus non possit peri-*

*re*, non tamen sequitur, quod debitor ad injuriam creditorum ab hoste exactus non liberetur, quia in hoc casu periculum pecuniæ est creditoris, per deducta *n.* 1079. *prob.* II.) Ex *l. decernimus* 16. *c. de SS. Eccles.* dicit plus non probari; quàm quod statuta contra Ecclesiam & Clericos facta habeantur pro invalidis: reliqua autem, quæ hostes vi potestatis suæ fecerunt, manent valida; *Salicet. Castren.* & *Brunnem ad cit. l. decernimus.* Cum igitur hostis habeat potestatem exigendi, aut remittendi, juxta deducta, hinc sequitur, quod Debitores per solutionem hosti, vel alii ex jussu ejus factam sint liberati, & Pace facta non teneantur Creditoribus denuo solvere; etsi chirographum adhibeatur probationis causa, ex eo tamen dependet jus exigendi, per *l.* 59. *ff. de Legat.* 3. Consequenter *Alexander M.* potuit Thessalos liberare a debito Thebarum.

1084. Ex recensitis his duabus, sibi contrariis sententiis, neutra proposito casui satisfacit. Non 1. illa, seu *Affirmativa*. Nam *fallit* I.) Si Victor, qui solutionem Debitori remisit, aut solutum debitum recepit, tunc habuerat *manifeste justam* belli causam, v. g. Turcam iniquum aggressorem ex sua Provincia, vel Civitate propulsans. Hic enim, cum juxta Jus Gentium, & *l.* 5. *ff. de R. D.* ac alias LL. supra *citt.* occupando Civitatem *fiat regulariter* dominus omnium rerum &c. potuit plene disponere de rebus & ære a Civibus hujusmodi, *hostibus suis* Turcis debito; quin illi solvere eis teneantur denuo.

1085. *Fallit* II. Si Creditor *in mora culpabili* fuit rem suam vel mutuum recipiendi a Debitore solvere parato. Hoc enim casu, justus vel injustus Victor ille fuerit, si tamen hic mutuum a Debitore jam *recepit*; Debitor ad nihil ultra Creditori tenetur. Quia *mora cuique sua non alteri nocere debet*, l. Mora, 32. ff. de usur. Quodsi vero æs illud alienum Victor *manifeste injustus*, e. g. Turca *remisit* Debitori, hic, nil obstante mora Creditoris, adhuc tenebitur debitum ei solvere: quia remissio facta a Tyranno notorio fuit nullius auctoritatis: & Debitor nullo modo censetur lædi si restituat debitum creditori; quod neque huic persolvit hucusque, neque per hostem sibi extortum est, habet proin hic locum *l.* 39. *ff. de negot. gest.* Quodsi fisco v. g. Turcarum solvere coactus est, non tenebitur quidem iterato solvere Creditori, si hic *in mora* recipiendi æs suum fuit. Secus obligabitur, perinde ac obligaretur, si pe-

si pecunia illa cum domo Debitoris incendio absumpta fuisset, per *l. incendium*, 11. *C. si cert. pet.* & alia jura citata *n.* 1708.) Neque enim jus belli latronibus & prædoni assistit.

1086. *Fallit* III.) Si forte Pax aliter obtineri non potuit, quam ut Partes bellantes vicissim consentirent in *Amnistiam*, cum *expressa* remissione, & abolitione omnium omnino obligationum, & injuriarum, tempore belli a belligerantibus quomodocunque illatarum, & contractarum; ita ut *pro neutro foro* interno sive externo ullum jus aut obligatio alterutrius Partis subdito cuipiam maneat. Talis quippe remissio obligationum, si *pax aliter fieri nequeat*, potest in pactum deduci ob publicam utilitatem singulorum, Mantic. *de tacit. & ambig. convent. l.* 27. *tit.* 3. *n.* 14. & 15. Gaill. *l.* 2. *Obs.* 57. *n.* 1 & 2. Mynſ. *cent.* 4. *obs.* 9. Porro in *tali casu*, subditus illud æs alienum, aut depositum, quod sibi per hostem *extortum* est, non teneretur iterato solvere, *text. & Canonistæ in C. in nostra* 8. *de injur.* Hermes *fasc. Jur. Publ. c.* 11. *q.* 8. Bene tamen, si debitum ab hoste injusto *tantum remissum* foret, ut fusius ex *seqq.* constabit.

1087. Non etiam satisfacit altera, seu *Negativa* opinio. Hæc enim fallit quoque I.) ubi asserit, quod Victor, qui occupat Civitatem, sit dominus *omnium bonorum* ad Civitatem aut *Cives* pertinentium. Id enim non esse verum constat ex iis, quæ diximus alibi, scilicet in *Erotem. theor. pract. erot.* 27. *de Amnistia*. Pleræque enim sunt personæ inter hujusmodi Cives, quæ non sunt implicatæ bello, ac innocentes, uti sunt pauperes in Xenodochiis, viduæ, Clerici, Ministri Ecclesiastici, Religiosi, perpetuo infirmi, aliique non pauci, qui sicuti bello non sunt involuti, ita *omni jure* res eorum exemptæ sunt, quin licite cedant in spolium Victori etiam *justo*.

1088. Tanto magis *fallit II.*) Quia si Victor fuerit *notorie injustus* aggressor: de hujus dispositione circa prædictum debitum idem esse debet judicium ac de fure, prædone, & latrone, si quis ex istis Debitori æs alienum remittat, aut sibi solvendum usurpet, *l.* 1. §. *fin autem, C. de Rapt. virg.* ac *pr. Inst. de vi bonor. rapt.*

1089. *Fallit* III.) ubi hic sub *n.* 1082. *in fin.*) fatetur, hodiernis moribus Debitorem non liberari a debito, si hic exactus a milite, qui cepit creditorem, solvat militi; hæc igitur sententia sibi ipsi non constat: igitur deberent locum

cum habere leges, quæ disponunt invito Creditore Debitorem non liberari, *n.* 1078.

1090. *Fallit* IV.) ubi pro confirmatione, adducit exemplum *Amnistiæ* in Pace Osnaburgensi, hic *n.* 1080.) allata; Non enim omnium Amnistiarum *eadem semper* forma est: sed potius dependet a placito paciscentium Bellatorum. Quamobrem in tali Pacificatione Principes plerumque invicem remittunt omnia damna sibi, & subditis durante bello illata, omnes actiones & jura competentia, sicuti patet ex *Instrumento Pacis Osnaburg. art.* 2. Sæpe etiam non omnia damna neque omnes obligationes, *rarissime* autem pro foro etiam *interno* illas remittunt. Et ita in transactione *Passaviensi* Imperator damnificatis, non absolute neque pro utroque foro abolevit jus & actiones pro eorum restitutione ac indemnitate petenda competentes: sed potius ratione injuriarum ejusmodi & jurium remissorum promisit *justam* compensationem, *d. transact. Passav.* §. 21.

1091. Hinc in casibus ab *Amnistia* & Pacificationis tractatu dependentibus distinguunt communissime DD. an Pax aliter obtineri nequeat, quam ut damnificatis omnia jura & damnificantibus hostibus omnes obligationes damnorum reparandorum remittantur & aboleantur, & quidem pro foro utroque *interno* & *externo*: an autem sine prædicta, aut saltem cum remissione quidem, sed sine expressa mentione fori etiam *interni*, prædicta Pax obtineri possit? In primo casu, si talis Pacificatio contracta est cum remissione pro *utroque foro*: certum est cessare obligationem solutionis quo ad personas *bello implicatas*, ut diximus *nu.* 1086.) In casu autem altero, si Pax illa aliter obtineri potuit, aut si jura damnum passorum & obligationes damnificantium tantum *indefinite*, seu sine mentione fori interni vel externi, aut utriusque remissæ sunt: tunc remissio hæc non præjudicat subditis privatis, quin contra damnificantes, privatos, (v. gr. qui militiam tunc militando damnum dederunt) possit etiam in foro externo agere ad damna resarcienda. Hostiens. *in C. quanto, de Jurejur.* Felin. *in C. quæ in Ecclesiarum, n.* 16. *de const.* quos citat & sequitur Gaill. *lib.* 2. *obs.* 57. *n.* 6. Schiltenperg. *Disp. ad l.* 5. *ff. de Pact. c.* 4. §. 5. *n.* 3.

1092. Imo quotiescunque *Amnistia* sancita est *indefinite* sine ulla distinctione fori interni ab externo, ad summum nonnisi pro foro *externo* censetur prohiberi *actio* ad vindican-

dicandas injurias *publica* belli auctoritate illatas: manente interea tota *obligatione naturali* in iis, qui damna hæc intulerunt; saltem si res per vim ereptæ adhuc extent, aut si miles earum raptor factus est inde ditior, prout multis probavimus *cit. Erotem.* 27. *de Amnistia*. Ratio hujus est quia sufficit ad Pacem & tranquillitatem publicam Provinciæ armis oppressæ, si ita victus ejus dominus consentiat, ne sui subditi damna illa in foro tantum externo vindicent, manente naturali obligatione, qua damnificantes adstringuntur &c. per *l. de die* 8. §. 4. *& l. si fidejuss.* 7. §. 1. *ff. qui satisdar. cog.* ac ibi DD.

In Pacificatione igitur Osnaburgensi *l. c.* cum solum *indefinite* remissa fuerint jura & obligationes: hæc tantum pro *foro externo* extinctæ erant, sed manebant pro *interno*: ex hac itaque transactione & Amnistia eo pejus torquetur paritas ad omnes alias, cum neque *Osnaburgensis* naturalem obligationem ullo modo aboleverit, præsertim quo ad damnificantes aperte *injustum*, aut *dubie* justum bellum gerentes, & res, præsertim raptas retinentes.

1093. Cum igitur neutra ex recensitis sententiis proposito casui satisfaciat, hinc decisio ejus dependebit a facti circumstantiis hic explicatis, quæ siquidem unica conclusione comprehendi simul nequeunt; nequit etiam proposita quæstio præcise ac determinate definiri: sed pro varietate circumstantiarum diversarum statuetur juris responsum, si quando casus contingat.

Q. IV. *An Princeps Successor teneatur Pace, quam suus Antecessor cum vicina Potentia conclusit?*

1094. Certum est I.) quod Pax cum Republica, vel populo in statu *Democratico*, aut *Aristocratico* inita perpetuo sit observanda, quia Respublica nunquam moritur, etsi personæ in dies mutentur. Barbos. *in thesaur. l.* 16. *c.* 50. *axiom.* 11. Neque etiam anceps est II.) quando in regno, aut Principatu succeditur jure hereditario, tunc Successorem obligari Pace ab Antecessore conclusa, tum quia non tantum sibi: sed etiam heredibus cavisse Antecessor intelligitur, *L.* 9. *in fin. ff. de probat.* tum quia omnis stipulatio, sive consistat in dando, sive in faciendo, *active & passive* in heredes transit, *l. veteris juris* 13. *C. de contrah. & committ. stip.* igitur etiam Successor, qui regnum a defuncto acquirit, tenetur Pacem ab Antecessore initam servare, cum heres debeat omnia defuncti facta præstare & rata habe-

habere *l.* 11. *ff. diverf. temp. præfcript.* ac æs etiam alienum folvere, DD. ad *C. licet; de vot. & voti redempt.* dummodo ipfi Regno non nimis magnum inferat detrimentum: non enim regnum, etiamfi hereditarium foret, pari jure cum Principis patrimonio æftimatur, ut tanquam re fua, eo ad libitum abuti queat. Befold. *de Reg. Succeff. l.* 3. *diff.* 2. *th.* 1.

1095. III.) Controverfia igitur in eo folum vertitur: An qui ex *certa* lege Regni, aut jure Electionis fuccedit, teneatur ftare pactis Anteceflloris? Ad hoc quæfitum, funt nonnulli qui *negative* refpondent: fed *affirmativa* uti communior ita longe folidior opinio eft, docens: Regem & Principem etiam ex *certa lege* Regni, aut Jure Electionis fuccedentem firmiffime obligari Pactis feu Pacificatione Anteceflloris fui, licet de Succeflore nulla fuerit facta in Pactis mentio. Ita Bald. *in l.* 1. *ff. de Conft. Princip.* Buxdorff. *ad Aur. Bull. conclu*f. 37. *Lit. C.* Tholofan. *de Republ. l.* 7. *C.* 20. Hug. Grot. *de J. B. & P. l.* 2. *c.* 14. *n.* 11. Arumnæ *difcur. Acad. mol.* 2. *difc.* 10. *th.* 19. Armif. *de Jure Majeftat. l.* 1. *c. ult. n.* 13. Gudelin. *de Jur. Pac. c.* 12. *n.* 2. Auctor. temp. *Pac. Ofnaburg. ad Art.* 1. *n.* 1. Carpz. *de L. Reg. Germ. c.* 3. *n.* 20. Sinolt. Schuz *de Stat. Rei Rom. vol.* 1. *exerc.* 3. *th.* 8. *Lit. H.* Befold. *de fœder. ufu th.* 64. & 65.

1096. Ratio eft I.) ex ipfa Pacis natura; quæ in perpetuitate confiftit, Pax enim nifi fit *perpetua*, pax proprie non eft: fed armiftitium, Mantic. *de tacit. & ambig. conv. l.* 27. *tit.* 2. *n.* 2. Auctor. Medit. *ad J. P. Ofnab. art.* 1. *Lit. C.* hinc Inftrumentis Pacificationum inferuntur verba: *Pax fit univerfalis, & perpetua*, Inftr. Pac. Ofnab. *a.* 1. & Badens *a.* 1. non autem poffet effe perpetua, nifi tranfiret in Succeffores, & hi ad eandem obfervandam tenerentur.

1097. II.) Pax refpicit Statum Reipublicæ, *l. Conventionum* 5. *ff. de Pact.* ac Pacem Princeps non tam fuo, quam Reipublicæ nomine iniiffe, & ita Refpublica, vel Regnum per Principem tanquam caput obligatum intelligitur, Treutl. *p.* 1. *difp.* 6. *th.* 7. Hunn. *vol.* 1. *difp.* 6. *q.* 49. Sicut autem Refpubl. & Regnum femper durat, ita obligatio ex contractu Reipublicæ & Regni nomine celebrato orta, utpote *realis* nunquam extinguitur, Carp. *l. c.* fed per confequentiam neceffariam, puta tranflato Regno, in Succefforem tranfit. *Eug. Grot.* & Sinolt. *Schuz.* d. loc.

1098. III.) Male confultum foret *externæ* Generis humani

mani felicitati, si Pax *perpetuo*, imo etiam *indefinite* conclusa cum Antecessore, posset pro arbitrio turbari a Successore & priores jam per Pacificationem consopitæ prætensiones, iterum ab eo resuscitari sine *evidenter* justa causa. Hac quippe ratione nulla transactio iniri utiliter posset. Et tamen Gentium ac Civili jure docemur, quod contractum a Tutore nomine pupilli celebratum, Curator succedens, & Pupillus major factus debeant observare, *l. cum quæritur, ff. de administr. & peric. tut. L. 3. C. quemadmodum ex fact. tut.* igitur ratione non dissimili Rex Successor Pacificationem Antecessoris servare debet, nisi velit gravissimam censuram Gregorii Magni incurrere rescribentis: *si ea destruerem, quæ Antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor bene comprobarer, Can. si ea caus. 25. q. 2.*

1099. IV.) Quo etiam facit, quod non solum S. Pontifex Innocentius IV. in *C. 3. vers. sed ea, de Sententia & re jud. in 6.* ubi ad donationem nomine Regni factam Successor obligatus dicitur; sed etiam Bonifacius VIII. *C. 5. de Rescript. in 6.* ubi statuit, gratiam a S. Pontifice concessam ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, per obitum concedentis non extingui, addita ratione: *quia Sedes non moritur.* Itaque nec Pacificatio per obitum Regis paciscentis extinguitur, quia Pax nomine Regni sancitur, per superius dicta: & Regnum nunquam moritur, *l. proponebatur 76. ff. de Jud.*

1100. V.) Obligationem hanc confirmat exemplum Divinæ Nemesis, quæ teste Scriptura sacra 1. *Reg.* 21. populum Israeliticum durissima trium annorum fame vexabat quia Saul quosdam ex Gabaonitis cum quibus Josue pacem sanciebat, *Josue* 9. contra fidem ab Antecessore datam necaverat.

*Ex his concluditur:* Regem aut Principem successorem obstrictum esse Pacificatione Antecessoris, nec eam violare posse ob *prætensas* quasdam subtiliores rationes, quas contractus Principum non admittunt, Gail. *l. 2. obs. 55. n. 4.* Syring. *de Pac. Relig. concl. 34. Lit. D.*

1101. Nec obstat 1.) quod post alios opponit Vinc. Gaboth. *l. 2. disp. c. 14.* Princeps, qui ex certa lege Regni, aut jure Electionis succedit, causam a Prædecessore non habet, neque ad ejusdem facta, & contractus, qui etiam Pacificationem includunt, *l. 5. ff. de pact.* tenetur, *l. 22. §. 1. ff. de adopt. Nov. 22. c. 33.* regulaque est, neminem alterius nomine, a quo causam non habet, esse gravandum *l. Si*

quis

*quis domum, ff. locat. conduct. l.33. ff. de pig. & hypoth.* Nam *contra* est, quod licet Princeps ille non habeat causam *a suo Antecessore*, habet tamen eam ab *ipsa Republica*, aut Regno, cujus facta per defunctum suscepta evertere nequit, quia ipsa Respublica obligata fuit pacificatione, aut aliis contractibus, vi officii, aut dignitatis regiæ nomine celebratis. Princeps autem omne illud dignitatis, & officii nomine intelligitur gessisse, quod non ad proprios & privatos usus fecit; modo, quæ acta fuerant, non contra Imperii, aut Principatus leges, sive pacta conventa tendant, vel aliunde invalida fuerint. Non igitur gravatur Princeps *facto Antecessoris*: sed *Reipublicæ* & dignitatis regiæ nomine posito. Respublica autem potest se obligare, & obligationem contractam in alium transferre, quod contingit vel expresse, vel per consequentiam necessariam, transferendo Regnum, uti fit in *Polonia*.

1102. Non obstat 2.) quod Prælatus Ecclesiasticus non teneatur stare pacto sui Antecessoris, *C. veniens, de transact.* neque expectativam feudi post mortem promittentis aperti exequi, *C. un. §. Si dominus 1. feud. 25.* quod provenit ideo solum, quia causam ab Antecessore non habet: igitur nec Rex obstringitur Pacificatione Antecessoris sui, cujus morte dignitas & Potestas regia sublata est. *Contra* enim est; nam Prælatus non tenetur servare contractum sui Antecessoris *invalidum* ex *defectu solemnium*, de quo casu loquitur *d. C. Veniens*, aut solummodo *personam contrahentis* respicientem, qua de causa non confert feudum post mortem promittentis apertum, quia concedens post mortem non habet potestatem rerum gerendarum, *Can. fin. caus. 12. q. 2.* & tantum tenebatur actione personali, quæ in singularem successorem, qui ex defuncti sermone nullum jus habet, non transit: Jason. *in l. qui opus n. 4. ff. de N. O. N.* Secus tamen est in contractu, cui debita forma accessit, nec tendit in *grave præjudicium* Ecclesiæ, dignitatis nomine celebrato, quem Prælatus Successor observare tenetur. *C. gratiose, de Rescr. in 6. C. quoniam Abbas, de Offic. & P. J. D.* ibique Gonzal. *n.6.* Klock. *t.2. cons. 4. n.73.*

1103. Ad rem nihil facit 3.) quod Pax conclusa ut plurimum juramento firmetur, uti patet ex Pace Constantiensi, *§. hanc igitur*, juramentum autem non egreditur personam jurantis, *C. Veritatis 14. de Jurejur.* Non enim dicimus Successores teneri ex Juramento Antecessorum, in

quan-

quantum producit *obligationem Religionis*: sed potius obligari eos propter *Contractum*, & *promissionem*; Juramentum enim non apponitur tantum majoris firmitatis causa; tanquam accessorium, & sic Successores Reges *principaliter* obligantur ex contractu: In quantum autem juramentum constituit onus *reale*, adstringit Successores ad exonerandam conscientiam defuncti, *C. fin. de Sepult.* ac nomine proprio, seu Regio, in re ad dignitatem pertinente; factum juramentum transit ad Successorem dignitatis hujus. Cov. *ad C. quamvis, de pact. p. 1. §. 5. n. 10.* igitur successor Regni tenetur Pacem ab Antecessore sancitam conservare.

1104. Demum non stringit 4.) quod *Fidenates* mortuo *Romulo*, ac *Latini* post *Anci* obitum, item *Etrusci* defuncto *Tarquinio Prisco* se religione fœderis solutos dixerint, & similiter *Perseus* Rex Macedonum Legatis Romanorum responderit, fœdus cum Philippo Patre sancitum ad se non pertinere, &c. Nam, non quid factum sit, sed quid fieri oporteat, spectandum est; *l. sed licet 12. ff. de Offic. Præsid.* facta enim varia sunt justa & injusta. An talia sint in contrarium allegata, dijudicari nequit quia verba fœderum nescimus, quæ inter illos fuerint, porro ex verbis fœderum desumi id debet. Grot. *l. c. L. 2. c. 16. §. 16. a n. 1.* Hinc Sententia *Bodini* ac *Spengeri* dicentium, quod morte fœderatorum fœdera extingui credantur, universaliter non est admittenda: sed solum in casu, quod ex circumstantiis desumitur, fœdera *ad personas* tantum fœderatorum restricta esse. Grot. & Schuz. *cit. loc.*

1105. Pariter non movet 5.) quod Principes leges sui Antecessoris observare non teneantur, sed eas tollere possint; *l. fin. c. de LL.* ergo neque tenentur servare contractus & pacta sui Antecessoris, per regulam: *qui potest plus, potest etiam minus*; plus autem est legem tollere quam contractus. Nam *contra* est; quod diversa sit ratio legum, ac Pacificationis & contractuum. Legibus enim qua *mere humanis civilibus* sui Antecessoris Successor Rex non adstringitur, adeo, ut eas exigente Reipublicæ utilitate mutare queat, sicut potuit ipse Antecessor. Hic autem ex pacificatione ita obligatus fuit, ut ab ea invito altero recedere non potuerit, utpote cum ex transactione hac publica auctoritate sancita *naturalis & Gentium* obligatio orta sit, sicut & ex aliis contractibus; *l. 1. ff. de pact.* nulla proin est paritas.

C A-

# CAPUT VIII.

## De Legatis & Legationum jure.

### §. I.

*De diversitate & obligatione Legatorum.*

SUMMARIUM.

1106. &c. *Definitio & divisio Legatorum.*
1110. *Legatorum securitas a quo Jure venit?*
1111. &c. *Refellitur Puffendorfius tribuens id Juri Nat.*
1113. &c. *Quæ sint obligationes Legatorum?*

1106. Cum Legatorum ministerium ad Pacem concludendam aptissimum censeatur, materiæ de Jure pacis pertractatæ merito subjungendam judicavimus præsentem de Legatis titulum. Describi autem potest *Legatus*, quod sit *Minister publicus a summa Potestate ad aliam similem vel dignitatem inferiorem, summo tamen imperio pollentem destinatus, ut negotium sibi demandatum nomine sui principalis expediat.*

1107. Porro Legatorum diversa est indoles. Alii enim sunt *primi Ordinis*, qui charactere repræsentatitio summæ Potestatis, a qua mittuntur, fulgent; alii sunt *secundi Ordinis*; qui charactere repræsentatitio destituti, jurisquidem potestate pares sunt prioribus, specie tamen dignitatis, quo ad præcedentiam, honores, & cæremonias distinguuntur. Illi proprie loquendo veniunt nomine Legati simpliciter enunciato, dicunturque *Ambasciadori*, vulgo isti verius *Ablegati*, vel *Prolegati*, Envoyes appellantur, etsi hæc vocabula sæpe confundantur, ita ut Legati, & Ablegati in Recessibus Imp. promiscue veniant, teste Schwveder. *introd. ad Jus publ. par. spec. sect.* 1. *c.* 28. *n.* 2. Vitriar. &c.

1108. Alii sunt Legati *Ordinarii*, qui summæ Potestatis negotia communiter evenientia in Aula externa tractant. Alii *Extraordinarii*, qui extra ordinem, ad negotium aliquod tractandum, vel quidpiam nunciandum mittuntur. Alii item *Simplices*, qui mandatum simplex sine speciali clausula acceperunt. Alii *Plenipotentiarii*, qui mandatum speciale cum *Libera* sunt consecuti.

1109.

1109. *Agentes* appellari solent personæ, quæ negotia privata Rectoris civitatis, vel etiam subditorum ipsius, ejusdem nomine apud Aulam, vel Gentem etiam curant. Cum autem à voluntate constituentis dependeant, nil obstat, quo minus etiam negotia quædam publica minoris præsertim momenti *Agentibus* committantur. Hi ipsi qui *Agentes* audiunt, etiam alio nomine *Residentes*, *Statarii*, aut *Consules*, iique interdum *temporanei*, interdum *perpetui* dicuntur, ac veris Legatis merito æquiparantur, cum non appareat (ait Steph. Cassius *de Legat. Jure*, *sect.* 1. *n.* 37.) cur è numero & prærogativis Legatorum vere talium eliminari debeant, eadem quippe est summa Imperantis potestas, sive ad majora, sive ad minora negotia tractanda Virum idoneum mittat, neque causarum agendarum varietate illa diminuitur, neque Jus Gentium circa Legationes infirmatur.

1110. Cuinam juri Legatorum admissio & securitas tribuenda sit, disputant Naturalistæ, & Puffendorfius quidem *de J. N. & G. l.* 2. *c.* 3. §. 23. cum non paucis Sequacibus Juri naturali attribuit, ex quo Jus Gentium à naturali distinctum nullum admittit, verum ideæ hujus falsitatem demonstravimus *a n.* 662.) ubi etiam securitatem Legatorum sub *n.* 674.) Gentium juri obstrictam vindicavimus, utpote cum mutuam inter Gentes societatem & amicitiam, cujus intuitu Gentium Jus invaluit, nihil aut securius pariat, aut firmius roboret & conservet, quam mutuum per Legatos commercium, vix aliter in usum deducendum, ac si Legati simul admitti & immunitate gaudere debeant, Textor *in Synop. J. G. C.* 14. *à n.* 2.

Quam ob rem de non admissis Legatis Senator Carthaginensis, apud Livium *dec.* 3. *l.* 1. *c.* 3. contra Annibalem juste conqueritur: *Legatos, ab Sociis & pro Sociis venientes, bonus Imperator vester in castra non admisit: Jus Gentium sustulit.* Pomponius quoque JCtus in *L. ult. ff. de Legation.* ait: *Si quis Legatum hostium pulsasset, contra JUS GENTIUM id commissum esse existimatur, quia sancti habentur Legati; & ideo, si, cum Legati apud nos essent Gentis alicujus, bellum cum eis indictum sit, responsum est, liberos eos manere, id enim JURI GENTIUM conveniens est*, & merito: jure enim Naturæ spectato nihil vetaret eos, utpote pro hostibus jam declaratos, saltem salva vita, hostiliter tractare, aut sub custodia detinere, usque dum bellum finiatur. Vid. *cit. n.* 674.)

1111.

1111. Nec stringit Puffendorfii discursus, quod Legati sint necessarii ad pacem obtinendam, quæ *jure nat. præcepta est*. Quid enim hoc ad rem facit? Nam etsi Jus nat. tum societatem tum pacem inter Gentes imperet, non tamen *absolute & necessario* requirit ad hunc finem ministerium Legatorum; tum quod non sit impossibile, quo minus ipsimet Reges aut Principes personaliter conveniant, tum quia negotium Pacis etiam per Literas confici posset, tum denique, quod per solam cessationem ab armis possent bellantium hostilitates in statum pacificum converti.

1112. Huc facit, quod etsi pax fuerit jure nat. præcepta, at *modus* inducendæ pacis ab hoc jure non est determinatus, ac proin ut Legati ab eo, ad quem mittuntur, *necessario* admittantur, aut plena securitate potiantur, Jus naturæ non præcipit. Hoc enim jure spectato liberum est hominibus, seu in libertate naturali, seu in societate Civili viventibus, ut cum Gente altera teneant commercium aut non, ideoque Legatos ad se missos recipere non tenentur. Hinc si Legati delinquant in loco legationis, Jus naturæ delinquentes non eximit a Jurisdictione summæ Potestatis ibidem dominantis, sed magis exoptat, ut noxii & noxiæ, undecunque sint, plectantur. Consecutio igitur hæc non apparet legitima: *Pax est necessaria de Jure naturæ; ergo etiam Legatus*. Nisi dicatur necessitas hæc solum *mediate* a jure nat. provenire, supposita nempe *lege Gentium* ex tacito earum pacto de Legatorum admissione, ut liquet ex *d. n.* 674.)

1113. Obligatio Legatorum, quam habent ex officio suo, est I.) ut Domini, a quo mittuntur, auctoritatem omni modo conservare studeant, quod fieri ut plurimum potest, si in incessu, sessione, sermone cum Principe, ad quem missi sunt, ejusque Ministris habendo; ita sint erga alios humani & urbani, ut honor & præeminentia sui Domini in omnibus conservetur. Id enim antiquissima praxis docet.

1114. II.) Obligatur Legatus nulli in loco suæ legationis quidpiam de sua commissione referre, quam Principi & ejus Ministris ad hoc deputatis, ut & nulli alteri, quam suo Principi, aut quem ille substituerit, aliquid de sua functione scribere permittitur. Id enim exigit fidelitas ejus, cujus fidei specialiter electæ hæc committuntur.

1115. III.) Legatus unice in id intentus esse debet, qua ratione negotium (alioquin æquitati & conscientiæ non repugnans) sibi commissum ad integram sui Domini satisfa-

ctio-

ctionem, per media *honesta*, usque ad finem prosequatur. Hinc negotia extranea, quin & propria, curare nequit, si hæc obicem causæ Principalis sui ponerent.

1116. IV.) Demum Legatione finita tenetur Dominum de eventu certiorem reddere, ejusque uberiorem dispositionem expectare in loco, si opus sit, aut quantocyus ad illum, qui se miserat, pro reddenda officii sui ratione, reverti.

In omnibus his autem debet esse memor naturalis obligationis, quod nullam Domini sui commissionem, contra universalis Domini ac Creatoris nostri præcepta, in se suscipere & attentare possit, monente Apostolo *ad Rom.* 1. *v. ult.* quod tam Principales, quam eorum Legati Mandatarii æterna, in inferno puniendi morte condemnandi sint, naturalis ac positivæ legis prævaricatores: *dignos esse morte non solum, qui ea faciunt, sed etiam qui CONSENTIUNT facientibus*. Recte proin Hornius *de Civ. l.* 2. *C.* 8. §. 8. *n.*4. Emissarium, Sicarium, & miserum nequitiæ mancipium, non Legatum vocat illum hominem, qui a suo Principali instructus attentat aliquid, & exequi studet contra fas & nefas conatus suos impendendo, dummodo improba molimina perficiat. *Heliodorus* utique Regis *Antiochi* Legatus fuit, qui templum spoliare ex mandato Domini sui, contra Divinam & Summi Pontificis *Oniæ* prohibitionem voluit, Principis commissionem prætexens, & tamen a DEO mirabiliter punitus ac ab Angelis flagellatus legitur 2. *Machab.* 3. Quinquagenarius etiam Princeps, & quinquaginta illi viri qui ad capiendum Eliam missi erant, imperio Regis Ochoziæ, cujus erant Legati, sese tuebantur, dicentes: *homo DEI, Rex præcepit, ut descendas*, 4. Reg. 1. v. 9. & tamen omnes isti igne subitaneo puniti sunt; expectent igitur & ab igne devorante sibi timeant reliqui legum transgressores.

## §. II.

### *De Privilegiis & Judice Legatorum.*

### SUMMARIUM.

1117. &c. *Legati privilegium* 1.) *est, ne sine justa causa repudietur.*

1119. *Et* 2.) *quod Factum Legati, sit factum Principis.*

1120.

1117. Inter privilegia Legatorum est I. ) ut sine *justa causa* ab eo, ad quem missi sunt, repudiari non possint. Nam, uti ait Grot. *l.* 2. *c.* 18. §. 3. licet Jus Gentium non præcipiat omnes Legatos admitti, vetat tamen sine causa eos rejici. Ad eos enim suscipiendos ex Gentium jure superius probato obstrictus est Princeps vel Respublica, utpote quorum usus introductus est ob communem populorum necessitatem & utilitatem, cui nequit aliquis renunciare cum aliorum præjudicio.

1118. Neque obstat his, quod pleraque exempla Legatorum extent apud Grotium *l. c. n.* 2. qui aut non recepti, aut remissi sunt, quin tamen creditum sit Jus Gentium violari. Illos enim non recipiendi *justa fuit causa*, ex quo probe sibi perspectum habuerunt Respublicæ illæ, plus periculi, quam emolumenti futurum, si eos admitterent. Jus autem Gentium hac in parte non aliter ad receptionem obligat, quam sub *tacita conditione*: si præceptum receptionis hujus sine notabili incommodo possit executioni mandari, ubi enim ex admissione prædicta rationabiliter prævidetur proprium admittentis Reipublicæ vel Principis incommodum, cessat jam *utilitas*, propter quam præceptum susceptionis Legatorum introductum est, cessat quoque & obligatio, utpote dependens a conditione jam explicata. Hinc teste Livio *dec.* 4. *l.* 7. *c.* 32. Romani Vejentium Legatis denunciarunt: *ni facesserent Urbe, pœnas daturos*; & Carthaginensium Legatis responderunt: eos *se non posse admittere*; *quorum exercitus esset in Italia*, imo & Ætolis dixerunt: *si qua Legatio ex Ætolis, nisi permissu imperatoris, qui eam provinciam obtineret, & cum Legato Romano venisset Romam, pro hostibus omnes futuros*. To-

illæ quoque legationem a Justiniano, & Belisarii Oratores a Gothis rejectos fuisse tradit Procop. *l.* 2. & 3. In sacris etiam Codicibus legimus Rabsacem Regis Assirii Legatum juste ab Ezechia Rege non admissum fuisse, quod timeretur populum perversurus, 4. *Reg.* 18. Quæ exempla praxi Gentium ad nostra usque tempora durante confirmantur. Experimur quippe, post indictum Reipublicæ vel Principi cuipiam publicum bellum, Legatos bellantium illico revocari, quia scilicet commoratio eorum apud extraneas, sibique ab invicem offensas Potentias non foret utilis, ex ratione quod tali casu Legati officium facile in exploratoris munus vergere posset.

1119. II.) Privilegium alterum est quod *factum Legati sit factum Principis* vel Reipublicæ eum mittentis. Nam acta & gesta Administratorum habentur pro actis & gestis dominorum; Myller ab Ernbach *Hyparcholog. c.* 10. §. 14. Puffendorf. *de J. N. & G. l.* 3. *c.* 9. §. 1. & ibi Nicol. Hertius in *not.* Dummodo tamen Legatus perstiterit intra terminos mandati. In hunc finem requiruntur *Literæ credentiales*, quas mittens dat Legato ad eum, ad quem mittitur, & in quibus eum Legatum suum declarat; præter has vero debet in scriptis habere mandatum *speciale*, si negotium aliquod speciali commissione sibi præscriptum esse asseveret, alioqui juxta brocardicam regulam: *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verosimiliter in specie concessurus*, C. 81. de R. J. in 6. Hoc proin casu non sufficit mandatum generale *cum libera*.

1120. III.) Tertio loco venit privilegium *securitatis* admisso Legato debitæ. Hanc *tacite* promittit ille, qui eum in tali charactere, visis ejus *Credentialibus* suscipit. Porro securitas promitti ei intelligitur, non solum contra *vim injustam* (quæ ab omnibus in alieno territorio versantibus abesse debet) sed etiam contra *vim justam*; ita ut occasione delicti seu proprii, seu alieni nullo modo detineri, puniri, inquietarive possit; etiamsi is ab hoste missus foret.

1121. IV.) Imo, nedum ipsi Legati, sed etiam eorum Comites gaudent hac securitate, ut liquet ex *l.* 7. *ff. ad L. Jul. de vi publ.* apud Romanos enim lege Julia cautum fuit, de *vi publica* teneri, non modo qui Legatos: sed & qui Comites eorum injuria afficerent. Neque obstat quod securitatis hujus in corpore Juris Civilis *l. c.* fiat mentio, nam

nam illa adhuc provenit ex Jure Gentium, cum aliundè certum sit Civile jus multa continere, quæ ad Jus naturæ vel Gentium directe spectant.

1122. V.) Bona quoque mobilia Legatorum & Comitum, tanquam accessoria ad personas, gaudent eodem immunitatis jure, adeo ut nec *pignori* subjici, nec capi ad solutionem, nec etiam a Judice gravari possint. Grot. *l. c.* §. 8. & 9. Textor *l. c.* Et olim quidem, quo facilius Legati dignoscerentur, certa præferebant signa, Romanisque *sagmina* erant familiaria, quæ ex certa herbarum specie texebantur, uti patet ex *l. Sanctum* §. 1. *ff. de divis. rer. & qualit.* hodie vero sub fide publica dantur literæ *salvi conductus*, aut *commeatus* a Rege vel Republ. ad eum, in quem Legatus proficiscitur locum.

1123. Anceps apud Prudentes quæstio est: quousque immunitas Legatorum protendatur, án solum ad territorium ejus Principis ad quem mittuntur, vel an etiam ad loca intermedia? Grotii opinio *l. c. c.* 18. §. 5. *n.* 1. est: Legem de vi Legatis non inferenda, eum tantum obligare ad quem missa est legatio, nec pertinere ad alios, per quorum fines transeunt Legati: Legatus enim characterem suum non alibi, quam in loco legationis repræsentat. Muelen in *Comment. ad Grot. d. l.* putat Legatum ubique Gentium securum esse debere, utpote dum legationem commode nequeat peragere, nisi cum plerumque per aliena territoria ad terminum sit deveniendum, ubique integre sit securus. Vitriarius etiam ad Grot. *d. l. q.* 14. Legatis in territorio intermedio immunitatem omnimodam ideo censet exhibendam, quia Principem suum repræsentant, qui est instructus imperio ac Majestate, ubicunque fuerit. Verum hoc alii communiter negant, quippe Legatus ibi duntaxat *charactere repræsentatorio* fulget, ubi tanquam Minister publicus negotia sibi commissa tractare debet.

1124. Ex tanta opinionum varietate id solum certo concluditur, quod Legati transeuntes, si a loci intermedii Domino petant & obtineant transeundi veniam, debeant quidem contra vim *injustam*, non autem contra *justam* defendi, neque ex necessitate Juris Gentium, sed ex *ultronea* concessione; uti fatetur Muelen ipsemet *l. c.* imo, si venia non petita intraverint alienam regionem, ne quidem contra vim injustam securitas ipsis præstatur, neque si male tractentur, jus Gentium læditur, sed amicitia, aut di-

 gni-

dignitatis illius Principis a quo missus est, & cujus personam repræsentat, imo disturbaretur hic in negotiis publicis gerendis, si judiciis privatis adstringeretur. 3) Quia Legati Jure Gent. ita hac in parte considerantur, ac si non existerent in territorio ejus, in cujus Aula morantur: igitur & res eorum tanquam personis accessoriæ considerandæ sunt.

*Nec obstat*, quod forte metuendum sit, ne ex hac legatis asserta indulgentia sequatur, quod aliquis eorum res alienas secum in patriam asportet, aut, quod nemo inveniatur, qui cum Legato contrahere velit. Nam respondet Grot. *l. c.* §. 10. etiam Regibus, qui cogi nequeunt, non deesse Creditores, & apud quosdam Populos moris fuisse, ut de contractibus, qui in creditum iissent, jus nullum redderetur, non magis scil. quam adversus ingratos.

1128. CONCLUDES ex his: Res *mobiles* Legati actione *reali* non posse in loco legationis peti. Sed quæres ubi nam in causis civilibus *realibus* conveniri possint & debeant Legati? Spectatis Legibus Romanis, docemur ex *l. 2. & l. ult. C. ubi in rem actio*, quod præter domicilium, etiam locus *rei sitæ* in actione *reali* constituat forum competens, licet Possessor rei ibidem habitare non consueverit. Utrum autem ad Legatos, si rem in loco legationis habeant actione *reali* petitam, idipsum extendatur, controversum est; *Affirmativa* tamen opinio verisimiliter censetur a Grotio *l. c.* versu: *res soli eo loco nullas possideat*; Textore *d. l. c. 14. n. 57. & seqq.* Henning. *l. c.* Besold. *d. l.* &c. qui tradunt; Res *immobiles* in loco legationis sitas ibidem repeti aut vindicari posse. RATIO est 1.) Quia hoc casu res *immobilis* v. g. fundus, prædium alteri realiter devinctum potius quam ipsa Possessoris persona petitur, atque adeo coactio hæc nequit obstare securitati Legatorum, cum res immobiles territorio magis quam personis eorum adhæreant. 2.) Cum Jure Romano statutum sit, ut Judicium *rei sitæ* Possessor immobilium subire teneatur, licet alibi domicilium habeat, id ob favorem Legati non reperitur in Jure publico aut Gentium immutatum. Nam etiam Rex quin in alieno Regno Ducatum aut Principatum possidet, leges illius Regni jurisdictionem & forum, quo ad jura *realia* & bona immobilia agnoscere obstringitur: igitur & ejus Legatus. 3.) Licet Legatus non sit de territorio illo, ubi legatione fungitur, tamen in terri-

absque ulteriori securitatis indulgentia legitimæ vindictæ Principis, aut Reipublicæ offensæ, non tam *jurisdictionis*, quam *defensionis*, & belli jure subjacet. *Vitriar.* & *Textor* cum aliis *citt.*

1132. In utroque autem casu, quin *jurisdictionem* judicialem loci contra Legatum delinquentem extendat, potest eum juste recusare, ulteriorem cum eo tractatum & expeditionem abrumpendo; magnos enim Principes oppido dedecet, si ad suum alloquium homines sequioris notæ admittere teneantur. Poterit igitur Principalis ejus edoceri de ignominiosa facti specie, ut si velit, alium Legatum mittat. Ita Auctor *legationis Lavard. f. m.* 13.

1133. Omnia privilegia hic *a n.* 1117.) recensita Hugo Grotius *l.* 2. *c.* 18. §. 10. *fin.* solis illis Legatis, qui ab Imperatore, vel alio supremo Principe mittuntur, & non etiam Legatis *provincialibus*, aut *municipalibus*, aliisque a Principibus Imperii destinatis competere de Jure Gentium putat, ita ut his nulla immunitatis, & securitatis prærogativa debeatur. Verum rectius, post alios, VVolfg. Textor *d. c.* 14. *n.* 6. limitationem hanc *Grotii* arbitrariam esse probat. Ex quo enim Principes Imperii jus pangendi fœderis, tractandique similia negotia cum Imperatore, vel exteris, Lege publica per *Instrum. Pacis VVestphal. art.* 8. §. *gaudeant* &c. confirmatum obtinent, suadet ratio & æqualitas, ut eorum Legati ad ejusmodi tractatus expediendos missi plena securitate gaudeant, sicut & alii.

## CONCLUSIO OPERIS.

1134. Si DD. Protestantium, qui de Naturali & Gent. jure scripserunt, vestigiis insistendum foret, superesset adhuc tractandum *de officiis* in societate conjugali, parentum, liberorum, ac herili observandis; de *Societate* item *composita*, quam familiam vocamus, officiisque in illa colendis &c. Verum quia hæ materiæ extra nostrum institutum sunt, & non ad jus Gentium: sed partim Ethicam œconomicam, partim Jus publicum, aut Civile (ubi tractatur *de Patria potestate, liberorum emancipatione, ritu nuptiarum* &c.) concernunt; quatenus vero nonnulli eorum actus ad legem naturæ reducuntur, illi aliunde explicati sunt in *Part.* 1. *de J. N.* ubi *c.* 4. *de statu ac fine naturæ humanæ* tractavimus, ac in aliis sequentibus, ubi obligationes naturales erga proximum exposuimus: hinc merito super-

ſedendum illis exiſtimamus. Præſertim quod finis lucubrationis hujus non alius fuerit nobis, quam *prima*, eaque *ſaniora* & orthodoxæ doctrinæ conformia J. N. & G. elementa Dominis Academicis Auditoribus explanare, ita vero explanatis & *inventis facile erit addere*.

Porro explicationi huic Publici boni amor anſam dedit Cum enim Juri Naturali & Gentium enucleando peculiares cathedras à DD. Proteſtantibus erectas eſſe doceat experientia, & teſtetur D. Braun *de Juriſprud. p. 2. c. un. §. 1. n.* 12. in Catholicis autem Univerſitatibus non quidem peculiares cathedræ, magna tamen ex parte Theologia moralis eidem ſtudio olim conſecrabatur, imo & Theologiæ dogmatico-ſcholaſticæ ac Jurium Profeſsores, ubicumque tempus & opportunitas aderat, quæſtiones de J. N. & G. ſuis explicationibus ſemper intermiſcebant: Ex quo autem nunc etiam apud Orthodoxos diſtinctæ pro hoc ſcibilli erectæ ſunt Cathedræ, nóſque non ſine animi dolore perſpeximus libros Acatholicorum Scriptorum a vera Chriſti Eccleſia proſcriptos, ſcandaloſam & ſanæ rationi diſsonam Moralem continentes; manibus incautæ Juventutis, imò & provectæ ætatis hominum, non ſine evidenti animarum periculo verſari: conati ſumus, qua fieri potuit brevitate, & diſcentibus accommoda methodo, juxta ſolidiora illibatę veritatis principia, graphicam non minus ac tutam J. N. & G. ideam proponere. Quam tamen infallibilis morum Magiſtræ, S. Catholicæ Eccleſiæ judicio in omnibus reverenter ſubjicimus.

Tu vero erudite Lector tenuem opellam hanc benigno favóre proſequere, quæ ſive Tibi probetur, ſive ſecus, nobis perinde erit; utpote quibus cum *Martiali* dicere licet:

*Hæc, ſi diſplicui, fuerint ſolatia nobis:*
*Hæc fuerint nobis præmia, ſi placui.*

Soli DEO honor & gloria.

# INDEX

## Rerum & Verborum utraque parte contentorum.

### A



*Æqui-*

## B



## C



*Cogi-*

Ille

D

*Ebrie-*

## E



## F

G



H



*Hone-*

I

Jus

## L



*Lex*

*Mora*

N



O

P

a f.

Re-

## S

# T



# V



*Ve-*

FINIS.



